tb

Cn Vso de Fr. Damián Fexero =

Costome Vinte y Cinco V.s =

✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 302

PHARMACOPOEIA REGIA,

SEU

DISPENSATORIUM NOVUM LOCUPLETATUM ET ABSOLUTUM,

annexâ etiam

MANTISSA SPAGYRICA:

in quibus

VERA ET ACCURATA METHODO SELECTISSIMORUM MEDICAMENTORUM COMPOSITIONES ET PRÆPARATIONES TRADUNTUR, QUÆ CUM SERVATIS SUORUM INGREDIENTIUM VIRTUTIBUS, TUM IISDEM EXALTATIS, MEDICO, IN PROFLIGANDIS HUMANI CORPORIS ÆGRITUDINIBUS, AD VOTA SERVITURA SUNT.

AUTHORE

JOANNE ZWELFER,

PALATINO, M. D.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

NORIBERGÆ:

Typis & Sumptibus BALTHASARIS JOACHIMI ENDTERI.

ANNO M. DC. XCIII.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

PHARMACOPOEIA REGIA,

SEU

DISPENSATORIUM NOVUM LOCUPLETATUM ET ABSOLUTUM,

cum variis aliis

MANTISSA SPAGYRICA,

in quibus

VERA ET ACCURATA METHODUS SECERNENDI ET PRAEPARANDI

CUNCTORUM MEDICAMENTORUM COMPOSITIONES PRAESCRIBENDI

ET PRAEPARATIONES TRADUNTUR, QUAE CUM OBSERVATIS MORUM INGREDIENTIUM VIRTUTIBUS,

TUM RECTA EXHIBENDI MEDICAMENTA RATIONE,

HUMANI CORPORIS AFFECTIBUS MEDENDIS, AD

VOTA SERVITURA SUNT.

AUTHORE

JOANNE ZWELFER,

PALATINO, M. D.

Cum Privilegio Sacrae Caesareae Majestatis.

NORIBERGAE:

Typis & Sumptibus BALTHASARIS JOACHIMI ENDTERI.

ANNO M. DC. XCIII.

BIBLIOTECA PUBLICA DE LA CORUÑA

POTENTISSIMO

AC

INVICTISSIMO

ROMANORUM IMPERATORI

LEOPOLDO,

PERPETUO AUGUSTO,

GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ &c. REGI, ARCHIDUCI AUSTRIÆ, DUCI BURGUNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, ET WIRTEMBERGÆ. &c.

COMITI TIROLIS: &c.

IMPERATOR AUGUSTISSIME:

FOecunda Cæsarum Regumque Parens, Austria, Invictissime LEOPOLDE, illicium est Orbis & Populorum, quos arcano nutrit ubere, ac insatiabiles reddit, dum

vel ſemel admiſit adfluenta Gratiarum. Habet Auguſtiſſime Cæſar, Gentilitia Auſtriorum Domus tacitum in omnes Imperium, dum ſuos Majeſtate allicit, Pietate conſervat, Juſtitiâ tutatur, Humanitate demulcet. Neminem proindè arceat Imperialis Auſtriacorum Aquila, quæ, licet Majeſtate & Juſtitiâ, Sceptro & Enſe, armata ſit; Pelicanus tamen amoris eſt, ſua confodiens viſcera, ut vel proprio cruore ſubditos foveat, ac in vitam animet. Meridiabar jam olim Ego ſub umbra hujus Aquilæ alarum magnarum, PIETATE JUSTITIA magni FERDINANDI TERTII PATRIS, ad cujus auguſta ſubſellia Animadverſiones in Auguſtanum Dispenſatorium olim reclinavi. Protegebat me Majeſtas FERDINANDI QVARTI, ſeu fortis Clementia, ſeu clemens Fortitudo, PRO DEO & POPULO; ſub cujus Regio Paludamento Pharmacopœja Regia noſtra quondam protecta. Nunc arcano me trahit illicio, & benigno obtutu, ſceptrum inter & acinacem excubitor oculos Majeſtatis Veſtræ, CONSILIO & INDUSTRIA Vigilantiſſimus, Hieroglyphico aut Myſtico ſenſu Cæſareārum virtutum Epitome, TER AUGUSTE LEOPOLDE; cui jam olim totus militabat æther, & Coronas deſtinabat, ad Diademata nato ac educato. Conquieſcat

quieſcat igitur ſub umbra alarum tantæ Majeſtatis Veſtræ Consilio & Industria ſecundus hic fœtus meus, partusque literarius (quem pedibus Majeſtatis Veſtræ reclivis ſubſterno) utpote, qui olim ſub his Alis feliciter fovebar; quando Regiæ m. Pharmacopœiæ Appendicem Auguſto Majeſtatis Veſtræ Nomini ſupplex dicavi. Perennet igitur non tàm Solaris Imperii Aquila, quàm ſæculorum Phœnix, *LEOPOLDUS*, gentis noſtræ Pyropus, Paternarum Virtutum *MAXIMI FERDINANDI TERTII* ex aſſe Hæres, in Sago & Toga ter Fœlix *IMPERATOR*: Cui ut Regna accedant, bello & pace glorioſisſimus perennet, ſupplicibus votis exoro. Nam ſic & Urbs, ſic Populus, ſic Univerſus Orbis, ardentibus votis ſuſpirat.

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
VESTRÆ

Humillimus cliens

JOANNES ZWELFER.

PROOEMIUM
AD
LECTOREM.

Quod olim, Gentilitio ſibi ſymbolo, feliciſſimus ille Heroum, hieroglyphicâ brevitate innuit; quando ſuper Scutum dimidiam Lunæ ſphæram vivis coloribus pingi voluit, hoc ſuperſcripto Lemmate: Plenior redibo: hoc à me, non tàm nominibus & ſymbolis, quàm re ipſâ, effectum vides, Lector benevole; dum Tibi, & univerſo literato Populo, Pharmacopœiam Regiam, pleniorem, auctam & perfectam, ut φιλιατρῶν expectationi ſatisfacerem, ſiſto & conſecro. Ea enim eſt humanæ imbecillitatis, inter anguſtos limites comprehenſæ, natura, ut parturiat ſemper; rarò tamen, aut nunquam, perfectum enitatur fœtum, embryonem duntaxat producens; cui tempus, ætas, & magiſtra rerum, Experientia, ultimam tandem imponit manum. Symbolizat enim humana mens cum totius Univerſi natura, quæ, in ipſis progignendis floſculis, ſuis utitur interſtitiis, producendo jam eorum pericarpia, ſinûs, genicula, umbellas, nymphas, donec in calathos circinet, ex his, velut è proſcenio, florem eductura. Sic pariter longâ ſerie procedentes anni, magna artibus fuerunt incrementa; ſuos habet gradûs ſapientia; dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, ad conſummatam usque plenitudinem. Quindecim jam fluxêre anni, quòd Pharmacopœia Regia primùm ſuſtinuit prælum: hactenus verò aſſiduo ſemper ſtudio in id incubui ac deſudavi, ut fœderatis manibus, conjunctisq; viribus,

bus, fœtum hunc meum perficerem, experientiâ & continuâ praxi ampliarem, debitum denique nitorem & formam ei conciliarem; satis interim factum mihi autumans, si deplorandis mortalium affectibus citò, tutò, ac jucundè subvenirem. Quanquam præproperè adeò prælum ac lucem hic noster partus non subiisset, remorante nos operosâ Praxi, & Ægrorum sollicitatione; nisi, inter alios Doctissimos Viros, assiduo etiam mihi stimulo fuisset, ac fidelem unà operam suam præstitisset, Excellentissimus Vir, *Joannes Adamus Spenholtz*, Inclytæ Facultatis Medicæ Viennensis Doctor, Celebris Jaurinensium p. t. Physicus, & incomparabilis Philosophus, qui deploratum Medicinæ statum sæpè coràm, ac literis suis, nobis expositit, & lucem ac talentum nostrum, sub modium non esse abscondendam, commonefecit; nostris antehàc evulgatis scriptis addictissimus, ut ea (ad paucorum æmulationem) continuus tereret, meq; adversus futuros maledicorum susurros iteratò erigeret, ut scilicet parùm adverterem, quid Zoilus in obscuris, quid nauci homunculi (festivâ hâc utar παρονομασία) obganniant, quorum vita & labor est, sagacissimis & defæcationibus etiam ingeniis imponere.

Placuit autem hanc in me susciperе Spartam, Regiamque nostram Pharmacopœiam denuò excudere, ac divulgare, ut improbos naturæ conatûs per omnia æmularer, quæ semper ad majora enititur, nihilq; non numeris omnibus absolutum producere satagit: quò & collimavi ego, ut meliora nimirum charismata sectaret, Opus & Dispensatorium tale ederem, quod omnem spiraret perfectionem, nihilque mancum aut superfluum in se continens; prout decet genuinum Artis & Naturæ sectatorem.

rem. Neque verò liberiùs hæc mihi excidiſſe putes, quaſi qui ſolus Philoſophici ſacrarii penetralia, aut ſacrum Æſculapii delubrum & abdita penetraſſem, eáque iis non niſi Panaceas, ſecreta remedia, & θεῶν χείρας deprompſiſſem. Abſit à me faſtus, gloriola, & φιλαυτία; qui apprimè novi, quàm arctis limitibus virtus & poteſtas noſtra circumſcribatur; quàm anguſta res domi noſtræ ſit. Illud ſolùm ſcriptis hiſce monumentis præſtare volui, ut quàm proximè ad perfectionis apicem, in re Medica, collimarem, Tibiáque cornucopiæ, aut, ſi mavis, Armamentarium & Panopliam erigerem, è quibus arcana remedia depromere valeas, queîs deleterias morborum vomicas, abditasque humanorum langvorum cauſas, velut totidem telis, profligare poſſes.

Quis enim tàm bruto agreſtiáque ingenio eſt, cui non pateat, quòd, labente paulatim ætate Mundi, vires totius orbis ſyſtematis labaſcant, magnisque paſſibus ad defectionem properent? Ipſa cœteroquin benefica ſydera, & ecſtatica elementorum commotio, in nos, ſeminali quâdam malignitate, virulenta effluvia derivant, mundumque epidemicis calamitatibus premunt. Ampliùs dicam; ipſa Majoribus noſtris ſaluberrima alimenta, primâ quaſi ſtatione dimiſſa, inteſtino furore in nos debacchantur, diſparatas geneſes in corporibus moliuntur, vernaculos morbos, velut totidem ſigilla, imprimunt, nosq; arcanis inſidiis ad interitum deducunt; adeò quidem, ut, præter morbi genus, quod Antiqui Σποραδικὸν vel ἐνδήμιον, ſeu Patrium, dixêre; meritò calamitoſo hoc ſæculo nos illud jungamus, quod Inteſtinum, Domeſticum, & ex Nobis, appellemus. Intuentes igitur

igitur præſentium calamitatum ſeminarium, & fatale novæ Eridos pomum, hoſtilesque diſſidias vitæ noſtræ concentratas; & nos pariter novis accendamur auſibus, extra caſtra digrediamur, obviam procedamus arcano hoſti; qui filii aut commilitones ſumus magni Hippocratis, induamur fortitudine, & tanti Patris armaturâ, meditemur ſtratagemata, &, cum divino Sene, diviniora remedia. Sic fiet, ut Muſæa ac Lycea noſtra humano generi ſint Armamentarium; conſilia noſtra, invincibilis clypeus; & remedia noſtra, certiſſima ſalus langventibus, in vitam & ſanitatem. Hûc proindè, pro mea tenuitate, hocce meo Diſpenſatorio collimavi ego, ut ſecretiora meditarer remedia, quibus frænum & habenas morbis imponeremus; ac veluti ærarium quoddam publicum erigerem, è quo languentium populus vitæ & ſanitatis ſibi ferat ſubſidium. Neque verò hæc iterum à me magnificè & grandiloquè prolata cenſeas. Tu ipſe Regiam hanc, ſcripta & lucubrationes noſtras, cum reliquis ævi noſtri Scriptoribus, velut purpuram purpuræ, & byſſum, ut ajunt, byſſo compara; & reperies, quòd mea cauſa triumphet; deprehendes, quòd plurimi Scriptores in propriis vitiis lippiant; quòd anguſtiùs, quàm pro dignitate Medicâ conveniebat, ſcripſerint, poſthumos denique errores retroagendis ſæculis, quaſi per traducem, commiſerint, ævum, Lycéa, & Athenæa noſtra dedecorantes.

Et ſanè quid Medicus eſt, debita remediorum penu deſtitutus? Idem quod inermis miles; quod Philoſophus inter Amuſos; quod elinguis Orator. Non enim hîc ſyllogiſmis certatur. Praxi, & exercitio, ſelectisque remediis, quibus ægros fulcias,

opus eſt. Neque enim, quàm aſſiduè Patientem inviſas, quæritur ; ſed, quàm aptis remediis & medicamentis proſtratos erigas, diſquirendum. Ut proindè Corbubenſis Philoſophi ſanè Chriſtiano dogmati ſuccenſere nequeam, dum in Epiſtolâ ſollicitè hortatur : *Medicorum conſilia de vita, qui, parum docti, ſed ſatis ſeduli, officiosè ſatis multos occidunt.* Neque immeritò : de vitâ deciditur, viduorum & orphanorum res agitur; ac ab uno Medentis ore nonnunquam regnorum momenta dependent. Quod & ipſi parum experti perpendunt : proindè, quas nec à doctrinâ, nec ab experientiâ, nec à ſecretis Chymiæ & Pharmaciæ laboribus habent, ſuppetias ; ab humanitate, & verborum lenociniis, quandoque officiosè emendicant. Ut proindè certiſſimum ſit, hoc ſolo & uno, quòd circa genuina Medicamentorum inventa hallucinantur ; fortunas, formam, & ἐγκώμιον Medicorum naufragari. Contemplemur enim ſine penicillo Apellem quempiam ; ſine incude Malleatorem ; aut Architectum, quem regula & gnomon deſtituunt. Quid ſunt? Truncus ſiculnus, inutile lignum, αὐτόματα, & muta Trophæa. Talem Tibi, ſine debitis præſidiis, Medicum effingito ; qui, ut inermis miles ; ſine remis & velo, nauta ; ſine oleo & ceromate, luctator; vento, arenæ, operi ſe accingat & committat. Ab hoc quid ſperes? Illud nimirum, ut in primo ſtatim certaminis veſtibulo reſiliat, domeſticæ egeſtatis memor, & adſtantis turbæ ſtrepitu offenſus, vix dimidiatas referat periodos ; anceps curam & prognoſin ordiatur ; ægros declinet, donec ſuam ludat morbus tragœdiam. Primum igitur ſalutis fundamentum & baſis eſt, talem ſibi delegiſſe Medicum & Pharmaco-

macopœos, quos ſana Theoria, improbus & aſſiduus labor Pharmacevticus, quidvis aptè ordinare & diſpenſare erudiit, ne, relictis ſalutaribus remediis, quisquilias, & rerum inconcinnas farragines, & incompoſtibiles proceſſûs imperent; qui Ægris nauſeam & exitium; viris autem & Pharmacopœis exercitatis riſum & cacchinnos accelerent: teſtante hoc quotidianâ experierientiâ.

Conſideremus iterum, quòd ſi peritiſſimis, & in arte conſummatis, viris Pharmacopœis, præpoſtera talis medicamentorum ordinatio negotium faceſſit; quid futurum ſit, ſi munus hoc deferas incurioſis quibuſdam, inexpertis, Miſo Chymicis, & ad Pharmaciam ineptis: quorum ſcopus & meta non proximi ſalus, & charitatis lex eſt, ſed, ut cum Ariſtophane loquar: πρὸς τὰ ἅλφιτα: de pane lucrando, quæſtus, & turpe lucrum: An non decumani errores inde prodibunt, in mortem uſque, eamque præmaturam, deplorandis ægris luendi? Hinc, hinc illæ lachrymæ! quòd nonnunquam Officinæ quædam tàm atro calculo notatæ ſunt, populo ac urbi ſuſpectæ, nec non inviſæ, Patientibus exitiales, Medico probroſæ: eò, quòd non rarò ex illis Medeæ fraudes reproductæ, & Circæa pocula ægris prælibanda ſunt allata. Piſcator ictus ſapit; &, quid fidi ejuſmodi Achates, dolis & fraudibus inveterati, poſſint, expertus ſum. Quod enim, inter quadrupedes, Lupus; inter altilia, Vultures; inter undas, prædator Piſcis: hoc ſunt, inter homines, ejuſmodi Artifices. Viciſſitudines igitur humanas, & ſortem calamitoſam, mecum contemplatus, humano generi, divino illi ſimulacro & prototypo, quod θαῦμα τῶν θαυμάτων,

animal adorandum, & Templum DEI, ſacra Antiquitas ſuſpexit, aliter parentare non potui, quàm obſequioſâ mente, & indefeſſis conatibus, ejus languoribus ſuppetias itum, Diſpenſatorium tale erigendo, quod, longâ Praxi, ac infallibili experimento, certiſſimum, in viam Regiam ac tutiſſimam Medentium normam aſſereret, ac ab interitu Ægros vindicaret. Enim verò, ſi quæ hactenus in Republicâ Medicâ aut viciſſitudo, aut remora fuit, quæ doctiſſimorum Medicorum conatûs improbos, & tentamina ſæpe irrita fecerunt ac deluſerunt; aliud quid ſub cenſum vocare, aut incuſare, minimè poſſumus, quàm minùs dextrè, & manca ad nos tranſcripta Diſpenſatoria, quibus illi hactenus tributarios ſubjecerunt affectûs, ac, Veterum erroribus nimium credulî, ſubſcripſêre. Sic per traducem, & hæreditariâ labe, in noſtram usque ætatem Veterum abuſûs & errata tranſplantata ſunt; quibus etiamnum hodiè, proh nimium! detinemur. Sunt enim Diſpenſatoria nobis inſtar regulæ & amuſſis; quæ ubi à rectitudine & linea declinant; quid mirum, ſi & nos, qui medemur, hoc uſi directorio, à vero tramite deviamus? Suſcipiant igitur, & æqui bonique conſulant, hoc, proximi ardore, & de omnibus benè merendi ſtudio, inter verecundos modeſtiæ limites, nobis nonnihil caſtigatius editum Opus & Diſpenſatorium, Inclyti Medicinæ Patres; quos ſolos ut demererer, majoráque hiſce audendi, novos ſubjicerem igniculos, hanc in me lubens Provinciam ſuſcepi. Et licet hæc ſeriùs, ac multùm declinante jam vitæ termino, peregerim, noviſſimâ quaſi horâ in vineam aggregatus; meo tamen non defraudabor bravio & mercede, utpote qui miniſterium Domini,

juxta

juxta menſuram crediti talenti, fideliſſimè complevi. Neque diffido, quin ſuper plura conſtituendus & elocandus ſim, qui in paucis hiſce DEO & Proximo fidelem ſervum me exhibui. Hæc etenim ſola & una eſt in humanis uſura, non tantùm licita, ſed & omnibus æmulanda: benè merendo, & charitatis vinculis proximum conſtringendo, Ipſum altiſſimum, qui eſt ignis conſumens, totus charitas & amor, velut totidem arcanis vinculis ſibi devincire ac reddere debitorem.

Quàm verò arduum & ſalebroſum hoc iter meum & inſtitutum fuerit, Tibi L. B. contemplandum offero, qui inter ſpinas & tribulos, furores & invidias, me jugiter converſantem à longè proſpicis. Non enim dies una, & nox ſola, hanc litem dirimere potuit. Menſes, & complures annos conſecravi; ſanitatis (utinam non vitæ!) tàm ſeveram inter Praxin, & irrequietos labores, paſſus diſpendium ſum; ſomnum & quietem divendidi: optimè mihi conſcius, hæc ſtertendo non evenire, παρεγχείρησιν & applicationem manuum requiri, laboribus denique omnia Superos elocare: quanquam moleſtiæ ſenſum & ſudores ea non accerſant, quæ ultrò, & publico emolumento, tranſiguntur. Neque verò deerunt, qui ſudores meos Λεπολεξίας, & veniloqua nugamenta, definituri ſunt, cavillando dicentes; Obvii cujusque fore, ejuſmodi Diſpenſatoria erigere; nec plus virium ac ſtudii requiri, quàm ſi Genialem aliquem recenſerem Apologum; cum Apuleio, laudarem Aſinum; cum Favorino, Therſiten; cum Seneca quopiam, velim Claudii ludere Ἀποθέωσιν. Quibus tria hæc ex Curia dicta ſufficiant: *Dulce bellum inexpertis.* Conſtanter interim aſſevera-

verim, munus hoc Philoſophum Arte & Naturâ inſtructum requirere, Medicum, eumque Practicum, Chymicum & Spagyrum, nullius laboris pertæſum virum, ſerium & conſtantem. Quocunque enim horum deficiente, Ars claudicat, Pharmacia manca eſt, Officinæ noſtræ proſtituuntur. Communis igitur calamitas, & deplorandus noſtrorum Diſpenſatoriorum ſtatus, ſtimulum & calcar mihi addidêre, ut, nullum penſiculando laborem, neque curarem, quonam calculo iniquiſſimi hujus ævi cenſores, qui propria ſolùm adorant, aliena verò, vel, cum Democrito, omnia rident, vel, cum Catone, reprehendunt, non videntes manticæ, quod à tergo eſt, quaſi verò, ſuperſtitioſâ Poëtarum metempſychoſi, emiſſa ex Elyſiis voluptatibus Hippocratis anima in eos remigraſſet, ſuffragentur.

Ut autem ab Univerſalibus ad Particularia digrediar; hoc ipſum pluribus demonſtrabo, quàm multa in eum conſpirare oporteat, qui ſimili oneri, & concinnando Diſpenſatorio, ſeſe accingere cupit: ex quibus, veluti notis characteriſticis, B. L. inferre poterit, quòd Diſpenſatorium hoc noſtrum genuinum ſit norma & idea, ad quam alia conformari poſſint. Addiſcet præterea Philiater, quâ ratione Compoſitiones medicamentorum propriæ, & juxta leges artis paratæ, à ſpuriis, mendoſis, & apocryphis diſtingui debeant; ne & ipſe deinceps à turpiſſimi lucri heluonibus, & pſeudo-Pharmacopœis, in eandem naſſam & conſortium trahatur: pro quo ſequentia breviter animadverto:

Calleat inprimis ejusmodi Scriptor exactè Pharmaceuticam artem inſimùl, & Chymicam: ſit inſtructus Phyſicis Præ-

notio-

notionibus ; quibus naturalium , ſeu Medicinalium ſubjectorum, ac rerum naturas & craſin, quæ in tribus regnis latitant, exactè ſcrutetur & penetret ; quid nimirum, & quantum , in quolibet ente lateat ; ad quæ aptum ſit : quæ ſola eſt vera Philoſophia, juxta mentem Baſilii Valentini, quaque ſi quis deſtitutus eſt, circa inane punctum rotabitur, erroribus plenas medicinas præſcribet, Diſpenſatorium inaniter meditabitur , abſurda abſurdis junget ; ſibi & poſteritati injurius.

Deindè habeat per modum infallibilis principii & theorematis ; non quodlibet ex quolibet fieri, nec quodlibet cuilibet aptè uniri ac permiſceri poſſe. Item : Omne recipiens recipere non ad quamvis, ſed ſuæ ſaltem receptivitatis , rationem ; nequaquam verò ad imprimentis modum.

Præterea noviſſe convenit , è quibus rebus & ſimplicibus Syrupi commodiùs parari valeant ; & rurſum, è quibus Aquæ præſtantes elici & deſtillari ; quæque ex toto ad deſtillandum apta vel inepta ſint ; quæ Decoctionibus & Extractionibus aptiora ; quænam in Pulveres, Pilulas , Trochiſcos , Electuaria, convenienter redigenda, ab unâ ; quæque, ab alterâ parte, ad Emplaſtra , Olea cocta , & Unguenta &c. conficienda magis idonea veniant ; ne virtutes earum (dum ad illud , quod non conveniebat, neglecto eo , ad quod naturâ ſuâ ordinata erant, ex iis, præpoſtero ordine, parandum & exprimendum aſſumpta) deſtruantur ; vi & energiâ ſuâ, ſiniſtrè procedendo, priventur, aut fruſtra ſaltem accumulentur. Conandum enim apprimè eſt, ut ſubjecta, ſeu ſimplicia medicamenta, unione homogeneorum potiùs intendantur ; quatenus virtus, juxta Philoſophum,

phum, unita fortior, per congruas solutiones solubilium, & amplexum quorumcunque miscibilium.

Tertio & hoc observandum, ut, quantum factu possibile, multum virtutis & virium pauciori, vel exiguæ quantitati cujusdam medicamenti, sive simplicis, sive compositi, imprimatur, & veluti concentretur; ac ne quicquam illorum in præparatione, vel coctione, destillatione, aut aliâ quâvis operatione, deperdatur; sed integra conserventur.

Necessum porrò est, Quartò, ut homogenea homogeneis, similia similibus; & quæ, ad producendum effectum, univocâ ratione concurrunt, jungantur; neutiquam verò talia, quæ contrariis qualitatibus sibi repugnant & dissident, agglomerentur. Taliter peccant ii, qui laxantia, adstringentia, diaphoretica, dispellentia & allicientia virus, narcotia, & stuporem inducentia, aut ea, quæ virtute alterante, calefaciente ac refrigerante simul, & consimili virtute gaudent, in unum cogunt, quæ suâ contrarietate, & ametriâ, composita medicamenta nociva & inefficacia reddunt, & dissitis qualitatibus unitatem & harmoniam compositi intertuibant: ut proinde certissimum sit, Medicum suo fine inter curandum frustrari, irritaq; reddi omnia.

Quintò, nosse oportet, quæ Medicamenta, Composita atq; Simplicia, è recentibus; quæq; ex aridis & siccis, decenter paranda; & quo anni tempore id fieri expediat; utrum omnia simùl & semel; an successivè colligenda: item quâ ratione conservanda, donec salvis viribus conjungantur.

Sextò,

Sextò, quod, velut Practicum documentum, accuratè obſervandum, ut nimirùm in omnibus ſenſatum ſe exhibeat Medicus; & rationem conſulat: quæ, cùm recta ſit, omnem litem dirimit. Nimirùm, non ſeduci ſe patiatur Authoritatibus, & abuſu Veterum, ſi quando ratio, experientiis fulcita, aliud, vel contrarium, ſvadeat. Si verò contrarium attentaverit, & non, quà eundum, ſed quà itum, proceſſurus ſit, ſibi imputet, ſi doloſi, & in Rempublicam Medicam injurii, ſeductoris notam incurrerit: utpote per quem maleſana dogmata & errores vigent, palliantur, celantur, & in immenſum propagantur, pœnas DEO & Poſteritati meritas daturum. Conſideret denique ſtatûs & conditiones hominum, ut pro menſura fortunarum & loculi medicamenta deſignet; adeò, ut nemo ſit, cui charitas debita, & manus Medica, ſubtrahatur, ſed æquè pauperibus, ac divitibus, ſatisfieri queat. Tandem & hoc vel maximè expedit, ut præparationes tàm ſimplicium, quàm compoſitorum medicamentorum perſpicuâ & intelligibili methodo ac ſtylo, conformiter, ac ad præcepta & leges artis, (prout ſuprà deductum,) Pharmacopœis præſcribat. Niſi enim dilucidè illarum præparationes exprimantur; tum quilibet, peritus pariter ac imperitus, Pharmacopœus, pro captu & genio ſuo, quævis medicamenta præparabit: exercitatus & Peritus, dextrè & legitimè; Rudis verò & Idiota in arte, perfunctoriè, ruditer & perperam, pro ſui intelligentia. Ut mirum proindè non ſit, ſi medicamenta differentia, & toto cœlo diſcrepantia, ex tàm anomalo diſpenſandi & præparandi modo reſultent. Quemadmodum enim, apud Juris-Conſultos, unicus quan-

doq; Asteriscus, clausula, aut terminus, causam & casum ex toto variat: sic, in foro Medico, siniſtra manipulatio, & illegitimus vel minimus procedendi modus, totum Compoſitum mutabit; & medicamentum differens, ac aliter operans, producet, ut proindè ſatis non ſit tritum illud & Laconicum: Fiat ſecundùm artem: hoc, vel illud, compoſitum, vel ejus præparatio. Oportet claris terminis præparandi modum indigitare; cæteroquin è minimis etiam graves errores pullulabunt.

Ex his conſtabit, quàm arduum ſit, medicamenta dictô modô legitimè concinnare, compoſitiones dexteras, & artificioſas, deletis erroneis, ſubſtituere, proceſsûs & formulas Authorum reducere, tritam denique ac Regiam viam, evitatis labyrinthis, calcare.

Qui labor tametſi Herculeus ferè fuerit; eundem tamen, à minutiſſimis ad maxima procedendo, in Tui ſolius, Lector Amicisſime, commodum, & futuræ Poſteritaris emolumentum, ſuſcepi ac finivi; in eoque exantlando nervis omnibus ſenſibusq; intentis, benigno cœli Numine prælucente, viresq; nobis gratioſè largiente, nulli tempori & operæ parcere volui. Tu interim vigilias meas, tanquam ſincerum in Te obſervantiæ meæ τεκμήριον & monumentum ſuſcipe, ac æqui bonique conſule.

Unum adhuc, L. B. obſervare Te velim; quòd in ſingulis Claſſibus, compoſitiones & medicamenta ad viſcera principaliora, variosq; particulares affectûs, direxerim; adeò, ut in quavis ferè Claſſe, ad quemcunq; morbum humanum, explicitè, vel implicitè, pretioſa remedia deſcripta invenire liceat, quæ vulgaria

ria non ſunt, ſed rationibus Phyſicis & Medicis, experientiaque ipsâ obſirmata. Omnium autem & ſingulorum cauſas, cur hoc vel illud additum, aut demptum, huic vel illi admiſcendum, ubique graphicè deſcribere non potui; cùm vaſtiſſima volumina his debeantur: quibus vita unius hominis, reliquis negotiis interdicens, tota abſorberetur. Quidquid autem editum à me legeris, rationi & experientiæ conforme deprehendes; & nihil perfunctoriè aut tumultuosè adjectum eſſe. Conatus ſum præterea, per omnia, recto tramite incedere, Veterum errores cavendo, nec Recentium inventa omnia affectando; meliora tamen, pro viribus, ſectando. Hæc commemoro, non, quòd, per contemptum aliorum, propria Trophæa firmare velim, aut ex proprio cerebro, Palladem me genuiſſe, credam. Quin palàm confiteor, me prima fundamenta, Componendi & Præparandi medicamenta, à Veteribus hauſiſſe; quibus hanc ob rem, lubenti animo, & gratâ mente, originem, uti debeo, ita tribuo. Verùm cùm hæc inventa Medico-Pharmaceutica accuratiùs luſtrarem, magnaq; ex parte manca & mutila, quandoq; ſuperflua & inconcinna, deprehenderem; uſus ſum delectu, & bona retinui, mala verò reprobavi; inutilia & ludicra ſegregavi; defectus ſupplevi; meliora ſuggeſſi; ac optima quæque, propriâ experientiâ firmata, de meo ſubſtitui: nihil eorum ſubticendo, quæ ſecretâ manu, & labore, tot annis, ſtudii & Praxeos continuatione aſſequtus ſum. Quanquam & meam hîc fatear imbecillitatem, quòd eôdem labyrintho, mille circumactus anfractibus & Mæandris oberraverim, donec felicior Ananias obvenit, qui oculos meos tetigit, & caliginem, quâ cum Antiquis cœcutiebam, velut ſquam-

mas, removit, ut deinceps, in lucem assertus, dux essem cœcorum, & Antesignanus proficientium. Hanc mihi proindè prærogativam, inter modestiæ limites, vendico; quòd primus Dispensatorii informem massam in vitam animaverim, ad sacram æmulorum invidiam. Et de hoc Dispensatorio nostro, in quo non verborum lenocinia, sed remedia, esse voluimus, audacter assevero, quòd hinc indè compilatum, mutuatum, & corrasum non sit, aliorumq; scriptis & fragmentis, quasi alienis corniculæ plumis, decorum; sed proprio Marte comparatum, novum, & Regium, Pharmacevtico-Galeno-Chymicum. Si qui tamen temerè hoc impugnare vellent (uti reipsâ quidam attentarunt) ipsi se Græco illo arguant, dicentes: cur turpiter ὑπὲρ τὰ ἐσταλμένα πηδῶ; extra limites salio? Cur ultra crepidam judicium fero: cum rudis, & in arte inexpertus sim; vix in hac Chymicorum & Pharmacopœorum palæstra adhuc Tyro? Quòd si tamen excitatioris ingenii Vir quispiam rivales mecum habuerit conatûs & ausûs, quem præmaturo hoc partu meo anteverti; hic ne Laurum, quæ inter sudores mihi accrevit, invideat: firmiter sibi persuadens, eandem patere semitam ad honoris vestibulum, ubi pari ausu in stadio decurrerit & certârit: quin imò ad majora enitentibus ampliora donaria, gloriam, & famam decreta esse *Viritutis* enim *pedisse-qua gloria.* Hortor etiam egregios, & inter Medicos eminentes, Viros jam doctos, ut, si defectûs quospiam (quod humanum est) inter fori strepitûs, & irrequietam Praxin, subintrâsse deprehenderint, eosdem amicâ lenitate corrigant, obscura decidant, ac propria substituant; sibi & ægris consulturi. Interim me consequantur, quò facem prætuli, qui primus glaciem perrupi: accendantur

dantur meis, quos subjeci, igniculis, æmulentur vestigia, &, pro talenti concreditâ mensurâ, rem Medicam provehant & tueantur, humanum genus à morbis & morte vindicent, &, velut totidem Deucaliones, feliciter reparent. Faxint Superi, ut bono omine hoc discordiæ pomum, in palæstram Medico-Chymico-Pharmaceuticam primus jecerim, & multa præclara, & reconditæ sapientiæ ingenia ævi nostri, ad paria, & majora, audenda concitarim: lubens palmam & herbam porrigam, meliora dogmata amplectar, qui addiscendi cupidissimus; nec non,

qui volet ingenio cedere, primus ero.

Ad vos proindè, genuini Aquilarum fœtûs, felicissimi Artis Filii, convertor, cum divino Sene Laconicum illud identidem vobis occinens: Ars longa est, sed Vita brevis. Eheu! brevis. Sisto vobis quoq; Cordubensem Philosophum, Hippocratis Aphorismum limitantem: *Non exiguum*, inquit, *temporis habemus, sed multum perdimus: ita est, non accepimus brevem vitam, sed fecimus; nec inopes sumus, sed prodigi. Vitâ si scias uti, sat longa est.* Hæc ille. Vindicemus tempus, dum præsens est, futurum & præteritum nostram eludunt potestatem: præteritum stricta Nemesis exigit; futurum pro voto adjiciunt fata; de præsenti nos disponimus. Proindè manum aut tabulæ, aut stivæ, applicemus; curramus in stadio, donec bravium apprehendamus; luctemur, donec inter turbines & persecutiones eluctemur. Sic Majores nostri tentando ad Trojam pervenerunt, thesauros honoris & scientiæ nacti, vitam brevem cum æternâ commutarunt. Assumite vobis fidissimum Theseum, ac Ducem, DEUM; quo, sive in columnâ nubis vos præcedat, ac evitare offendicula doceat, sive in rotâ ignis anteambulet,

bulet, meliora vobis ſemper ſuggerendo ; comite & face omnia vobis proſperabuntur. Exemplo meo rem confirmate, qui procelloſum hoc iter, & prolixos labores & conatûs meos, hoc auſpice cœpi, & feliciter abſolvi ; cujus unico nutui, quidquid terra & mare periculi minitantur, obſecundant. Finem facio, vosq; denuò & hortor & obteſtor, Inclyti Medicinæ Proceres ; cùm ars longa ſit, vita verò, præſertim mihi, reſidua & brevis & declinans ; humeris & talentis veſtris ſuccollate, qui everrendo & exhauriendo tàm vaſto pelago, quale Medicina eſt, defeſſus ſuccumbo. Inventis noſtris addite, artem propagate, Medicinam excolite. Sic fiet, ut ætas noſtra ævum Galeni & Hippocratis non tantùm adæquet, ſed & longiſſimè antevertat. Conſiderate obſecro, quod tàm ampla & lata meſſis ſit ; meſſores verò, & operarii, pauci. Ego ſtationem meam fideliter abſolvi, manipulum, quem inter ſudores & labores ſeminavi, fideliter meſſui & reportavi. Ite & vos, ſive in vineam, ſive meſſem ; utrobiq; Vos Proximi charitas, Lex DEI, præſtolatur, vocat, & invocat, ut vos in paucis fideles, ſuper multa conſtituat in Regno ſuo. Interim & Ego, quoad ſpiro, proximorum ſaluti me impendo, vitamq; meam curriculum Philoſophicum definire auſim ; & cum ſapientiſſimo Græcorum, Solone, hoc mihi poſthumum inſcribere elogium : *Seneſco, ſemper plura addiſcens.* Suſcipe igitur, Amice Lector, hoc Regium opus noſtrum, quod aptiùs longè, quàm olim Aulus Gellius hiſtorias ſuas, quas Noctes Atticas intitulavit, Noctes Vienenſes nuncupare poſſem. Faxint Superi, ut hæ noctes meæ olim tibi præbeant auſam, ut eas, cum Alexandro ab Alexandris, dies Geniales compelles, & experiaris. Val. Dabam Viennæ, Anno M. DC. LXVII.

PHAR-

IN

PHARMACOPOEIAM REGIAM.

Ippocratis Divi carpens Helmontius Artem,
Galeniqúe simul dogmata vera negans,
Desipit, ut cuncti, quos gloria vexat inanis;
Omnia qui carpunt, nec meliora docent.
Non spernit *Zwelfer* Majorum dogmata, sed vult,
Quod ratio dictat, nobilitare magis.
Jucundè, subitò, tutò, qui corpora sanat,
Hunc Medicum quivis laudat, honorat, amat.
Talia cum nobis monstret medicamina *Zwelfer*;
Quilibet hunc meritò laudet, honoret, amet.

Sic precatur

Tobias Czaschelius, Med. D. & Sacr.
Cæsar. Majestat. Personæ Medicus.

CARMEN ENCOMIASTICON
Extemporale:

In honorem, & gratiam, de re Medicâ propter publicatas Exercitationes in Pharmacop. Augustan. utilissimas & laudatissimas, optimè meriti;

Nobilissimi & Clarissimi Viri, Dni

JOANNIS ZWELFERI,

Artium & Med. Eximii Doctoris,

ab Amico & Fautore benevolo conditum.

PRodiit Undenis, patrio famosa nitore,
Augustana novis Pharmacopœia typis,
Nempè novis toties facta & natalibus aucta,
fœcundum docuit se cumulare librum.
Et fœcunda satis fuerat, nisi adultera prolem
passa foret spuriis dedecorare suam.

Sed

Sed quia laſcivo ſtimulata frequentiùs Oeſtro
diſſimilem fœtûs protulit illa gregem:
Crevit in immenſum, variis jam partubus ampla,
donec tanta ſibi copia facta gravis.
Auguſtam tandem miſeratus Cynthius Urbem
vellicat, & memorem nominis eſſe jubet;
Nominis Auguſti, quò nil præclarius unquam
cuncta videns toto Phœbus in orbe videt.
Hæc parens monitis, fœtum circumſpicit omnem,
quem ſpurio peperit Pharmacopœia ſinu.
Vidit, & in caſſum tantos abiiſſe labores,
ingemuit; prolem pœnitet eſſe ſuam.
Vidit, & obſtupuit; tantum non eluet undis
Heu! facinus, dicens; Vindalicusq; ſuis.
Protinus exclamat; noſtros, Hygiéa, penates
quæ colis, aſſuetos ſiſte ſuperba gradûs.
Jam ſatis eſt luſum: ſat, luxuriaſſe tot annis:
nunc decet alterius ſubdere colla jugo.
Scit DUODENUS, *ait, noſtræ reparator Hygiæ,*
Æquus & hic lacrymis arbiter eſto tuis.
Nec pigeat, tanto documenta audire Magiſtro,
cujus judicium vel Themis ipſa probat.
Hic rerum vires, artemque repandat, & uſum.
corrigat hic nævos, Pharmacopœia, *tuos.*
Felix ZWELFERUS, *felici ſydere natus,*
qui genio ſuperat ſecula multa ſuo.

Barthol. Moſer, M. D.
P. P. Diling.

Clariſ-

Clariſſimo Medicorum Lumini,

ZWELFERO,

Alcaïcum.

QUalis noctifero carcere nubium
Eluctans tenui Phœbus anhelitu,
Coruſcus referat nubila turbida,
nigrantem nebulæ diſſipat orbitam;
Mox totis referans magna canalibus
(Improviſa velut flumina Nereus)
flagrans bella movet, non ſine ſiderum
Accentu, profugas æthere nubium
Turmas ejicens, recreat omnia.
ZWELFERUS paribus dimicat ignibus,
Diſpenſat radios non jubaris tenax
Doctrinæ, nebulas diſſipat æmuli,
Et denſum invidiæ degeneris globum.
Jam major radians Pharmacopœia
Quam promit noviter, ſub pede morbidam
Calcans invidiam, quidquid & æmulus
Ingeſſit nebulæ, livor, atræ fugans:
ſublimis ſolio, ſydera quà patent
lumen per populos largior explicat.
Ut cautes, medio immobilis æquore
ſpernit terrificûm jurgia fluctuum,
ut cedrus, viridi vertice montium,
Quaſſata Æolio brachia turbine,
Tempeſtate viret, grandine proficit.
Quàm ſe Europa procul porrigit, & ſuis
Extendit ſpatiis, ſignificat tuum
nomen fama volans, ter-gemino tubæ
non mendax lituo. Gens Academica,
Et famoſa petunt atria Cecropis,
quos nervos referas divitis ingenî.
Tu raris etenim præditus artibus,
libris inſtituis reddere opem malis:

Et non antè datis auxiliis, potens
morbos præpediat vis medicaminum.
Quod vulgas, opus eſt non modò Regibus
Dignum: Templa colat ſed magè Numinum,
ſeu Grynée tuum, ſive Epidaurii.
ZWELFER, Nobilium gloria mentium!
Quæ digna mentis laus erit arduæ?
Pennis per liquidum grandibus aëra,
Te cuncti populi fata Quiritium
ſupra, non humili ſidere, provehant,
evectumque ſuper, Te ſapientia
clarum ſtelliferis nubibus inſerat.

ZWELFERUS.

Ἰητρὸς γαρ ἀνὴρ πολλῶν ἀνταξιος ἄλλων
τὶ χειρων ἐδίδαξε δικαιότατ' Κρητα ὑρων
ποδαλειριὸ νὸς Μαχάων.

Zwelfero ſuo, viro incomparabili, aggratulatur

Joannes Adamus Spenholz, Facultatis Viennenſis Medicus, p.t. Phyſicus Jaurinenſis.

Calliope ad Apollinem:

DUm, Phœbe, umbriferis reſides Heliconis in agris;
Aurea Parnaſſi dum tua ſceptra quatis:
Vix inter gentes, vix inter prodiit ulla
Proles, terrigenos, Pœoniosq; viros,
Omnia naturæ ſapientiùs ubera ſuxit,
Pharmaca morboſis, quæ, meliora dedit.
Digna hæc, quæ celſo ponantur Pharmaca Pindo;
Muſarumque inter quæ referenda Choros.
Extremis ſoboles hæc decantabitur oris:
Sic Afer pſallet, ſic reſonabit Arabs.
Cedrus in occiduis ſparget tua nomina terris:
Usque ad Gangetis Fama volabit agros.

Igni-

Ignipotens quidquid ſacrâ Hermes claudit in Aulâ,
Ceu fervens Ajax, eruit illa foras.
Mirandus cernens venientia ſecula vires:
quas, inſtar Solis, per tria regna legit.
Quas Myſta hic Phœbi, quantasq; Aganippidos undas
Ebibit! & lymphas hauſit ab ore ſacras!
Si facta Heroum ſacro ponuntur Olympo:
Ter digna hæc Pindi ſcripta locanda jugis.

Ita, in laudem Clari Authoris, Calliopes nomine cecinit

Fridericus Ferdinandus **Ilmer** / Phil. & Med. Doctor, P. P. Viennæ.

An

[Tit.]

Herrn Johann Zwölffern / Philoſ & Med. Doct.

Käyſerl. Hof-Medicum, und weitberühmten Practicum, in der Stadt Wienn.

Als derſelbe ſeine Pharmacopœiam Regiam **zum andernmal** ließ ausgehen.

EHr Machaon unſrer Zeiten/
Zwölffer / hochbeliebter Mann/
Den man / der Vortrefflichkeiten halber/ nicht gnug ſchätzen kan/
Die Ihm Æſculap gegeben/
vor viel andern / die jtzt leben:

Ich hör euch zum öfftern klagen
über Zoils **Ungemach** /
Und doch nach der Urſach fragen/
darum er Euch ſtellet nach.
Soll ichs ſagen? Wolt ihrs hören?
Ich wills Euch gar balde lehren.

Weil/was Hermes hat geſchrieben/
und Galenus ausgedacht/
Ihr von Jugend auf getrieben/
und Euch wolbekandt gemacht:
Und wiſſt / **wie man rechtbekriegen** müſſe Mortam, und obſiegen.

Wolt ihr / daß ich eine Probe/
an ſtatt tauſend/ bringe bey?
So ſag' ich mit wahrem **Lobe**/
daß/nächſt Gott/ Herr Zwölffers Treu
Der/ die ich/ **gleich als mein Leben liebe**/ **hat das Leben geben.**

Dann da schon ein jeder dachte/
Morta würde liegen ob:
Aber Euch der Wagen brachte/
wandte sich das Blat/ Gott Lob!
Daß sich bald nach wenig Stunden/
Ihre Kräfften wieder funden.

Wann dann nun durch Euer heilen/
und die Bücher die ihr schreibt/
Viel der Morten Hand enteilen/
Was ists Wunder/ daß sie treibt
Zoilum, auf Euch zu stechen/
um in etwas sich zu rächen?

Aber was wird wol ausrichten
der elende Zoilus?
Weil doch all sein Thun und Dichten
sich vor Euch verkriechen muß:
Dann des Käysers Huld und Gnaden
macht/ daß jener nicht kan schaden.

Drum so last Euch nichts verwirren/
bringt der Nachwelt ferner bey
Wie in Curen/ sonder irren/
glücklich zu verfahren sey.
Schreibt! selbst Phœbus wird belieben/
was Ihr habet aufgeschrieben.

Schrieb dieses//
zu bezeugung seiner//
wegen offterzeigter treuen Dienste//
herzlicher Affection
und schuldiger Danckbarkeit//

Der Königl. Frey-Stadt Oedenburg//
in Nider Ungern/ der Zeit verordneter
Burgermeister
Georg Grad.

Prænobili ac Doctissimo VIRO
DOMINO

JOANNI ZWELFERO,

A. A. Philos. nec non saluberrimæ Medic. Doctori, Fautori & Patrono suo gratiosissimo, in grati animi signum, lubens canebat.

QUò tua te Doctrina rapit, *Zwelfere*, supremum
Conscendis Medicinæ apicem; fastigia rerum
Summa tenes salubri Pharetratii in Apollinis arte.

Túque

Túque novus Medicinæ Atlas, jam ferme cadenti
Impavidos moli tantæ ſub digitis artûs.
Ipſe tuum miratur Opus Podalirius, arte
Inſignis quondam Medicâ ſtupet ipſe Machaon,
Totque ſalutiferæ venerandaque Numina Turbæ.
Oriris, *Zwelfere*, novum jubar, atque tegentes
Diſpellis tenebras venerandi Hippocratis artem.
Tu radiis, *Zwelfere*, tuis, fulgore recenti,
Morborum genus omne fugas, triſtemque ſenectam
Ingenio, *Zwelfere*, tuo properare retardas,
Exitium generi humano pertriſte ferentem.
Pro meritis tantis, manibus date Lilia plenis,
Doctis Præſtantis *Zwelferi* cingite ſertis
Tempora, & Eois Caput hoc ornate lapillis.
Et quod Hymettus habet, retinent Phœacia rura,
Ponite, Jo! viridem ſacrato in vertice Laurum.
Aurea, Docte, Tuum, *Zwelfer* ſuper æthera Nomen
Cantantes ſublime ferent ad ſidera Cygni.

Chronographicum:

proDIt opVs, perbeLLe tVVM, ZweLfere: perenna!
Vive rei in Medicæ tempora longa bonum.

1666. 5. Aprilis.

Ita optat

Infimus clientum

Joannes Martinus Imler,
Med. Doctor.

Uber die Preis- würdige Pharmacopœiam Regiam:

[Titul:]

Herrn Johann Zwelfers/der Artzney weitberühmten Doctoris, und Käyserlichen Hof- Medici.

Als selbige zum andernmal gedruckt wurde.

NUn/ **Welschland**/ wilt du noch auf diesen Wahn bestehen/
Die Götter haben uns ungnädig angesehen/
In unser Teutschen Welt/ wie (a) jener dich bericht? (a) *Cornel. Tac. de mor. Germanor.*
So ist doch/ bitte ich/ was an das Tage- Licht
Herr Zwelfer abermal mit solchen Ruhme gibet/
Daß es **selbst** Æsculap, der Aertzte Gott/ beliebet/
Und **lesens** würdig hält: Weil es zeigt ohne scheu/
Doch wolgegründet/ an/ mit was vor Phantasey
Vor zeiten man curirt; und wie man forthin müsse
hierinnen **besser gehn**/ wenn man nicht **blinde schüsse**
und fauten machen will/ dadurch die **edle Kunst**
bißher bey vielen hat verlohren Ruhm und Gunst.
Dem aber **hilffe nun ab Herr Zwelfer** wann man höret
und thut/ was er mit grund **in seinem Buche lehrt**/
auch in der **That** beweist. Was demnach schuldig ist
der Griech dem Hippocrat, das wird zu aller frist
Der **Teutsche** schuldig seyn **Herr Zwelfers** weisen Sinnen/
Darüber Hippocrat zu **wundern** sich beginnen
selbst würde/ wann er nur **sein Buch** durchblättern solt/
und sagen: **Seine seyn wie Silber**/ **Diß wie Gold**.
Wär ich geschickt darzu/ daß ich ein Urtheil fellen
hie könnte/ wolte ichs auf diese Weise stellen:

Was von der Medicin man hat bisher gelehrt/
Das wird durch Zwelfern jetzt verbessert und vermehrt.

Sätzte dieses
Um dem Herrn Autori seine höchstschuldige
affection zu bezeugen
Des Käyserl. **Stadt und Land-gerichts beysitzer/**
und Nider-Oesterreichischer Landschafft-
Apotecker/ **in Wien**

Fridrich Müller von Löwenstein.

Sonnet-

Sonnetto:

SOn Joann Zwölfer, dodeci parolle,
il Sol lumina, l' Anno in tanti meſi,
Tanti ſegni Celeſti ancor compreſi,
dodeci dico in Ciel lucente ſtelle.
Zwölfer, ſette parolle, ſon anch' elle,
ſette ſono i Pianetti, in Ciel diviſi,
tutti J' iai tu nel Anima tua aſſisſi,
quei lumi ô ſtelle, ſi lucent è belle.
Queſta opera tua è un vero ſegno,
che l' arte noſtra illumini & illuſtri,
con il celeſte tuo Lume & ingiegno,
Teſſan Corone di Roſe, è di liguſtri,
ogn' un per coronarti; è ſei ben degno,
di gran merce, de tuoi gran ſtenti onuſti.
Li Recipi vetuſti
Sublimi è refini ai ſpeciali
per cio Zwölfer ſei ſcritto fra immortali.

In honore faceua queſto Sonnetto
Radtkersberg vel Styria inferiore
Gioh- Battiſta Juliani Pharmacopeo
ordinar. dell Illuſtriſs. Regione.

I.

Salomon.

FInd ich hier meinen Geiſt/
Der deine Bruſt beſpreiſt?
Wie ſeh' ich die drey Reiche prangen
In dir/ der Krancken Troſt/
Ob dem der Neid erboſt/
Weil ich in dir nicht bin vergangen!
Glück/ weiſer Zwelfer! zu/
mein Nahm heiſt: Fürſten-ruh:
Da crône ich Dich mit/ du Fürſt der Medicin:
So will ich/ daß man Dich
ſoll nennen ewiglich.
Schreib biß zur Götter Zahl: GOtt führet deinen Sinn.

II.

Apollo.

REcht kluger Jesen-Sohn / hast du den andern Hermes so gepriesen;
Den er den Geitzigen hat sichtbarlich ihr Augenfell gewiesen.
Der ich den Jsop hab zum erstenmahl erquickt
und herrlicher das Feld des Königes gestickt
Als Salomonens Pracht:
Seh' niemand / der gebracht
Die Medicin so hoch / die Fehler abgeputzt /
Und siht / daß Flügel-loß / der Warheit Thraso trutzt.
Drum wachse Zwelfers Preis /
So groß mein Sonnen-Creiß.
Jch will des Mannes Stamm in seinen Zweigen ehren:
Sein Nahme soll sich mehr denn Zwöffmahl tausend mehren:
Zum Zeichen meiner Huld / versprech ich diesem Mann /
Was ich im Hertzen hab: Sein Sohn wachs Himmel an!

III.

POEON.

à quo Pœonia, pernobilis Radix.

MEil er meinen Künsten gleicht /
Soll er mir auch zur Rechten sitzen /
Weil er keinem Feinde weicht:
Drum will ich meine Wurtzeln ritzen /
Und auszuwachsen schreiben ein:
Herr Zwölfers heller Federschein
Bringt an das Tagelicht
Was wider Frisel-Haupt- und Nerven-weh:
Jch weiß / daß Er gefunden einen Klee /
der selber mir gebricht.

M. J. S.

PHAR-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI CLASSIS PRIMA, SYRUPORUM ALTERANTIUM, Mellium, Juleporum, Mivarum & Rob, veram componendi rationem explanans.

QUandoquidem intendimus Apollineam rei Pharmaceuticæ spartam exornare, auctiorem, Artique & Naturæ ingredientium convenientiorem reddere: pro viribus desuper gratiosè nobis concessis, constitutum est, post Animadversiones in Augustanam Pharmacopœiam editas: post Pharmacopœiam Regiam Animadversionibus adjunctam: & post Appendicem in Utramque superadditam, in hoc studiorum genere aliquid absoluti in lucem dare, & quod experientiâ quotidianâ in laboratorio consequi, priusque præparare quàm scribere licuit, perfectum concinnare Dispensatorium, juxta Classes Dispen-

ſatorii D. D. Auguſtanorum *diſtributum. Cùm verò conſvetudinis lex nobis præciperet, ut hederam & præconem, ſeu prolegomena quædam, in primam præſertim Claſſem, præmitteremus, quid ſcil. nominis & etymi Syrupus, quis Veterum & Recentium uſus Syruporum ſit, & plura his affinia; his autem in præcedaneis Animadverſionibus ex aſſe ſatisfecerimus, ne actum agamus:* Lect. Ben. *eò directum volumus, interim nos dexteris Syruporum Compoſitionibus accingentes.*

SYRUPUS DE ABSINTHIO STOMACHALIS ET HEPATICUS.

℞. Herb. recent. Abſinthii uncias ſex,
Menthæ criſpæ uncias quatuor,
Roſarum recentium uncias tres,
Spicæ Indicæ unciam ſemis,
Rad. Calami aromatici recent. uncias duas,

Quæ minutim inciſa & contuſa immittantur cucurbitæ vitreæ, ſuperaffundendo

Vini opt. generoſi, vel Hiſpanici, libras quatuor,

ſient in digeſtione locô calidô die unâ, poſteà appoſitô capitellô junctarisque benè clauſis, fiat deſtillatio & abſtractio libræ unius circiter & unciarum decem. Reſiduæ in cucurbita ſpecies unà cum vappa vini (quæ exantlatâ ſpirituosâ parte totâ, eſt nauſeoſi ſaporis, odorisque ingrati, ventriculo, uti vidi, inſignem labefactationē afferens) abjiciantur. Abſtractæ verò Aquæ odoriferæ & ſpirituoſæ de novo immergantur ſequentia minutim inciſa:

Herb. recent. Abſinthii unciæ quatuor,
Menthæ unciæ duæ,
Caryophyllorum drachmæ duæ vel tres,
Nucum Moſchatarum uncia ſemis,
Maſtichis electæ conquaſs. drachm. duæ,

factaque digeſtione per diem unum vel alterum in alembico vitreo benè clauſo, fiat colatura & expreſſio, liquor colatus & per reſidentiam depuratus, filtretur, interimque aſſervetur. Tum

℞. Reſiduas ab infuſione præcedente ſpecies, additis

Herb. recent. Abſinthii unciis quatuor,
Menthæ criſpæ unciis duabus,
Rad. Calami aromat. recent. uncia una,
Galangæ uncia ſemis,
Roſarum rub. uncia una,
Santali rubri uncia ſemis.

Inciſa coquantur cum Aquæ ſimplicis libris tribus ad remanentiam libræ unius cum dimidia, colatura poſt expreſſa ac probè clarificata, additis

Sacchari albiſs. libris tribus,

porrò ad conſiſtentiam ferè tabulati coquatur; tùm demùm jungatur

Aqua ſpirituoſa ſuperius aſſervata, ac recentibus ſpeciebus imprægnata, unciæ ſcil. decem,

ac ſola diſſolutione fiat Syrupus præſtantiſſimus: *Qui ventriculi, Hepatis & Lienis imbecillitati, à cauſa frigida ortæ,*

da oborta, succurrit, appetentiam excitat, flatus discutit, facultatem retentricem confirmat, adeoq; in Cachexia & Diarrhœa à debilitate & frigida Ventriculi ac Hepatis intemperie subortâ, præstans est remedium; sumptus quotidie in vini potu, vel alio vehiculo, morbo conveniente; utpotè Vino Cydoniorum aut alterante jusculo, ab uncia dimidia, ad unciam unam.

Nota: Libuit præparationem hujus Syrupi, à priori, in Pharmacopœia Regia præscripta, non abs re immutare, præsertim in abjectione *specierum à destillatione relictarum*, propter *Vappam vini illis adhærentem*, & ab iisdem minimè separabilem, additis tamen horum locô *recentibus herbis & speciebus*, quippe quæ precium Syrupi tantoperè non augent, tanquam levi ære comparabilia, cum interim Syrupus, ademptâ vapposâ nauseâ evadat palato & stomacho gratior, acceptabiliorque Naturæ. Notetur præterea: quod præfatus Syrupus de Absinthio, pro abstemiis, *omisso vino* totaliter, substituto loco hujus *Vino Cydoniorum*, non minus dextrè parari possit, vel etiam in modum sequentem confici: utpote

℞. Succi Absinthii nostrat. probè depurati libram semis,
Succi seu Vini Cydoniorum recentis libras duas semis,

quibus immerge sequentia, incisa prius & contusa, nimirum:

Absinthii recentis uncias quatuor,
Menthæ crispæ recentis uncias tres,
Calami aromatici,
Galangæ ana unciam unam,

Rosarum rub. unciam unam semis, & factâ digestione duabus circiter diebus, coquantur ad remanentiam libræ unius semis, coletur, exprimanturque species, colaturæ expressæ, ac album. ovi probè clarificatæ adde

Sacchari albi Canarii libras duas, & denuò ad Syrupi consistentiam percoque, cui pro aromatisatione adde

Elæosacchari Cinamomi drach. sex,
Caryophyll. unc. sem.

fiat Syrupus Stomachalis præstans, cujus usus & dosis ex superioribus patet.

SYRUPUS ACETOSITATIS CITRI CUM CORTICIBUS.

℞. Succi Citri (vel potiùs limoniorum sive citriorum pomorum succulentorum parvorum) recenter expressi & depurati libras quatuor,
Quibus immergantur
Corticum eorundem pomorum citriorum recent. & extimorum unciæ sex,

factaque maceratione in vitreo vase, horis circiter XX, loco benè calente, denuò coletur, & additis,

Sacchari Canarii albis. libris sex,

fiat unâ saltem ebullitione, Syrupus præstans, ac gratus, *ad omnes morbos æstuantes ab intemperie calida, præsertim febrium, tùm malignarum, tùm ardentium, & periodicarum ortum ducentes: Cor & Ventriculum, Hepar nec non calefactum recreat, & temperat, putredini q; resistit. In dosi error facilè committi nequit; unciæ etenim aliquot de die sumptæ, mixtæ vehiculo cuidam appropriato, sive a-*

quæ pura, sive destillata, aut simpliciter cum rebus gratis & rei convenientibus cocta illa sit, non exiguo emolumento cedunt.

Nota: Concentratio *succi Citri acidi*, sive illa fiat, uti in *Animadversionibus* insinua veram, abstractione duarum tertiarum aquositatis elementaris, sive nudâ evaperatione ejusdem humiditatis superfluæ, hîc tantoperè non desideratur, tùm quia relicta in cucurbita, seu fictili, aciditas hâc abstractione non intenditur, id quod experientia rerum Magistra incredulo ob oculos ponere potest; tùm quia *succus Citri seu Limonii*, naturæ suæ genio acidus, fermentatione illâ, quæ vel cum tempore maturationis, uti acerba poma, demum mitescunt, vel in abstractione humiditatis talis emergit, potius infringitur & dulcescit, unde abit in aliam veluti naturam, nec non coloris diaphani perspicuitatem atque gratiam saporis deperdit. Et demum Pharmacopœios etiamnum amicè admonitos velim, *ne acidorum Syruporum* præparationes instituant in *vase æneo*, *cupreo*, vel *aurichalcino*; fit enim, ut *succi acidi*, non minus ac *vinum* atque *acetum* eliciant acrimoniâ suâ æruginem ex metallo, contrahantque pro confortativa, qualitatem emeticam, humanæ nostræ Naturæ violenter hostilem, & perquam nocivam; purior ergò & emendatior *acidorum & Vinosorum* præparatio succedit in *fictilibus debitè vitreatis*, aut etiam *planè vitreis instrumentis*. Consimili planè modo *Perla* in *mortario æneo* contritæ, quamquam pondus earum non augmentetur, prout super marmore attritis evenit, *solutæ* tamen in *aqua forti*, virorem quendam induunt, quo solutionem imbuunt, cujus in promptu ratio dari potest: quòd dum in *mortario & æneo pistillo* conteruntur, ipsæ duriusculæ & acuminatæ particulæ *mortarium* atterunt, & quasi reagunt, è quibus *ramentis* virore quopiam tingitur *menstruum solvens*, & vitriolatum quid redolet, mutatisque nonnihil qualitatibus, dum vires restaurare opus foret, eas potius prosternunt, nauseam accersunt, vitriolata qualitate stomachum evertunt, consimili planè modo ac fieri assolet, ubi *Aqua Cinamomi* per noctem *poculo aurichalcino* vel *argenteo* infunditur, ac *sale vitriolato* imprægnatur, virtutis emeticæ ac vomitum cientis, quod *Perlis* non accideret in *lapideo mortario* comminutis, si cæteroquin sint legitimæ.

SYRUPI EX SUCCO ACETOSÆ, ACETOSELLÆ, ET DE AGRESTA.

PArentur hi Syrupi simpliciter juxta Pharmacopœam Augustanam, vel super eandem factas *Animadversiones*, quorum virtutes etiam ibidem uberrimè expositæ sunt.

SYRUPUS ACETOSUS SIMPLEX.

℞. Aceti destillati libras duas, quibus immergantur
Cort. Limon. recent. & extim. unciæ duæ,
Arant. recent. & extim. unc. una
& factâ

& factâ maceratione die una, coletur, additisque

Sacchari Canarii albi libris tribus, coquantur paucis ebullitionibus ad consistentiam Syrupi, in terreo vase vitreato. *Saluberrimus est in affectibus calidis, biliosis & æstuantibus, imò in peste ipsa, & febribus malignis. Ex eo Julapia parari possunt cum aquis, sive coctis ex Cornu Cervino, hordeo & similibus, sive destillatis, & appropriatis; ægrúq; sic commodè propinari.*

SYRUPUS ACETOSUS COMPOSITUS.

℞. Rad. recent. Apii,
Cichorii sylv.
Fœniculi,
Petroselini,
Pimpinellæ ana unciam unam semis,
Cymarum Asparagi recent. uncias duas,
Herb. recent. Nasturtii hortensis,
Cochleariæ ana unciam unam semis,
Semin. Apii,
Fœniculi,
Nasturtii ana unciam semis:

His incisis & contusis, ac vitreo vasi immissis, superaffundantur

Aceti simplicis clari vel destillati libræ duæ,

factâ digestione per diem naturalem, fiat colatura & specierum expressio; acetum hoc colatum & expressum per filtrum opt. clarificetur, interimque asservetur. Jam verò

℞. Species ab extractione relictas, quibus porro adde

Rad. recent. Apii,
Cichorii sylv.
Fœniculi,
Petroselini,
Pimpinellæ ana unciam unam,
Cymar. Asparagi recentium,
Herb. recent. Nasturtii hort.
Cochleariæ ana unciam unam semis,
Sem. Apii,
Nasturtii,
Urticæ,
Petroselini ana unciam semis,

coquantur in s. q Aq simpl. ad remanentiam librarum duarum, colatura expressa, ac album. ovorum probè clarificata, cum

Sacchari albi Can. libris tribus; coquatur denuò ad consistentiam ferè tabulati, cui tandem junge

Acetum superius asservatum & esse sentificatum,

ac paucis ebullitionibus confice Syrupum, *Obstructionibus Hepatis, Lienis, Mesenterii & Pancreatis reserandis proficuum, præsertim ubi aliqua viscerum φλόγωσις & discrasia conjuncta est, urinas ut & menses potenter movet, calculum atterit, expellitq; sumpta uncia una vel altera, in jusculo alterante appropriato, quotidie bis.*

SYRUPUS APERITIVUS SPLENETICUS ET HEPATICUS.

℞. Succorum depuratorum ex totis quibusdam vegetabil. utpotè

Pimpinellâ,
Apio,
Cichorio sylv.
Petroselino,
Fœniculo, ana ex toto, scilicet rad. & herbis,
Cymis Lupuli,
Nasturtio hortensi ana libram sem. Quibus succis immergantur incisarum & contusarum (si fieri poterit) recentium omnium,
Radicum Apii,
Cichorii sylv.
Vincetoxici ana uncia una semis,
Chelidoniæ uncia una,
Scillæ præparatæ uncia semis,
Cymarum Asparagi,
Herb. Nasturtii hort.
Cochleariæ,
Agrimoniæ.
Epaticæ nobilis,
Agerati seu Eupat. Mes.
Scolopendrii,
Matrisylvæ ana uncia una semis,
Granor. Alk kengi,
Juniperi ana uncia una;

Factaque digestione duabus circiter diebus, fiat colatura & expressio specierum, succi expressi ac opt. clarificati interim asserventur, species verò à colatura & expressione relictæ, affusâ s.q. Aquæ simpl. coquantur leniter ad remanentiam librarum duarum, decoctum, colatum & albumin. ovorum probè clarificatum, additis

Sacchari Can. albi libris quatuor, coquatur ad consistentiam ferè tabulati, cui tandem jungantur

Succi superius asservati & essentificati,

ac paucis ebullitionibus fiat Syrupus justæ consistentiæ,

In Obstructionibus Hepatis, Lienis, Mesenterii, & Pancreatis, atque inde exortis morbis quamplurimis, Scorbuto præsertim, efficacissimus, qui ipse in exhibitionibus spiritu Salis simpl. vel spiritu Salis armoniaci acido chalybeato permisceri poterit, & in vehiculis appropriatis, ab uncia semis, ad unciam unam vel duas propinari.

SYRUPUS APERITIVUS CHALYBEATUS PRO MULIERIBUS ET CACHECTICIS.

℞. Radic. recent. Apii,
Pimpinellæ,
Valerianæ,
Pœoniæ ana uncias duas semis,
Herb. recent. Melissæ,
Pulegii,
Nasturtii hort.
Rorismarini,
Sabinæ ana unc. tres,
Baccarum Juniperi,
Lauri ana unciam unam semis,
Sem. Fœniculi,
Apii ana unciam unam,
Cinamomi acuti uncias duas,
Maceris drachmas sex,
Anthophyllorum unciam semis,
Croci opt. drachmas duas,

quibus omnibus consciss & contusis, nec non cucurbitæ vitreæ immissis, superaffundantur

Vini

Vini albi generosi libræ sex,
factâ maceratione per unum atque alterum diem, appositoque capitello fiat in M.B. abstractio ad libras tres. Huic liquori prolecto, abjectis speciebus, in alembico relictis, unà cum residua vini vappâ, immergantur sequentia incisa saltem, utpotè

Rad. recent. Apii,
Pimpinellæ,
Cichorii sylv.
Petroselini,
Fœniculi ana uncia una semis,

Herb. recent. Melissæ,
Rorismarini,
Pulegii,
Sabinæ ana unc. anæ semis,

Cassiæ ligneæ veræ,
Cinamomi opt. ana uncia una,
Baccarum Lauri uncia semis,
Macis drachmas tres
Chalybis cum sulphure liquati, & insuper aliquoties cum sulphure calcinati secundùm Crollium, inque petia ligati, unciæ octo vel decem.
Crem. Tartari vel saltem Tartari albi Veneti subtiliter triti & chalybi permixti unciæ duæ:

Macerentur loco calido per biduum, quotidie aliquoties agitando, & petiam vel sacculum cum Chalybe & Tartaro exprimendo, factaq; postcolatura cum expressione, colatus & expressus liquor per filtrum clarificetur, interimque asservetur.

Porrò:

℞. Species ab infusione ex expressione relictas, unà cum Chalybe & Tartaro in sacculo ligatis,

quas cum Aquæ fontanæ, spiritu Sulphuris ad gratam aciditatem acuatæ libris tribus coque ad remanentiam libræ unius semis, (sed, quod benè observetur, in patella ferrea) decoctum coletur & optimè clarificetur, quod cum

Sacchari albis. libris quatuor

denuò coquatur ad consistentiam ferè tabulati, cui tandem jungatur

Aqua superius destillata & recentibus speciebus essentificata in quantitate competenti (libræ duæ semis circiter)

ut sola dissolutione, vel unica saltem ebullitione Syrupus justæ consistentiæ emergat: *Qui, in reserandis mensibus obstructis egregiam non solum præstabit operam, verùm etiam Cachecticis & Hypochondriacis auxilio erit. Commode dabitur in jusculis alterantibus, vel etiam in vino, ad unciâ unâ ad uncias duas, plus minusvé, juxta subjecti ac ægrotantis constitutionem.*

His, Lector benevole, quisquis amicum animum ad horum Lectionem, aut ad obeundas medicaminum istorum præparationes diligentiam attuleris, paucis & humaniter te admonitum velim, ut mentem meam, quòq; collimârit, diligenter observes. Scias igitur, me semper eò respexisse in omnibus medicamentorum cùm compositorum, tum simplicium quorumque præparationibus, ut non solùm omnia ac singula ingredientia sarta tectaque viribus suis conservarem, in composito consona consonis sociarem, nec dissonis harmoniam medicamenti conturbarem, sed

& in-

& insuper multum virtutis minori ejusdem quantitati imprimerem, adeò ut exindè resultet trias illa artis nostræ, i. e. ut morbi verè citò, tutò ac jucundè curari possint; id quod in hujus Syrupi dextra compositione & præparatione manifestum fit. Etenim in prima *specierum inter se consonantium*, cum *vino* infusarum, destillatione, subtiliores penetrantioresque earundem partes, quæ coctionem sine virium suarum jactura nullatenus ferre possunt, unà cum *aqua spirituosa* proliciuntur: quæ *ipsa spirituosa & penetrans aqua* porrò *recentium specierum immergendarum* virtutibus magis roborantibus, ulterius intenditur: Quod autem supereſt partium terrestrium, quæ roborandi vi non exigua præditæ sunt *in speciebus ab infusione relictis, aquâ spiritu Sulphuris prius acuatâ seu acida reddita*, (propter *Chabybem*, quem *simplex Aqua* non attingit) coctione penitus penitiusque eliciuntur, atque *Saccharo addendo* imprimuntur, cui tandem (*liquore illo vel decocto* prius vaporetenus cum *Saccharo* exhalato, eidem tamen relictis virtutibus roborantibus supradictis, coctione extractis) *spirituosa illa destillata*, ac *virtutibus recentium specierum impregnata aqua* juncta, Syrupus virtutibus specierum ingredientium omnium egregiè imbutus, resultat, in quem Medicus fiduciam suam firmiter collocare potest.

SYRUPUS APERITIVUS CHALYBEATUS ALTER, PARATU FACILIOR.

℞. Chalybis cum Sulphure liquati ac sæpiùs pòst (ter quatervé ad minimum) cum eo calcinati, secundùm Crollium, uncias octo,
Cremoris Tartari uncias tres;
His mixtis & subtiliter pulverisatis, ac vitro largo immissis, superaffunde
Vini albi generosi libras duas,
macerentur loco calido, vitro probè clauso, sæpius de die agitando, per triduum, factâ pòst colatura & clarificatione, vinum hoc Chalybeatum interim asservetur. Tum verò

℞. Rad. recentium cum toto,
Apii,
Fœniculi,
Cichorii sylv.
Pimpinellæ,
Petroselini ana uncias duas,
Herb. recent. Scolopendrii,
Chærefolii,
Ceterach, ana uncias duas,
Chamædryos
Nasturtii hortensis ana uncias tres,
Rorismarini unciam unam,
Cassiæ ligneæ unciam unam semis,
Baccarum Lauri drachmas sex,
item:
Chalybem cum Tartaro superius ab infusione relictum, sacculo inclusum,

Coquantur incisa quæ incidenda sunt in s. q. Aquæ simpl. cum spiritu Sulphur. prius ad gratam aciditatem acuatæ (in sartagine ferrea, caveas igitur à cuprea vel ænea) ad remanentiam libræ unius semis,

ſemis, coletur, exprimanturq; ſpecies, decoctum album. ovorum probè clarificatum, additis

Sacchari albiſſimi libris tribus, porrò coquatur ad conſiſtentiam ferè tabulati, cui adde

Vini ſuperius Chalybeati & aſſervati q. ſ.

ut ſolâ ſacchari diſſolutione, aut unicâ ſaltem ebullitione Syrupi conſiſtentia acquiratur, ſuperaddendo ſub finem

Elæoſacchari Cinamomi unciam unam ſemis.

Servetur uſui;

Ad menſes mulierum reſerandos prætedente haud inferior, Cachecticis præterea & Hypochrondriacis opitulatur. Propinari poteſt ab uncia una ad uncias duas, in juſculis alterantibus aut laxantibus, vel in aliis vehiculis appropriatis.

Nota. Si cuipiam Medico volupe fuerit, *Vino* ſubſtituere *Aquam Cinamomi*, vel etiam *aliam aquam ſtillatitiam* pro extractione *Chalybis*, non aberrabit; verùm neceſſum eſt, ut eam *ſpiritu Sulphuris* prius acidulam nonnihil reddat, ſecus enim inefficax foret in extrahendo *Chalybe*. Poſſet fortè nonnemo etiam hærere circa præparationem Chalybis ſecundum Crollium, en! addo ejus veram præparationem.

Accipe *Chalybis fruſtulum oblongum*, quod igne fortiſſimo, ſufflante folle, candefac, quoad ſcintillas uberrimè de ſe ſpargat, cui ab igne remoto citò admoveatur *Sulphur*, ſic guttatim veluti ſolutus aut liquefactus in vas ſuppoſitum, *aquâ frigidâ* repletum ſtillat: *Chalybe verò* parum refrigerato, *eundem* denuò candefac, ut antea; *Sulphurq;* ipſi admove, donec totus *Chalybs Sulphure* liquatus fuerit, qui ab aqua ſeparatus ſiccandus & in pulverem redigendus, inque patella ferrea vel terrea, ſuper igne carbonum, in loco patulo, vel ſub camino collocata, calcinandus porrò eſt, ſpatulâ ferreâ conti uò agitando, ad omnimodam *Sulphuris* conflagrationem: *Chalybs relictus* denuò in pulverem redigendus, & *pro ejus libra una*, *Sulphuris triti uncia una* admiſcenda, iterumque, uti antea, calcinandus, ſuper igne carbonum, ſpatulâ continuò agitando ad conflagrationem *Sulphuris*; Et hæc calcinatio ſive conflagratio cum *Sulphure*, ter quaterve aut ſæpius repetatur, ſic ad prædictos uſus *Chalybs* legitimè erit præparatus.

SYRUPUS DE CORTICIBUS ARANTIORUM.

SYrupus hic efficaciſſimè paratur juxta modum *in Animadverſionibus Diſpenſatorii reformati ſuper ipſum factis* indigitatum, quò Lectorem benevolum remitto. *Præſtat tali modo præparatus ad Cordis & Ventriculi roborationem, & flatuum diſcuſſionem, adeoq; etiam in Colica paſſione, nec non in morbis malignis emolumento eſt.*

SYRUPUS DE FLORIBUS ARANTIORUM.

℞. Florum Arantiorum recent. libram unam ſemis, vel libras duas,

ſtillentur in Balneo noſtro vaporoſo, ſuo loco edocendo, ad ſiccitatem usque; Aquæ hujus deſtillatæ odoriferæ libræ uni immerge

Florum dictorum recentium integrorum minimè contuſorum uncias circiter tres,

factâ maceratione leniſſimo in calore per biduum, in vitro probè clauſo, ne quid exſpiret, fiat colatura, quæ filtranda, addendo tandem pro ſingulis libris liquoris, vel aquæ prædictæ eſſentificatæ,

Sacchari Canarii albi uncias xx,

ac ſola ejusdem diſſolutione fiat Syrupus, odore & ſapore gratiſſimus: proinde

Cordi ac Cerebro roborando, recreando perquàm utilis, Spiritus animales & vitales inſtaurat, Febribusque ardentibus, malignis & peſtilentialibus ſalutaris exiſtit.

SYRUPUS ASTHMATICUS.

℞. Rad. recent. Enulæ Camp. uncias duas,
Calami aromat. unciam unam ſemis,
Cæparum recent. uncias quatuor,
Herb. recent. Hyſſopi,
Anethi,
Meliſſæ,
Naſturtii hort.
Satureg. ana uncias quatuor ſemis,
Florum recent. Tunicæ uncias duas,
Cort. Arantiorum recent. extim. unciam unam ſemis,
Cinamomi acuti,
Granorum Juniperi ana unciam unam,
Macis unciam ſemis,
Sem. Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam ſemis;

Omnia inciſa & contuſa immittantur in cucurbitam vitream, quibus ſuperaffunde

Vini generoſi ſeu Malvatici libras quatuor,

factâ digeſtione unâ alterave die, fiat deſtillatio & abſtractio duarum librarum: Cui aquæ ſpirituoſæ prolectæ (abjectis ſpeciebus à deſtillatione relictis, cum reſiduâ vini vappâ) de novo immerge ſequentia ſaltem inciſa, utpote

Scillæ præparatæ & ſiccatæ unciam ſemis,
Cæparum recentium drachmas ſex,
Rad. recent. Enulæ Camp. unciam unam,
Ireos Florent.
Liquirit. raſæ ana drachmas ſex,
Calami aromat. unciam ſemis,
Herb. recent. Hyſſopi,
Anethi,
Meliſſæ,
Naſturtii hort.
Chæreſolii ana unciam unam,
Croci orientalis drachmam unam,

Digerantur per biduum, fiat pòſt colatura & expreſſio, Eſſentiam interim prius purificatam aſſervando. Tum

℞. Species ab ultima infuſione vel extractione relictas,

Eaſque

Easque cum ſ. q. Aquæ ſimplicis coque ad remanentiam circiter librarum duarum; colaturæ opt. clarificatæ adde

Sacchari albi Canar. libras tres ſemis, coquantur ad conſiſtentiam ferè tabulati, cui junge Aquam ſuperius deſtillatam & eſſentificatam,

fiatque ſolâ diſſolutione Sacchari debitæ conſiſtentiæ Syrupus, qui

In Aſthmate, Orthopnœa, Dyſpnœa, & ſimilibus pectoris affectibus Catarrhoſis. & Tuſſi antiquæ, proficuè adhibetur. Per ſe ſumptus ad inſtar lambitivi efficacior exiſtet, quàm liquoribus aliis admixtus & potus; cochlear plenum ſæpius de die paulatim deglutiendo & lambendo, quò magis aſperæ arteriæ ſeſe inſinuare, & vel odore tenus bronchia pulmonum obſtructa permeare, eorumque infarctos viſcidoſq; humores incidere, attenuare, & ad rejiciendum aptos reddere poſſit.

SYRUPUS DE BETONICA.

℞. Herb. Betonicæ floreſcentis q. ſ. deſtilletur ex balneo n. vaporoſo, ſine ulla additione, ejus aqua, cujus aquæ prolectæ libris duabus immerge

Herb. ejusdem Betonicæ recent. & floreſcent. inciſæ uncias octo circiter,

factaque maceratione unâ alterave die, aqua per colaturam & expreſſionem ſeparetur, quâ per filtrum clarificatâ & aſſervatâ, accipe

Succi Betonicæ recenter expreſſi, ac probè depurati libram unam ſemis vel libras duas.

additisque

Sacchari albi Canarii libris tribus, coquantur ad conſiſtentiam quaſi tabulati, cui demum adde

Superioris Aquæ deſtillatæ & recenti herbâ eſſentificatæ libram unam ſemis, & uncias duas circiter,

ac ſola diſſolutione ſacchari, aut unica ſaltem ebullitione conficiatur Syrupus, *virtutibus Betonicæ uberrimè imbutus, nec paratu difficilis, modò Pharmacopœus, qui hanc & ſimiles præparationes elegantiſſimas hilari fronte aggreſſurus eſt, paucis laboribus non pepercerit. Nam hic & ſimiles alii Syrupi, meritò Eſſentiæ nomine inſigniendi, tùm Pharmacopœis, tùm Medicis etiam laudem ac honorem procreaturi ſunt; Infirmis verò & indigentibus ſalutem & ſanitatem.*

SYRUPUS DE BETONICA COMPOSITUS SEU CEPHALICUS CALIDUS.

℞. Rad. Cyperi rotund.
Pœoniæ recent. ana unc. unam
Herb. recent. Betonicæ floreſc. uncias quatuor,
Salviæ uncias duas,
Majoranæ,
Rorismarini,
Thymi ana unciam unam ſemis,
Fl. recent. Lavend. unciam unam,
Pœoniæ uncias tres,
Cheiri,
Paralyſeos,
Tunicæ,
Roſarum ana unciam unam ſemis,

Cardamomi,
Cubebarum ana unciam ſemis,
Nucum Moſchatarum,
Cinamomi opt.
Sem. Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam.

Omnia ſucceſſivè, & tempore opportuno, collecta, quædam conſciſſa & contuſa, nonnulla verò integra, utpotè, flor. Cheiri, Paralyſ. & Pœoniæ, immergantur in

Vini albi generoſi vel Malvatici libris quatuor vel quinque.

factâ maceratione quoad omnia unita ſint, fiat deſtillatio & abſtractio ad dimidias, vel duas libras cum dimidia: Aquæ huic deſtillatione prolectæ, fragranti & ſpirituoſæ, denuò immergantur, (abjectis ſpeciebus in fundo alembici, cum vappa vini relictis)

Rad. Doronici veri drachmæ ſex,
Pœoniæ recentis uncia ſemis,
Herb. recent. Betonicæ floreſc. uncia una ſemis,
Rorismar. floreſcentis,
Flor. recent. Cheiri ana uncia una,
Salviæ drachmæ duæ,
Tunicæ uncia una,
Ligni aloës ponderoſi,
Nucum Moſchatarum,
Cardamomi minoris,
Cubebarum ana drachm. tres,
Cinamomi uncia ſemis,

peractâ extractione ſuffic loco calido, ac vitro benè clauſo, liquor ſpirituoſus à ſpeciebus infuſis, colaturâ & expreſſione ſeparetur, perque filtrum probè clarificetur; quô interim aſſervato, accipe porrò

Species ab infuſione ſuperiori & expreſſione relictas,

quas cum Aquæ ſimpl. f. q. coque, ad remanentiam librarum duarum, decoctum colatum, & alb. ovorum debitè clarificatum, additis

Sacchari albi Can. libris tribus ſemis, coquatur ad conſiſtentiam quaſi tabulati, cui tandem junge

Aquam ſuperius aſſervatam, ſpirituoſam & eſſentificatam in f. q. (libras duas circiter)

ac ſolâ ejusdem diſſolutione, vel unicâ ſaltem ebullitione fiat Syrupus præſtantiſſimus: *Qui in morbis Capitis & Cerebri frigidis ſaluberrimus, adeoq; Apoplecticis, Epilepticis, Catarrhoſis & Soporiferis affectibus propulſandis efficax eſt: propinandus cum aquis deſtillatis Cephalicis, vel cum Vino, aut alio vehiculo grato, ab uncia una, ad unciam unam ſemis.*

SYRUPUS CEPHALICUS ALTER TEMPERATUS.

℞. Aquarum Lilior convall ſine additione aq. ſimplicis ex baln. n. vaporaſo ſtillatæ libram unam,
Ceraſorum ſine addit. ſtill. uncias ſex,
flor. Cheiri,
Paralyſ. ana ſine additione aq. ſimpl. ſtill. uncias tres,

His aquis commixtis immergantur ſucceſſu temporis

Rad. recent. Pœoniæ uncia una,

Herb.

Herb. recent. Betonicæ floreſcent. unciæ ſex,
Rorismarini unc. duæ,
Flor. recent. Pœoniæ,
Cheiri,
Paralyſeos,
Tunicæ,
Tiliæ,
Roſarum pallidarum ana unciæ tres,
Nuc. Moſchatarum uncia ſemis;

maceratione verò peactâ, quando nimirum omnia collecta ſunt, deſtillentur ex baln. n. vaporoſo ad omnimodam humiditatis prolectionem; Aquæ vero hujus deſtillatæ fragrantis libris circiter duabus denuò immergantur ſequentia minutim inciſa; nim.

Rad. Doronici veri drachmæ ſex,
Pœoniæ recent. uncia ſemis,
Herb. recent. Betonicæ unciæ duæ,
Rorismarini floreſcentis,
Flor. recent. Cheiri,
Pœoniæ,
Tunicæ,
Tiliæ,
Roſarum rub. ana uncia una ſemis,
Ligni Aloes ponder. drachmæ duæ,
Nuc. Moſchatarum uncia ſemis,

& cùm die una atque altera in digeſtione ſteterint, fiat colatura cum expreſſione; liquor expreſſus clarificetur per filtrum, interimque aſſervetur; Species verò expreſſæ cum ſ. q. Aquæ ſimpl. coquantur ad libras duas, cum decocto hoc colato & alb. ovorum debitè clarificato, ſolvantur

Sacchari Canarii albi libræ tres ſemis,

& ad liquoris ferè totalem exhalationem coquantur, cui demum adde

Superioris Aquæ eſſentificatæ libras duas,

ac unica ſaltem ebullitione fiat Syrupus juſtæ conſiſtentiæ: *Qui in affectibus Capitis & cerebri, utpotè in Epilepſia, Vertigine, Hemicrania, Cephalæa & Cephalalgia ſalutaris exiſtit, in aquis deſtill. & appropriatis exhibendus, ab uncia ſemis, ad unciam unam ſemis.*

SYRUPUS EX SUCCO BERBERUM.

COnficiatur modo ſimplici per coctionem, terreo in vaſe, cum nil niſi humiditas quædam elementaris coquendo exhalet. *Refrigerat autem & contemperat bilem, febres, earumque æſtus & ſitim immoderatam compeſcit, vel per ſe ſumptus, vel cum aqua frigida aut cocta, Julapia ex eo parando.*

SYRUPUS EX SUCCO CARDUI BENEDICTI.

℞. Succi Card. bened. depurati recenter expreſſi libras quatuor,
cui immergatur
Herb. recentis Card. bened. libra una,

et poſt digeſtionem unius diei fiat denuò colatura & expreſſio herbarum; expreſſum debitè clarificatum cum

Sacchari albiſſimi libris duabus

coquatur ad Syrupi conſiſtentiam. Ser-

vetur. *Confert Syrupus hic febribus tùm continuis, tùm intermittentibus, præsertim quartanis; sudorem promovet, & vermes enecat. Dosis uncia semis ad unciam unam.*

SYRUPUS CERASORUM ACIDORUM.

℞. Ceraſorum acidorum ſufficientem quantitatem,

conquaſſentur in mortario lapideo, nucleis omnibus confractis: His addantur plures Nuclei Ceraſorum antea aſſervati, ac etiam conquaſſati, pro majori odoris impreſſione, qui nucleis ſaltem debetur, non ſucco, & poſtquam aliquandiu macerarint, exprimatur ſuccus, qui probè depuretur,

Hujus ſucci odore nucleorum benè imprægnati & depurati accipe libras ſex,

Sacchari albiſſimi libras quatuor, coquantur in vaſe terreo ad conſiſtentiam ferè Rob, Syrupo nimirum ordinario multò craſſiorem, cui demum adde pro majori odoris atque grati ſaporis ceraſorum impreſſione,

Sequentis Eſſentiæ, vel aquæ deſtillatæ, ſufficientem quant.

pro juſta Syrupi conſiſtentia ſine ulteriori coctione adipſcenda, utpotè,

℞. Nucleorum Ceraſorum,
Perſicorum ana uncias duas,

Cinamomi opt. acuti unciam unam ſemis,

Cayophyllorum unciam ſemis;

His minutim conquaſſatis affunde Aquæ Ceraſorum ſine additione ſtill. libram unam ſemis,

& poſt unius diei digeſtionem, denuò in alembico vitreo per arenam abſtrahatur ad ſiccitatẽ; Aqua hæc prolecta Syrupo ſuperiori in pondere competenti admiſceatur: *fietque ſic Syrupus gratiſſimus, ſapore, odore, ac virtutibus cordialibus & confortantibus, qui in febribus tertianis ardentibus, continuis, ac intermittentibus, item in Hungaricis, ubi caput præcipuè laborat, ſummo eſt emolumento, ex quo Julapia conſici, & infirmis ſalubriter exhiberi poſſunt.*

Nota: Si verò quisquam expeteret Syrupum eundem, pro conficiendo Vino Ceraſorum gratiſſimo, ex tempore, & quidem ſingulis anni temporibus, en! dabo modum ſequentem: Nimirùm Syrupo ſupradicto ad conſiſtentiam craſſam ad inſtar quaſi gelatinæ cocto, loco *aquoſæ ſupra deſcriptæ eſſentiæ*, admiſce *ſequentem ſpirituoſam & fragrantem Eſſentiam, roborando Ventriculo ac Cerebro præſtantem.* Nempè,

℞. Vini Malvatici libram unam,
Spir. Vini rectificati uncias ſex,
Ceraſorum ardentis uncias tres;

His mixtis immergantur ſequentia probè contuſa & conquaſſata, utpotè,

Nucleorum Ceraſorum unciæ quatuor,
Perſicorum unciæ quinque,
Cinamomi opt. unciæ duæ,
Caryophyllorum uncia una,

facta

factâ maceratione per biduum, abſtrahantur in alembico vitreo unciæ duodecim vel tredecim circiter, (ut ſpecies nimirum adhuc humidæ in reſiduo maneant, propter nauſeoſum phlegma, quod ultimò, ubi Vinum deſtillatur, tranſit) proboſcidi autem alembici immiſſis,

Cinamomi acuti unciâ ſemis,
Caryophyllorum drachmis duabus
Nuci. Ceraſor. coquaſs. uncia ſemis,

ac inſuper, ſi lubet, pro ditioribus,

Ambræ gryſeæ ſcrupulo uno,
Moſchi opt. orient. ſcrupulo ſemis,

Quæ ipſa etiam ſacculo incluſa, liquori egreſſo aliquandiu immergi poſſunt, pro exactiore eorundem extractione: Et hæc Eſſentia præſtantiſſima Syrupo ſuperiori & craſſiori in conſiſtentia, competenti pondere admiſcenda, gratiſſimum illum efficiet & confortantem, cuicunque vino immiſcendum, quod & odore & ſapore Ceraſorum gratiſſimum efficiet.

SYRUPUS DE CICHORIO SIMPLEX.

℞. Succi Cichorii ſylveſtris recenter expreſſi & depurati libras quatuor; In quo ſucco ebulliant, & quidem ad conſumptionem partis tertiæ,

Radicum Cichorii ſylveſtris recent. & mundat. unciæ duodecim vel quindecim;

Colaturâ pòſt iterum clarificatâ, additis Sacchari albi libris duabus ſemis, coquantur ad conſiſtentiam Syrupi. Servetur. *Ad Hepatis & Ventriculi intemperiem calidam contemperandam, eaq; viſcera roboranda perutilis Syrupus; Febricitantibus auxiliatur, ac bilis acrimoniam compeſcit, porrectus in juſculis alterantibus, ab uncia una, ad unam ſemis.*

SYRUPUS DE CENTAURIO MIN. ANTIFEBRILIS.

℞. Succi Centaurii min. recenter expreſſi & depurati libras tres, cui immergantur

Summit. ſeu florum Centaurii min. recentium minutim inciſorum unciæ decem,

digerantur duabus vel tribus diebus, in loco benè calente, exprimantur dein flores, ſuccusque expreſſus debitè iterum clarificetur, cui addantur

Sacchari albi Can. libræ duæ, coquantur ad conſiſtentiam Syrupi. Servetur. *Eſt præſtans ad Febres tertianas & quartanas abigendas, roborat Ventriculum, & Viſcerum obſtructiones reſerat. Doſis uncia ſemis ad unciam unam in vehiculo convenienti.*

SYRUPUS DE CINAMOMO.

HUjus Syrupi legitimam confectionem tradidi in *Animadverſionibus* præmiſſis, nec non in *Appendice ad Animadverſiones pag. 4. & 5.* juxta cujus ductum laudabiliter parandus Si quis tamen modum aliquem paratu faciliorem deſideraret, en, dabo ſequentem:

℞. Cinamomi longi acutiſſimi uncias ſex,

quod

quod cùm conſciſſum minutim & cucurbitæ vitreæ immiſſum fuerit, ſuperaffunde

Aquæ Cinamomi cum vino anteà deſtillatæ libras duas,

factâ digeſtione brevi, fiat aquæ affuſæ deſtillatio & abſtractio, cui abſtractæ aquæ denuò immerge

Cinamomi acuti uncias tres

macerentur in vitro arctè clauſo per triduum, facta pòſt colaturâ, filtretur eſſentia, additisque

Sacchari Canar. alb. libris tribus ſemis, conficiatur ſolâ Sacchari diſſolutione Syrupus, *nativis Cinamomi virtutibus ad ubertatem imbutus: Itaqi ad Cordis & totius corporis vires fulciendas & reſtaurandas præſtans eſt, Ventriculum languidum à frigore reficit, ſpiritusq; vitales recreat, vino ſi permiſcetur, illud gratiſſimum reddit; In doſi error facilè committi nequit.*

SYRUPUS DE CORRALLIIS RUBRIS.

QUamvis Syrupus hic Corallinus in *Animadverſionibus* n. clarè deſcriptus ſit, quâ ratione nimirum dextrè & legitimè parandus, nec non in ſubſequente Appendice ad prædictas *Animadverſiones pag. 7. & 8.* plures modos illum artificiosè conficiendi ſuperaddiderim, ut nemo in præparatione illius legitima hærere poſſit, modumque ſibi eligere, quem è re ſua fore exiſtimat, nihilominus adſtruam adhuc tres hujus Syrupi elegantes deſcriptiones, quæ tales.

SYRUPUS CORALLINUS REFRIGERANS.

℞. Succi Granatorum acidorum, ſeu acido-dulcium recenter expreſſi & depurati libram unam,

Huic ſucco immergantur

Cort. Limon. recent. & extim. uncia una ſemis,

Granorum Kermes integrorum, nequaquam contuſorum drachmæ duæ,

factâ macerat'one die una atque altera, fiat colatura & colati ſucci filtratio vel clarificatio, in quo ſucco eſſentificato diſſolve

Magiſt. n. ſolubilis Corall. rub. cum ſpiritu n. Veneris parati unc. duas, additisque porrò

Sacchari albiſs. Canar. unciis viginti, fiat unicâ ſaltem ebullitione in patellâ terrea vitreata, vel ſolâ diſſolutione ſacchari, Syrupus; *Qui in morbis calidis, ubi vires collapſæ ſunt, efficax eſt. Confert præterea Hepatis vitiis & fluxibus ſanandis, ac Dyſentericis & Lientericis emolumento eſt, datus ab uncia ſemis, ad unam, & unam ſemis.*

SYRUPUS CORALLINUS CALIDUS.

℞. Vini Malvatici libram unam: cui injiciantur ſubſequentia inciſa, utpotè

Cort. Arantiorum recent. extimorū, Citri recent. extim. ana unc. una,

Cinamomi

Cinamomi acuti drachmæ ſex,
Granorum Kermes integrorum
drachmæ duæ,
ac poſt unius alteriusve digeſtionem, coletur vinum, ac per manicam Hippocr. puram, alienâ re nondum imbutam, clarificetur. Hoc in vino, ſpeciebus cordialibus ſupradictis imbuto, diſſolve
Magiſt. n. ſolubilis Coralliorum cum ſpir. n. Veneris parati uncias duas,
additisque,
Sacchari Canar. albi unciis viginti circiter,
conficiatur ſolâ ejusdem diſſolutione, vel unicâ ebullitione Syrupus: *Cor & vitales ſpiritus egregiè roborans, ab uncia ſemis, ad unciam unam, in vehiculis convenientibus propinandus.*

SYRUPUS ALIUS DE CORALLIIS.

℞. Magiſt. n. ſolubilis Coralliorum, cum ſpir. n. Veneris parat. uncias duas,
Quod ſolvatur in
Aquæ Cinamomi cum vino ſtillatæ libra una,
& additâ
Sacchari albiſs. librâ unâ ſemis,
fiat ſola ejusdem ſacchari diſſolutione in calore leni, ſine ulla ebullitione, Syrupus.

Nota: Quod Syrupus hic ad præſcriptum modum paratus, ſitum nullatenus contrahat, licet liquidiorum, quam Syrupis alioquin convenit, conſiſtentiam adeptus fuerit. Ad eundem præterea modum ex *Margaritis orientalibus*, ut et *ex aliis lapidibus & Gemmis pretioſis, in Magiſteria ſolubilia prius converſis*, Syrupi, vel in momento dextrè confici poſſunt: *Liquor verò* quô cum *Magiſteria* ſunt diſſolvenda variari poteſt pro conditione morbi & intentione Medici, cum illa in omnibus *ſuccis, Aquis deſtillatis, vino & ſimilibus liquoribus* ſint ſolubilia.

SYRUPUS CORDIALIS GEMMATUS CALEFACIENS.

℞. Cort. recent. Citri vel Limon. extim. uncias tres,
Arantiorum ext. uncias duas,
Flor. recent. Roſarum Damaſcen. uncias quatuor,
Tunicæ uncias duas,
quibus minutim conciſis & cucurbitæ vitreæ immiſſis ſuperaffundantur
Vini veteris albi vel Malvatici libræ quatuor,
factaque brevi digeſtione, abſtrahantur deſtillando per arenam, vel baln. n. vaporoſum, libræ duæ, Aquæ verò huic prolectæ fragranti porrò immerge
Cort. Arant. recent. & extim. unciam unam,
Citri recent. ext. unciam unam ſemis,
Flor. recent. Tunicæ rubr. unciam unam,
& ſi in promptu ſunt, aut haberi poſſunt,
Flor. recent. Arantiorum drachmas ſex,
Sem. ſeu Gran. Kermes legit. & integrorum drachmas duas,

macerentur unâ alterâve die, tum fiat colatura; nunc accipe

Hujus aquæ odoriferæ rubræ & effentificatæ libras duas,
ac in ea diffolve,
Magiſt.n.ſolubilium, utpotè,
Coralliorum rub. unciam unam,
Perlarum oriental. unciam ſemis,
Matris perlarum unciam unam,

His ſolutis ſuperadde

Sacchari Canar. albiſs. libras tres,

ac ſola ejus diſſolutione, ſine ullâ ebullitione Syrupus conficiatur, *Cor, vitales ſpiritus ac animales inſigniter roborans & recreans.*

SYRUPUS GEMMATUS CORDIALIS REFRIGERANS.

℞. Succi Granatorum acidorum recenter expreſſi,
Succi pomorum redolent. recenter quoque expreſſi,
Succi Citri ſeu Limonior. jam etiam expreſſi ana uncias octo,

In his ſucci digeruntur

Cort. Citri ſeu Limon. recent. ext. unciæ duæ,
Arant. recent. & extim. uncia una,
Flor. Tunicæ recent. rubr. uncia una ſemis,
Bugloſſi recent. uncia ſemis,
Granor. Kermes legitim. integr. non contuſor. drachmæ duæ,

& factâ digeſtione die una vel altera in calore leni, vitro opt. clauſo, coletur, in colatis & benè clarificatis ſuccis diſſolve

Magiſt.n.ſolubil. Coralliorum unciam unam,
Perlarum oriental. unciam ſemis,
Matris perlar. unciam unam,

His ſolutis ſuperadde

Sacchari Canar. albi libras tres,

ac ſolâ ſacchari diſſolutione ſine coctione fiat Syrupus cordialis efficaciſſimus, *qui in Febribus ardentibus, malignis, peſtilentialibus, imò in peſte ipſa ſummè ſalutaris eſt, Cordisque palpitationi reſiſtit; exhibendus per ſe, ob gratiam ſui ſaporis, ſive in vehiculis appropriatis, ab uncia ſemis ad unciam unam.*

SYRUPUS DE CORTICIBUS CITRI.

QUantumvis & hujus Syrupi dexterrima præparatio in *Appendice* n. ad *Animadverſiones* in *Pharm. Auguſtanam pag. 8.* ſit perſpicuè deſcripta: tamen cùm in morbis calidis & malignis, ubi uſus ejus frequēs & ſalutaris eſt, ob *Vinum* in dicta deſcriptione addendum & mihi ipſi ſuſpectus ſit, idcircò aliam hic addo ejusdem Syrupi deſcriptionem, non minus elegantem, *ſolo dempto vino*, quæ talis.

℞. Cort. Citri recent. & extim. libram unam,

quibus conſciſſis & Cucurbitæ vitreæ immiſſis ſuperaffunde

Aquæ Cort. Citri vel Limon. libram unam ſemis,
Roſar. fragrantiſſ. ſine additione ſtill. libram ſemis,

& factâ

& factâ brevi maceratione deſtillentur per bal. n. vaporoſum ad ſiccitatem Corticum; Liquori egreſſo odorifero injiciantur

Eorundem Corticum Citri ſeu Limon. recent. & extim. unciæ ſex,
Granorum Kermes legit, drachmæ tres,

ac poſt brevem digeſtionem liquor ab iis colaturâ ſeparetur, quô interim aſſervatô, accipe Cortices ab infuſione reſiduos, eosque ſ. q. aquæ ſimplicis affusâ, parumper coque, decoctum cola, clarifica, & cum

Sacchari Canar. albi libris tribus ſemis

ad conſiſtentiam quaſi tabulati percoque, cui tandem adde

Superioris aſſervati fragrantis liquoris libras duas circiter,

ac ſolâ ſacchari diſſolutione confice Syrupum præſtantem. *Qui non ſolum Cor & Ventriculum roborat, verùm etiam malignis ac peſtilentialibus morbis reſiſtit, & palpitationem Cordis avertit; ſumptus ab uncia ſemis ad unciam unam, in vehiculis morboſis affectibus congruis.*

SYRUPUS CYDONIORUM.

PAretur juxta modum in *Pharmacopœia Auguſtana* præſcriptum, nimirum ſumendo

Succi Cydoniorum recent. expreſſi & depurati libras quatuor,
Sacchari albi Canar. libras duas,

ac ſola coctione in vaſe terreo, fiat Syrupus debitæ conſiſtentiæ; Cujus vires in prædicta *Pharmacopœia* ſufficienter adſcriptæ ſunt.

SYRUPUS CONTRA DYSENTERIAM.

℞. Rad. Biſtortæ,
Tormentillæ ana unciam unam,
Cichorii ſylveſtr. unciam unam ſemis,
Pimpinellæ,
Scorzoneræ,
Saniculæ,
Ireos Flor.
Liquiritiæ ana unciam unam,
Galangæ drachmas ſex,
Herb. recent. Conſol. Saracenicæ,
Millefolii,
Sangviſorbæ,
Pyrolæ,
Hederæ terreſtris ana uncias duas,
Flor. roſarum rub. ſiccat. unciam unam ſemis,
Balauſt.
Papav. errat. ana unciam unam,
Fruct. Acaciæ unciam unam ſemis,
Capit. Papav. albi cum ſeminibus num. vj.
Baccar. Myrti unciam unam,
Santali rubri drachmas ſex,
Cort. Arantiorum,
Citri ana unciam unam,
Nuc. Moſchat. expreſſarum, ab Oleo relictarum drachmas ſex;

Inciſa & contuſa coquantur in ſ. q. aquæ ſimpl. repetitis vicibus affuſæ, quousque tota ſpecierum virtus extracta ſit, colaturæ omnes alb. ovorum probè clarifi-

catæ ad remanentiam circiter librarum duarum evaporent, quibus additis

Succi seu vini Cydoniorum librâ unâ semis,

Sacchari Canarii albi libris tribus, coquantur denuò ad consistentiam Syrupi. Servetur. *Abstergit & adstringit leniter, intestina exulcerata conglutinat, malignitati, quæ utpluriumDysenteriis conjuncta est, resistit: Roborat Ventriculum & Hepar: In omnibus porrò vulneribus internis & profundis, tanquam vulnerarium medicamentum præstat, propinatus cum Cremore hordei, sero Lactis caprino, aut aquis coctis appropriatis, ad unam vel alteram unciam, bis terve de die.*

SYRUPUS DE ENDIVIA.

CONficiatur Syrupus hic in modum planè Syrupi de Cichorio simplicis, paulò ante propositi, qui *iisdem* etiam *affectibus* medetur.

SYRUPUS DE FARFARA.

PAretur & hic Syrupus (*qui calidis pectoris affectibus catarrhosis, Phthisi potissimum dicatus est*) juxta normam Syrupi de Cichorio simplicis legitimè descripti, & paulò ante traditi.

SYRUPUS DE FUMARIA.

NEque hic Syrupus quoad præparandi modum variat à Syrupo de Centaurio min. Juxta illius igitur ductum is conficiatur. *Ejus usus potissimum est in expellendis Morbillis, & Variolis, nec non in febribus malignis, ad sudorem proliciendum. Dos. uncia semis ad unciam unam.*

SYRUPUS DE FRAGIS.

HUjus, uti aliorum ex succis simpliciter parandorum Syruporum, una eademque est conficiendi ratio: proinde ne diu in his moremur, ejus præparatio ex Syr. de Berberibus, aut Cydoniis confectione petatur.

Convenit in Febribus calidis & æstuantibus: Urinas movet, ac renum arenulas expellit.

SYRUPUS GRANATORUM.

PArandus ad normam aliorum Syruporum acidorum simplicium. *Refrigerat & humectat; nauseam & vomitum bilioſum reprimit, febribusque biliosis auxiliatur.*

Nota: Observetur cautela de *succo Granatorum* exprimendo in *Appendice ad Animadversiones Pharmacopœiæ Augustanæ pag. 9.* inculcata.

SYRUPUS DE GLYCYRRHIZA PECTORALIS.

℞. Rad. Liquiritiæ rasæ uncias duas,
Tussilaginis recentium,
Enulæ Campanæ,
Ireos Florent. ana unciam unam semis,
Herb. recent. Hyssopi,
Hederæ terrestris,
Millefolii,

Millefolii,
Scabiosæ,
Veronicæ,
Pulmon. maculosæ ana uncias duas,
Flor. Papav. errat. recent. unciam unam semis,
Dactylorum num. xv.
Jujubarum num. xxv;

Quæ cuncta incisa & contusa coquantur in s. q. aquæ simpl. repetitis vicibus affusæ, ad omnium virtutum prolectionem, colaturæ junctim clarificatæ, & ad libras duas circiter coquendo abstractæ, additisque

Sacchari albis. Can. libris tribus, vel loco hujus, si lubet,
Mellis opt. purissimi libris quatuor,

(*quia majorem vim abstrengendi mel obtinet, adeóque in exulcerationibus pectoris, sive Vomica pulmonum, sive Phthisis ipsa sit, mel pro saccharo eligendum foret.*)

coquantur porrò ad debitam Syrupi consistentiam, cui

Essent. vel spiritus Anisi uncia una vel altera admiscenda.

Præstat in affectibus pectoris, sive ex Catarrho, sive exulceratione aliqua ortum duxerint, adeoq; in Phthisi ipsa, Vomica pulmonum, Tussi, sputo etiam cruento cum emolumento adhibetur.

SYRUPUS DE HEDERA TERRESTRI.

℞. Aquæ Hederæ terrestris sine additione ex baln. n. vaporoso still. libras duas,

Huic immerge

Herb. recent. Hederæ terrest. consciss. minutim uncias octo vel decem.

Peractâ digestione duarum dierum circiter fiat colatura cum expressione, expressum probè clarificetur, interimq; asservetur. Conduceret tamen, si hæ Essentiæ aut Aquæ essentificatæ similes Syrupis destinandæ, in alembico vitreo clarificarentur, appositio capitello, quò id, quod summè spirituosum est, & levi ignis pulsu præprimis exhalat, excipiatur. Licet verò paucis pro clarificatione cum albumine ovorum opus sit ebullitionibus, nihilominus ne quicquam virtutis inaniter ad auras pellatur, huic labori non erit parcendum.

Jam verò

℞. Succi Hederæ terrestris recenter expressi & depurati libras duas,
Sacchari albis. Canar. libras tres,

coquantur ad consistentiam quasi tabulati, addendo tandem

Essentiæ superius asservatæ q. s.

pro Syrupi consistentia adipiscenda debita, solâ veluti sacchari dissolutione, aut unica saltem ebullitione.

Commendatur ad affectus pectoris, cruenta & sanioſa sputa, Phthisin & apostemata purulenta, menses & urinas movet, sive per se sumptus, sive in jusculis gratis & appropriatis, ab uncia una ad unam semis.

SYRUPUS DE HYSSOPO SIMPLEX.

PAratur ad normam Syrupi præcedentis de Hedera terrestri, cujus virtutes etiam æmulatur, adeoque *in affectibus*

fectibus pectoris, ex frigida cauſa, viſcida & craſſa materia enatis utiliter exhibetur.

SYRUPUS HYDRAGOGUS.

℞. Sueci rad. Iridis noſtr. cærul. depurati libras quatuor,
Rad. ſambuc. vel decocti earum fortis libram unam ſemis,
quibus mixtis immerge ſequentia inciſa & contuſa, nimirum
Rad. recent. Ebuli uncias quatuor,
Enulæ uncias duas,
Calami aromat. unciam unam ſemis,
Cort. median. Sambuci recent. unc. duas,
Medullæ Sambuci unciam unam,
Bacc. Juniperi unciam unam ſemis,
Alkekengi,
Sem. Bardanæ maj.
Naſturtii,
Urticæ ana unciam unam,
factâ digeſtione brevi, coquantur ad remanentiam libræ unius ſemis, coletur, & exprimantur ſpecies, colaturæ clarificatæ adde
Sacchari albiſſimi libras tres,
Et denuò coquendo ad juſtam conſiſtentiam Syrupus efficiatur: *Qui præſtans eſt in Hydropica diſpoſitione & Cachexia, educit ſeroſam humiditatem per urinam, ut & quandoque per alvum, ſumptus ab uncia una, ad uncias duas.*

SYRUPUS HYDRAGOGUS ALIUS HEPATICUS.

℞. Succ. Abſinthii noſtrat. libram unam,
Epaticæ nobilis,
Agrimoniæ ana uncias decem,
Iridis noſtr. cærul. libram unam;
Quibus ſuccis commixtis immerge ſequentia, inciſa & contuſa, utpotè,
Rad. recent. Ebuli uncias ſex,
Calami aromat. unciam unam ſemis,
Galangæ unciam unam,
Medullæ Sambuci drachmas ſex,
Roſarum rub. recent. uncias tres,
Santali rubri unciam ſemis,
Bacc Juniperi unciam unam,
factaque maceratione die una, coquantur ad conſumptionem libræ unius ſemis, colaturæ expreſſæ & alb. ovorum clarificatæ adde
Sacchari albi Can. libras duas,
& denuò ad Syrupi conſiſtentiam decoquantur, addendo ultimo pro aromatiſatione
Elæoſacchari Cinamomi,
Caryophyll. ana unciam ſemis,
Fiat Syrupus.
Cachecticis & Hydropicis emolumento eſt, Hepar roborat inſigniter, ut & Lienem, uncia una vel altera pro doſi frequenter exhibita.

SYRUPUS MASTICHINUS STOMACHALIS.

℞. Aquæ Maſtichinæ ſtomachicæ noſtr. *in Claſſe XV.* deſcriptæ libram unam,
cui adde
Sacchari albi Can. uncias viginti,
ac ſolâ ejuſdem diſſolutione, leniſſimo in calore fiat Syrupus gratiſſimus, *Ventriculo*

triculo ut & Cerebro roborando in affectibus eorum frigidis efficax. Dosis uncia semis ad unciam unam semis.

SYRUPUS DE MELISSA.

ET hic Syrupus ad normam præcedentium Syruporum de Hedera terrestri, & de Hyssopo, parandus venit, quemadmodum Planta hæc odore fragranti, adeoque spiritu subtili sulphureo quoq; prædita, coctionem diuturnam ferre nequit, nî subtiliores ejus partes vaporetenus coctione in auras pellere velimus, terrestrioribus saltem nos saturaturi: Igitur diligentia in similium Syruporum præparationibus adhibenda est. *Inservit autem Syrupus hic ad vires Cordis restaurandas, Uteri insuper affectibus opitulatur, menses mulierum promovet, & malignitatibus, febribusque exinde adversatur. Dosis uncia una ad unam semis.*

SYRUPUS DE MENTHA STOMACHALIS.

AD præcedentium Syruporum conficiendi modum, & hic pariter parandus simpliciter, nimirùm ex aqua ejus sine additione destillata & essentificata, succo porrò cum saccharô ad consistentiam quasi tabulati coctô &c. Verum, cum fortè nonnemo illum magis stomachalem desideret, en! sequentem præparationem subdo:

℞. Menthæ recentis odorif. libras quatuor vel quinque,
Cinamomi acuti unc. unam semis,
Nuc. Moschatar. drachmas sex,
Macis drachmas duas,

destillentur sine ulla alia additione, aut liquoris cujusdam affusione, in baln. n. vaporoso, ad omnem humiditatis prolectionem, siccitatemque specierum; Liquori egresso denuò immerge sequentia saltem incisa, utpotè,

Cinamomi acuti unciam unam,
Nucum Moschatarum unciam semis,
Galangæ,
Calami aromatici ana drachm. tres,
Mastichis electæ drachmas duas,

triduana maceratione circiter peractâ, fiat colatura, Essentia colata purificetur vel per filtrum, aut clarificatione in alembico institutâ, quâ Essentia interim asservatâ accipe,

Sacchari albi libras tres,
solvatur cum
Succi Menthæ recenter expressi & depurati libra una semis,

coquantur ad consistentiam fere tabulati, cui junge

Aquam superiorem essentificatam fragrantem in quantitate competenti respectu Sacchari,

ac solâ dissolutione veluti Sacchari conficiatur justæ consistentiæ Syrupus: *Qui præstans est in roborando stomacho, Nauseam Vomitusque spontaneos compescit, aliisque morbis Ventriculi, à causa frigida natis medetur, porrectus in vehiculis convenientibus, utpotè Vino Cydoniorum vel Granatorum, ab uncia una ad unam semis.*

SYRUPUS

SYRUPUS NEPHRITICUS AUT CONTRA CALCULUM PRIMUS.

℞. Rad. recent. Apii unciam unam,
Petrosel. uncias tres,
Ononidis,
Pimpinellæ ana unciam unam semis,
Calami aromat.
Liquirit. ana unciam unam,
Bulb. Asparagi recent. unc. quatuor,
Herb. recent. Nasturtii hortens.
Petroselini,
Rutæ murariæ,
ana uncias tres,
Bacc. Juniperi unciam unam semis,
Alkekengi unciam unam,
Sem. Nasturtii,
Urticæ ana unciam semis,
Saxifragiæ,
Dauci,
Thlaspios,
Carui, ana drachmas sex;

Incisa & contusa coquantur in l. q. Aquæ simplicis (vel in Aqua Betulæ, si haberi possit, scil. quæ tempore Veris ex arbore Betulæ sauciata sponte efflu-xit) ad remanentiam librarum duarum, colatura cum expressione facta probè clarificetur, cui adde

Succi Raphani hortensis, radulâ comminuti, recenter expr. & depurati libram unam,

Sacchari Canarii albi libras tres, & ad consistentiam debitam Syrupi denuò coquantur. *Vires habet eximias in ciendâ Urinâ, exturbando Calculo & sabulo, cùm renum, tum vesicæ, Renes, meatus urinarios, tùm etiam vesicam mundificat, Calculi propagines, ipsas arenulas exturbando, velut in herba seminium præcidit, supposito, quod ejus usus continuato vigeat, exhibendo pro dosi unciam unam, ad unam semis, in decocto Cicerum & Petroselini.*

SYRUPUS NEPHRITICUS ALTER.

℞. Limon. pomorum recent. succulentorum minutim conscissorum cum toto, excerptis seminibus Num. xij.

Raphanorum hortens. & hyemal. grand. ad instar raparum radula comminutor. libras duas semis,

Cæparum recent. contusarum libram unam,

ex his omnibus mixtis & contusis in mortario lapideo, ac per biduum maceratis, exprimatur tandem succus, qui probè depurandus, & quocunque modo clarificandus, sine violenta coctura. Hujus succi accipe circiter libras duas, cui adde

Sacchari albi Can. libras tres semis, ac unicâ saltem ebullitione confice Syrupum debitæ consistentiæ: *Qui easdem cum priori Syrupo, imò potentiores in remorante Urina ciendâ, ac pellendo sabulo, virtutes obtinet; Conterit proprietate substantiæ suæ Calculos in renibus, eosque extrudit, si ejus usus frequens sit. Eodemque modò, quo prior Syrupus, in decoctis Cicerum & Petroselini, eorum jusculis, & aquis sequentibus destillatis Nephriticis commodè*

modè propinandus, ab uncia ſemis ad unam.

SYRUPUS NEPHRITICUS TERTIUS.

℞. Succi Chærefolii recenter expreſſi & depurati libram unam,
Raphani hortenſis maj. hyemalis recenter expr. & purificati libram ſemis,
Vini albi Rhenani libram ſemis, in quo autem prius
Bacc. Juniperi conquaſſat. uncia una macerata fuerit.
In his Succis & Vino unitis ſolvatur
Magiſt. n. ſolubilis Ocul. Cancrorum cum Spir. Veneris par. unc. una ſemis
Omnibus porrò probè filtratis adde
Sacchari albi Can. q. ſ.

nimirum ad libram unam liquoris uncias circiter viginti Sacchari, ut ſola ejus diſſolutione leni calore, & in vaſe terreo, Syrupi durabilis conſiſtentia emergat, qui aromatizandus

Elæoſacchari Cinamomi uncia una vel altera.

Fiat Syrupus.

Cujus virtutes ex ſuperioribus elucescunt; *Hydropicis Aſcite & Anaſarca laborantibus ſalutaris eſt, pro doſi ejus uncia ſemis ad unciam unam ſumpta.*

SYRUPUS DE NYMPHÆA

DEſtilletur ex floribus Nymphææ albis aqua ſine ulla additione, in baln. noſtro vaporoſo.

Hujus aquæ ſtillatæ libris duabus ſemis
immerge
Florum recentium Nymphææ libram ſemis;

Factâ digeſtione per biduum, aquâ à floribus colaturâ ſeparetur, ac probè clarificetur, quâ interim aſſervatâ, fiat è

Florum Nymphææ recent. libra unâ, &
Aquæ communis ferventis libris quatuor,

Infuſio, ac unius diei circiter maceratio, quâ peractâ, colatura etiam & florum expreſſio. Huic porrò aquæ ferveſactæ prius denuò immergatur

Florum Nymphææ recent. libra ſemis, vel una,

peractâque digeſtione denuò brevi, aqua iterum à floribus, per expreſſionem ſeparetur, ac alb. ovorum optimè clarificetur, cui adde

Sacchari albi Can. libras quatuor, coquantur ad omnem ferè aquoſitatis exhalationem & ad tabulati ferè conſiſtentiam, cui tandem jungantur

Superioris aquæ deſtillatæ & imprægnatæ libræ duæ ſemis,

& unciâ ſaltem ebullitione conficiatur Syrupus debitæ conſiſtentiæ. *Qui inſignes obtinet virtutes refrigerandi & humectandi, Viſcerum æſtus mitigat, ſitim temperat, ac ardores febrium compeſcit, ſomnum conciliat, atque dolores omnes lenit, Doſis uncia ſemis ad unciam unam.*

Nota: Si priori Aquæ Nymphææ deſtillationi nonnihil de *Roſis recenti-*

bus adderetur, pro grato odore conciliando, haud inconsultum illud fore arbitror.

SYRUPUS DE PAPAVERE ERRAT.

AD eundem planè, quo præcedens Syrupus de Nymphæa, modum & hic de Papavere erratico artificiosè parandus est: *Qui suas, ita dextrè paratus, insignes obtinet virtutes, ad ardentium febrium vehementes æstus extinguendos; Dolores mitigat, somnum conciliat, præcæteris autem omnibus pectoris malis, & aerioribus à capite defluxionibus, faucium inflammationibus, Pleuritidi, Peripneumoniæ, & Empyematibus salutaris existit; dandus ab uncia semis, ad unciam unam semis, in vehiculis ac Julapiis gratis.*

SYRUPUS DE PAPAVERE SIMPLEX.

PRæstat hunc Syrupum solâ coctură paraſſe, id unicè cavendo, ne mucilagineum evadat decoctum, quale papaveris capita etiam præbere solent, si diu nimis coquantur: accipias igitur

Capitum Papav. albi & nigri ana recent. unâ cum seminibus uncias octo;

Consciſſa capita, semina autem parum conquaſſata coquantur in ſ.q.aq. ſimplicis, ad remanentiam trium circiter librarum, decoctum colatum, & debitè alb. ovorum clarificatum, additis

Sacchari albiſs. libris duabus, coquantur ad competentem Syrupi conſiſtentiam. *Hic somnum conciliat, præsertim Infantibus, Caloris febrilis incendiū mitigat, humectat & refrigerat, defluxiones à capite tenues & acres ad pectus & asperā arteriā ruentes sistit, à drachma una, duabus vel uncia semis Infantibus & Pueris, adultioribus verò ad unciam datus.*

SYRUPUS DE PÆONIA.

DEſtillentur ex recentibus floribus Pæoniæ per baln.m. vaporoſum, ſine ulla alia additione, Aquæ libræ duæ:

Huic Aquæ deſtillatæ immergantur dictorum florum Pæoniæ recentium unciæ ſex vel octo,

Rad. Pœoniæ recent. conſciſs. teſſellatim uncia una ſemis,

digerantur in calore per diem unum, atque alterum, in vaſe clauſo, fiat pòſt colatura & lenis expreſſio, eſſentiâ interim clarificatâ & aſſervatâ, fiat ex

Florum eorundem recent. libră unâ ſemis,

Radicum etiam Pœoniæ mar. recent. ſiccat. uncia una ſemis, cum ſuffic. quant.

Aqua ſimplicis ferventis,

Infuſio per biduum, & demum colatura & expreſſio, colatura alb. ovorum probè clarificata, additis

Sacchari Canarii albi libris tribus, coquatur ad omnem ferè humiditatis exhalationem, & conſiſtentiam quaſi tabulati, addendo ultimo

Aquæ ſuperioris deſtillatæ ex recentibus floribus eſſentificatæ ſuff. quant. (libras circiter duas.)

fiatque

fiatque unâ aut paucis ebullitionibus Syrupus antepileptious, *qui Comitialibus morbis, ac Uterinis affectibus opitulatur, ab uncia semis ad unciam unam.*

SYRUPUS DE POMIS CORDIALIS.

℞. Gran. Kermes legitim. drachmas duas,
Cort. Arant. recent. extimor.
Citri recent. & extim. ana unciam unam,
Flor. Tunicæ recent. rub. unciam unam semis;
Quæ cuncta immergantur in Succi Pomorum redolent. recenter expressi & depurati libram unam, & peractâ digestione biduanâ, fiat colatura, speciebus verò residuis adhuc affunde
Succi pomorum acidodulc. & redolent. recenter expr. libram semis; reiterataque digestione aliquali, fiat denuò colatura, quæ ambæ colaturæ depurandæ & clarificandæ, addendo tandem
Sacchari Can. albi libras duas, fiat unâ vel alterâ saltem ebullitione, terreo in vase, Syrupus debitæ consistentiæ. *Is in roborando Corde, viribusq; deperditis restaurandis est eximius: Refrigerat, humectat, & malignitati resistit, adeoque in febribus ardentibus, malignis cum fructu exhiberi potest, ab uncia semis ad unciam unam.*

SYRUPUS ANTIPHTHISICUS ET VULNERARIUS.

℞. Aquæ oculorum populi arboris, Aquæ Summitat. Abietis seu Laricis arboris (vulgò Fehrerne Gipffel) ana tempore veris sine additione ullius rei ex Balneo n. vapor. destillat. libras duas;
In his mixtis aquis macerentur sequentia saltem incisa, utpotè
Rad. recent. Enulæ camp.
Saniculæ ana uncia una semis,
Tormentillæ uncia una,
Cichorii sylv. unc. duæ,
Pimpinellæ uncia una,
Symphyti maj. drachm. sex,
Herb. recent. Veronicæ unciæ tres,
Hederæ terrest.
Millefolii,
Consolidæ Sarac.
Flor. recent. Papav. errat.
Rosarum rub. ana unciæ duæ.
Macerationi sufficienti peractâ, in vase benè clauso, & moderato calore, fiat colatura cum forti expressione, expressum alb. ovorum in alembico vitreo, suo capitello munito, probè clarificetur, interimque asservetur. Jam verò
℞. Species ab infusione relictas, quibus porrò adde
Rad. recent. Enulæ Camp. unciam unam semis,
Saniculæ,
Cichorii Sylv. ana uncias duas,
Pimpinellæ,
Symphyti maj.

Tormentillæ ana unciam unam.

Herb. recent. Veronicæ,
Hederæ terreſtr.
Milleſolii,
Pulmonar. maculoſæ,
Conſol. Saracen.

Flor. recent. Papav. errat.
Roſarum rub. ana unc. tres.

Inciſa coquantur in ſ. q. aq. ſimpl. repetitis vicibus, quousque omnis virtus extracta ſit, colaturæ omnes junctim clarificatæ, additis

Sacchari Can. albi libris ſex,

Ad conſiſtentiam quaſi tabulati denuò coquantur, addendo tandem

Aquam ſuperius aſſervatam & eſſentificatam in tanta quantitate, ut una vel altera ebullitione Syrupi conſiſtentia emergat. Fiatque Syrupus. Qui, *in omnibus exulcerationibus internis, Phthiſi, Vomica pulmonum, Empyematibus, Vulneribus profundis præſertim pectoris ſalutariter exhibendus, ſive per ſe, ſive in vehiculis appropriatis, utpote Aquis Vulnerariis, ſero Lactis caprini, imò in Lacte caprino ipſo, ab uncia una ad unam ſemis.*

Nota: Summo vere deſtillentur *ſupradictæ aquæ ex oculis populi*, & *ſummitat. Abietis*, aſſerventurque, donec *reliquæ herbæ, flores & radices recentes* iis infundendæ erumpant, ſic minus difficilis Syrupi hujus erit præparatio.

SYRUPUS DE RIBIBUS.

PAretur juxta modum aliorum Syruporum acidorum ex ſuccis confectorum: *Qui iisdem ferè cum illis viribus gaudet, humectandi, refrigerandi, ſitimque febrilem extinguendi, nec non Cor roborandi.*

SYRUPUS ROSATUS SIMPLEX.

℞. Aquæ Roſarum ſine ullâ additione ex baln. n. vaporoſo ſtill. libras duas,

Cui Aquæ fragr. immergantur
Roſarum rub. recentium unciæ octo, ſuper inſpergendo

Spiritus Vitrioli drachmam ſemis, fiat per biduum circiter digeſtio in vitro benè clauſo, quâ peractâ digeſtione fiat colatura & roſarum expreſſio; expreſſa & colata aqua per filtrum probè clarificetur, interimque aſſervetur. Tum accipe

Roſarum rub. recentium uncias octo: Eæque leniter coquantur in ſ. q. Aquæ ſimplicis ad remanentiam circiter librarum duarum, factâ poſt colaturâ cum forti expreſſione roſarum, clarificetur decoctum alb. ovorum, cui adde

Sacchari albi Can. libras tres ſemis: Denuò coquantur ad totam ferè decocti exhalationem, & conſiſtentiam quaſi tabulati, cui tandem

Aquæ ſuperius aſſervatæ odoriferæ eſſentificatæ & ſubacidæ libræ duæ circiter

addantur, ac una ſaltem ebullitione factâ (ſed cuncta in vaſe terreo vitreato peragendo) Syrupus efficietur gratus & efficax, *in Hepate & Ventriculo roborando; Refrigerat inſuper, humectat,*

ſtat, caloremque febrilem extinguit, quo cum etiam ex tempore Tinctura Roſarum, aquis appropriatis, vel etiam ſimplicibus, aut decoctis commixtus, confici poteſt: Hoc autem denuò obſervetur, ut in terreis, vitreisque vaſis ejus præparatio inſtituatur.

SYRUPUS DE ROSIS SICCIS.

CONficiatur hic Syrupus ad modum in *Pharmacopœia Auguſtana* expreſſum, cùm ſola virtus ſtiptica in eâ expetatur, videantur ibidem ejusdem virtutes.

SYRUPUS DE RUBO IDÆO.

AD normam pariter aliorum Syruporum ex ſuccis acidis confectorum & hujus inſtituatur præparatio, accipiendo nimirum

Succi de Rubo Idæo, qui ſponte per pannum effluxit, libras quatuor,

Sacchari albi libras duas,

& coquendo in vaſe terreo vitreato fiat Syrupus: *Qui defectionibus Cordis & Lipothymiis ſuccurrit, æſtus febrium contemperat, Cor roborat, Urinamque movet, ab uncia ſemis ad unciam unam vel per ſe vel cum Julapiis propinandus.*

SYRUPUS ANTISCORBUTICUS.

℞. Herb. recent. Beccabungæ,
Cochleariæ,
Naſturtii hort.
Naſturtii aquat.
ana q. ſ.

Ex his mixtis herbis conciſis deſtilletur, ſine alia additione ex baln. n. vaporſo Aqua præſtans.

Hujus aquæ deſtillatæ libris duabus immergantur ſequentia minutim inciſa, nimirùm

Herb. recent. Cochleariæ,
Naſturtii aquat.
Naſturtii hortenſ. ana unciæ quatuor,

peractâ aliquali digeſtione in vitro benè clauſo fiat colatura cum expreſſione leni, quâ interim aſſervatâ aquâ, accipe porrò

Succorum recenter expreſſorum & depurat. utpotè
Cochleariæ,
Naſturtii hortenſ.
Naſturtii aquat. ana libram unam,
& additis

Sacchari albi Can. libris tribus ſemis, coquantur ad omnem ferè humiditatis, & ſuccorum exhalationem, & tabulati quaſi conſiſtentiam, cui tandem jungantur

Aquæ ſuperius deſtillatæ & imprægnatæ libræ duæ circiter,

ac una vel altera ebullitione in terreo vaſe fiat Syrupus *præſtans in Scorbuto. Lienis & Meſenterii obſtructiones aperit, ac eroſionibus Oris & Gingivarum, ſanguinem continuò fundentibus, admixto modico Cremoris Tartari, mirificè prodeſt: In aquis appropriatis ab uncia ſemis ad unciam unâ porrigendus.*

SYRUPUS DE SCORDIO SIMPLEX.

SImiliter & hic Syrupus juxta modum in Syru-

in Syrupi de Betonica, vel Hederæ terreſtris dextra deſcriptione indigitatum, conficiendus eſt; Idcircò eorundem præparationes ſtudiosè obſervantur, ut ſecundum illorum ductum & hujus præparatio dextrè inſtituatur. *Præſens cæterum eſt medicamentum hic Syrupus in morbis malignis, & febribus peſtilentialibus, reſiſtit internæ putredini, & proprietate ſubſtantiæ ſuæ Peſti & malignitati cuicunque adverſatur: Lumbricos etiam enecare, ac menſes ciere perhibetur.*

SYRUPUS DE SCORDIO COMPOSITUS ANTIPESTILENTIALIS.

℞. Herb. recent. Scordii noſtrat. libras ſex,
Rutæ hortenſ. libras tres,
Cortic. Arantiorum,
Citri ana recent. & extim. uncias tres vel quatuor.

Mixta & inciſa minutim deſtillentur per ſe ſine ulla additione ex balneo n. vaporoſo ad ſiccitatem herbarum & Corticum.

Aquæ hujus prolectæ libris duabus ſem. immergantur
Herb. recent. Scordii noſtr. unc. quatuor,
Rutæ hortenſi unciæ duæ,
Sem. Citri conquaſſati uncia ſemis,

& factâ digeſtione ſpatio unius alteriusve diei, fiat colatura cum expreſſione, quâ interim aſſervatâ Eſſentiâ prius clarificatâ, accipe

Species ab extractione relictas, quas coque cum ſ. q. Aquæ ſimpl. ad remanent. circiter libræ unius, colaturæ expreſſæ & clarificatæ adde

Succi Scordii recenter expreſſi & probè depurati libras duas,
Sacchari albiſs. libras quatuor,

coquantur ad exhalationem humiditatis, & tabulati ferè conſiſtentiam, addendo demùm

Aquæ ſuperius aſſervatæ & impræ-gnatæ libras duas ſemis circiter,

ac unâ ſaltem ebullitione factâ confice Syrupum debitæ conſiſtentiæ. *Qui efficax eſt in Febribus malignis & peſte ipſa expellenda: Roborat inſuper Cor & vitales ſpiritus, materiam malignam ad ambitum corporis per ſudorem propellens, datus ab uncia ſemis, ad unam & unam ſemis.*

SYRUPUS SPLENETICUS.

℞. Oculorum Cancrorum in pulverem ſaltem redactorum uncias tres,
Cremoris Tartari ſubtiliter triti uncias duas.

His mixtis ſuperaffundantur in alembico vitreo

Vini albi Rhenani libræ duæ,
Spiritus ſalis veri drachmæ duæ,

bulliant parum in alembico vitreo, ſuo capitello munito junctuſisque benè clauſis, ut id, quod bulliendo tranſit, excipi, & reſiduo, cum refrixerit, reaffundi poſſit; fiat pòſt omnibus refrigeratis colatura, quâ interim aſſervatâ, porrò accipe

Rad. recent. Apii,
Cichorii ſylv.
Fœniculi,

Fœniculi,
Pimpinellæ,
Petroſelini ana unc. duas,
Calami aromat.
Galangæ ana drachmas ſex,
Herb. recent. Scolopendrii,
Chærefolii,
Cochleariæ,
Naſturtii hort.
Aſplenii,
Matriſylvæ ana uncias duas,
Sem. Urticæ,
Naſturtii ana unciam unam,
Apii unciam ſemis,
Bacc. Juniperi drachmas ſex.

Inciſa & conquaſſata coquantur in ſ. q. Aquæ ſimplicis ad remanentiam circiter librarum trium, colaturæ expreſſæ & probè prius clarificatæ adde

Sacchari Canarii albi libras tres ſemis,

ac porrò ad humiditatis ſuperfluæ exhalationem, ſeu tabulati ferè conſiſtentiam coquantur, addendo tandem

Vini ſuperius parati & aſſervati ſufficic. quantitatem, ſeu libras duas circiter,

& una vel altera ebullitione, in terreo vaſe vitreato, fiat Syrupus: *Qui ad Obſtructiones Lienis & Meſenterii reſerendas, ac menſtrua mulierum pellenda efficaciter concurrit. Doſis uncia una ad unam ſemis.*

Nota: Quod *Oculi Cancrorum reſidui*, nondumque totaliter diſſoluti, aliis uſibus adaptari poſſint.

SYRUPUS FLOR. TUNICÆ.

NObilis Syrupi de Floribus Tunicæ præparatio inſtituatur juxta normam præparandi Syrupum florum arantiorum; *ita enim efficax exiſtet in virtutibus ipſi tributis, in roborando nimirùm Corde, tollenda Lipothymia & Syncope, adeoq; in omnibus infirmitatibus, ubi Cor & facultas vitalis patitur, Imò in Peſte ipſa & Febribus malignis opem præſtabit.*

SYRUPUS EX SUCCO TUSSILAGINIS.

NOn variat à præparatione Syrupi de Cichorio Sylveſtri, coquendo nimirum radices cum proprio ſucco, & addito Saccharo, ad conſiſtentiam Syrupi. *Præſtat in affectibus Pectoris calidis, Tuſſi ſicca, Peripneumonia, Pleuritide, & aliis catharroſis acribus & ſalſis deſluxionibus, quæ in pectus ruunt, ſalutaris eſt.*

SYRUPUS VIOLARUM MARTIALIUM.

℞. Florum Violarum Martialium recent. à virid. calicul. repurgatorum & excerptorum libr. unam.

Cui ſuperaffunde

Aquæ ferventis libras duas, vel duas ſemis.

Cooperiatur infuſio (quæ commodè fieri poteſt in vaſe ſtanneo,) relinquaturque in calore leni per aliquot horas, fiat poſt colatura & fortis florum expreſſio. Expreſſæ & colatæ infuſioni de novo adde aliquot uncias florum dictorum Violarum in mortario contuſorum, reponantur in locum tepidum

dum aliquot horis, iterumque exprimantur. Expresso huic succo purpureo adde

Sacchari subtiliter triti q.s. nimirùm ad uncias circiter quindecim succi vel infusionis, admiscendo Sacchari libras duas,

ac solâ dissolutione Sacchari in patina stannea, supra ahenum, aquâ fervente repletum, collocata, fiat Syrupus elegantissimus purpureo violaceus durabilis.

Ex floribus à bina infusione superius adhuc residuis, utpotè qui multum adhuc tincturæ & virtutis in se continent, altera porrò fiat infusio, cum aqua ferventi, ex colatura demùm cum Saccharo ad sufficientiam addito, fiat sine coctione vel ebullitione Syrupus uti superius per M.B. minus quidem elegans & efficax, qui vel pauperibus leviori pretio divendi, vel pro Julapio prostare potest. Aliàs etiam *Syrupus hic Violarum* unica ebullitione parabilis est, & quidem sequenti modo:

℞. Infusi Violarum purpurear. uncias quindecim circiter,
Sacchari albi Can. contusi libras duas,

& in aheno stanno obducto; igne ardenti vel recenti carbonum, confestim una vel altera fiat ebullitio, postea ab igne remotis, ac supernatante spumâ cochleari perforato remotâ, Syrupum per setaceum cola & usui serva.

Absolvimus Alterantes Syruposq; nunc veluti manu ducimur ad præparationes *diversorũ Mellium* auspicandas: Verũ deflectimus in ipso statim vestibulo à communi, tritâ & erroneâ Veterum methodo ac viâ, juxta quam violentis & intempestivis coctionibus & elixationibus suis, vires, naturam & energiam *Florum*, *Herbarum*, & *Radicum* hebetant ac pessundant, partes spirituosas fugant & exhalare faciunt, nihilq; quibusdam mellibus consignant, nisi terreum quoddam crassamentum, effœtum & exsuccum coagulum. Nos è contrà oculos & aciem illùc defigimus, ut teneriores, aëreas & spirituosas partes sartas & inviolatas tueamur, quibus tandem efficacissima quæque ad nos Composita, & Mel redundet. Quanquam hoc nostrum dogma aperuerimus, dum *Animadversiones* super *Mel Anthosatum* meditaremur, ubi simplicem & naturæ per omnia consimilem *Renodæi*, *Rondeletii* & *aliorum simplicitate gaudentium Authorum* præparationes commendavimus, quæ citra artem artificiosissimæ, superciliosis Pharmacopœorum quorundam inventis plerunque anteponendæ. De præsenti autem consultum ac necessarium duxi, enucleatiùs & disertè magis super hæc commentari, ut Medicos principiantes, Pharmacopœos ambiguos & devios, Ariadnæâ quâdam regulâ & filo è labyrintheis plexibus in regiam viam & libertatem vindicarem; jacto fundamento de *Mellis* natura, usu, & accidentibus.

Obvium est ipsis etiam Ruricolis, quânam ratione Mellis favos irrequietæ apiculæ serenâ æstate congregent, & inter susurros, velut totidem festivos sibilos, non sibi, sed nobis mellificent. Provida sanè in omnibus natura, brevi velut Epitome in viliissimis hisce insectis

ctis & animalculis Apibus, Monarchias Regnorum, aut Reſpublicas, ſi mavis, ideali quodam compendio delineavit, quibus *Sacræ paginæ* improbi laboris luculentum dant teſtimonium, utpotè ad quos veluti pædagogos, pigros & deſides ablegant: *Magnus* tamen *Ariſtoteles*, & *oculatus Plinius*, Monarchiæ jus ac regimen tribuunt, dum eos Regem eligere inter ſe aſſerunt, hamo ſeu aculeo deſtitutum, ſolâ Majeſtate armatum. Ut ut ſit, conficit interim laborioſa & circumſpecta mater Apis, inter alveolos ex delectu optimorum florum ac vegetabilium primo vere & ſuccedente æſtate, quintam veluti Eſſentiam, ſuccum perdulcem, & debitæ ac durabilis conſiſtentiæ, eumque in alveario recondit, diſpoſitis ad eum (mirè Architectonicæ gnara) totidem capſulis, in quibus Mel digerit, elaborat, heterogenea (quæ & ipſa inutilia non ſunt) ſeparat, hæc propolis, Germanis Wifft / appellantur. Nectar hoc & Ambroſia, balſamicam tenacitatem & naturalem quandam incorruptibilitatem obtinet, ut in multos annos perdurare poſſit, ob inſignes inſuper dotes, quibus nutrit, laxat, abſtergit, confortat, conſolidat, ac reliqua (ſive eſculenta, ſive ſint medicinalia aut bellaria) à corruptione & interitu vindicat ac tuetur, ſummè nobis deſiderabile: quas tamen virtutes jam dicto modo tantò efficaciùs & cum energiâ exeret, quantò exactiùs lege artis ab heterogeneis (Cerâ nimirùm & propoli) liberabitur. Subintravit tamen hactenùs maleſana conſvetudo, quam, neſcio, an craſſior ignorantia, an turpis lucri cupiditas fulciat, ut dum Agricolæ aut Mulſarii favos Mellis apiculis ſubtrahunt, nullo habito rerum diſcrimine, ipſis animalibus & apibus ſtupidiores, ea, quæ naturæ ductu hæc inſecta ſuis ſcriniis & alveolis diſtingvunt, Mel ſcilicet, ceram & propolim, re, uſu, & viribus diſtincta, in unum tamen conjiciunt cumulum, confundunt utilia cum fæcibus, liquant, fermentare faciunt, affuſo inſuper liquore diluunt, unum efficiendo Chaos: adeò quidem, ut nulla poſt ſuperſit ars ac dexteritas, quæ ſimilia confuſa verè ac integrè ſeparare poſſit: interim Mellis natura ac virtus obtunditur, tot obruta heterogeneis, nec amplius ſibi conſtans, arrepto fermento in aliud veluti ens tranſit, alterius dein efficaciæ ac informe coagulum. Subintrant tamen alii emunctioris genii, quibus commune ac tritum eſt, talia in prima veluti principia denuò redigere & ſubdividere, coquunt aucto gradu ignis Mel & hoc Chaos deſpumant iteratô; aſt quô conſilio? partes æthereas & volatiles mellis ſublimant & exhalare faciunt, craſſa terreſtria & heterogenea melli admixta inſpiſſant ampliùs, nobisque pro Mannâ & Melle vappoſa liquamina divendunt & relinquunt, liquatâ nimirum Cerâ & propoli unitâ per minima: ut proindè mirari amplius non ſubeat animum, cur nos prærogativas & dotes Mellis nequaquam in Melle deprehendamus, quas ad nos citra allegorias fida ac Veneranda Antiquitas tranſcripſit: hæc eſt infida magiſtrorum noſtrorum traditio, & Erronum maleſana doctrina, qui poſthabi-

tis majorum ſacris traditionibus, propria exoſculantes, violentas coctiuras in pharmacopolia invehunt, quas prætextato nomine, & novato etymo, deſpumationem vocant, ac nobis imponunt, dum nobis effœta liquamina tradunt, ſubſtantiâ rei in bullas evaneſcente. Hos lubens mecum ad culinas & laboratoria abriperem, ut totis diebus deſpumationibus Mellis intenti, ſi non viderent, palparent ſaltem, totam Mellis ſubſtantiam in bullas & nihilum tandem abire poſſe, præcipuè ſuperinfusâ ſæpius aquâ, ſi immoderatè & ſæpius decoquatur. Et ratio hoc ſvadet: nam dum exhalavit potior pars ſpirituum Mellis in violenta illa ignis torturâ & coctura, ſi qui manent reliqui, ii non ſufficiunt, majorem relictæ partis molem craſſiorem & terreſtriorem regere & coercere, unde bullarum inſtar in ſpumam abeunt partes Mellis craſſiores, ſufficiente ſpiritu & æthere orbatæ. Et ſic ſe res habet, gaudet enim Mel non minùs ac alia quamplurima vegetabilia partibus volatilibus, quæ velut fermentatæ violentiore coctione efferuntur, relictis partibus craſſioribus & terreſtrioribus in formam ſpumæ, quæ ſub dominio relictorum ſpirituum, Mellis videlicet remanentis coerceri nequeunt, à compage & unione naturali penitus ſolutæ. Graphicè hæc deſcripſimus in Appendice de Aquis in genere deſtillandis, ubi ſpirituoſa non coctioni apertæ, ſed deſtillationi ſolum ſubjecimus, experientiâ docti, in iis, quæ balſamicæ & ſpirituoſæ ſubſtantiæ ſunt, nihil inter decoquendum ſupereſſe, quàm mortinia, exſuccas & craſſas remanentias. Quidni & in Melle hoc eveniat, quod Magiſterii inſtar & quintæ Eſſentiæ, ſublimes atomos & partes ſubtiles florum continet? Proindè ſi luci, quam accendo, & rationibus non obſequeris, lingua ac guſtus ſitem dirimat, queîs deprehendes, aliter longè ſapere Mel purum & genuinum, aliter mixtum, alteratum, ſeu propoli & Cerâ confuſum, ac decies deſpumatum: Ut proindè apud viros doctos & ſapientes nullum ſuperſit dubium, Mel virtutibus ſuis conſtans, ſimplex, legitimè ac dextrè ſine magno calore, & intimâ confuſione partium heterogenearum Cerâ & propoli, ſeparatum, adeoque nec ſemel etiam deſpumatum, ſed viribus detergentibus, conſolidantibus, laxantibus, abſtergentibus & nutritivis adhuc integrè gaudens, quale denique in ſubſequentibus docebimus, effœto illi & totidem coctionibus ac deſpumationibus caſtrato Melli, eſſe longè præhabendum.

Qua ratione verò, quoque artificio Mel à Cera aliisque partibus terreſtrioribus heterogeneis legitimè & dextrè ſit ſeparandum (neque tamen partibus ſuis tenuioribus caſtrandū) ut illa, quæ natura ipſa ſeparata voluit, non confundamus, & confuſum Chaos, idque inſeparabile efficiamus, en! modum ſequentem ſuppedito:

Accipe favos cum Melle in ipſis contento, quamprimum ex alveario exciſſi, & à partibus craſſioribus prius ſeparati fuerint, vaſi cuidam vel Ollæ intruſos, in locum moderatiſſimè calidum collocа; dico in locum moderatè calidum, etenim

etenim à leni etiam calore Mel liquidius efficitur, ut ita per colatorium vel ſaccum linteum tranſeat, ac effluat; Quamobrum ab intenſiore calore cavendum, ne & adhærens Cera colliqueſcat, atque adeò hoc pacto adjuncta Heterogenea, ſcil. Cera & propolis Melli intimius permiſceantur, nunquam poſt à Melle amplius ex toto ſeparabilia, quin impuritas maxima, ingratusque ſapor & odor, Melli impreſſa maneant tenaciter, decies licet clarificetur. Proindè quamprimum Mel paulatim & retrò fornacem veluti, leniter calefactum fuerit, illud ſacco linteo in cuſpidem deſinente inſtar manicæ Hippocr. infundito, ac in illo ipſo loco moderatè calido, alligato ſacco tamdiu relinquito, donec Mel ferè omne, & quidem puriſſimum per ſaccum vel manicam in ſubtus collocatum vas permearit, & tranſcolatum fuerit, quod ſine omni deſpumatione, aut ulteriori coctione, ſuo ineſſe naturali durabile, propriis, eximiisque virtutibus prægnans, nec partibus ſuis ſubtilioribus caſtratum, aſſervandum eſt. Relicta in manica vel ſacco à Melle transcolato, Cerâ & propoli, quibus de Melle nonnihil adhuc adhæret, illa ab invicem demum ſeparanda ſunt, aquâ ſimplici affusâ: Hoc verò Mel ultimò elotum, ac coquendo ad debitam conſiſtentiam redactum, ſeparatim, tanquam priori longè inferius, ad uſus culinarios cedat. Præmiſſa hæc de Melle neceſſaria informatione, transitum paro ad ſingulares Mellium Medicinalium præparationes, quæ ordine ſequuntur.

MELANTHO SATUM SEU RORISMARINI.

℞. Mellis puriſſimi translucidi, juxta modum præmiſſum ab heterogeneis partibus probè ſeparati libras duas,

Cui immergantur

Florum recent. Rorismarini conſciſſorum minutim uncia una ſemis,

Folior. Rorismarini recent. & conſciſſorum unciæ quatuor:

Immiſſa alembico, vel alicui alii vitro, cerâ & veſicâ probè clauſo, relinquantur diu in digeſtione, loco tamen moderatè calido, tandem adhuc calente Melle fiat colatura cum forti expreſſione. Mel colatum uſui aſſervetur. Cui tamen, ſi volupe fuerit, idem pondus uti ſuprà florum & foliorum Rorismarini recent. infundi, digeri, & tandem ab ipſis colatum Mel reponi poteſt. Verùm ne quicquam deperditum eat, ac præfatum Mel præſtantius efficiatur, virtutibusque Rorismarini amplius imprægnetur, accipe reſiduum ab infuſionibus expreſſum Rosmarinum, illumque affusâ aq. ſimplicis ſuffic. q. coque, decoctum colatum leniter evaporare ſinito ad ipſam Mellis ſpiſſitudinem, quod priori colato Melli Rorismarini junctum, illud præſtantius in virtutibus, quamvis paulò terreſtrioribus, haud tamen inutilibus, efficiet. *Hoc nativis Rorismarini virtutibus imbutum Mel præſtans eſt, Cerebro, Cordi & Ventriculo roborando, flatibusque diſcutiendis, Colicis pariter ac Uteri-*

nis doloribus, gutturi inferiori cum enematibus immissum, mitigandis.

MEL MENTHÆ.

℞. Aquæ Menthæ odoriferæ sine additione ex balneo n. vaporoso still. libram unam,
cui denuò
Menthæ recentis odoratæ libra una additâ,
ex balneo n. vaporoso aqua destillando proliciatur, quâ interim asservatâ odoriferâ & spirituosâ accipe
Mellis purissimi satis crassi, & legitimè uti supra edoctum, extracti libras quatuor,
Cui immergantur
Menthæ recentis minutim consciss unciæ decem, vel libra una,
factaque maceratione loco calido, vase probè clauso, septimana una circiter, fiat colatura cum forti expressione. Mel expressum interim asservetur.
Jam verò
Ex residua Mentha expressa,
additis adhuc
Menthæ recentis libra una
&
Succi Menthæ recenter expressi & depurati libra una semis,
fiat, cum suffic. q. aquæ simplicis affusâ, decoctum forte, quod colatum & purificatum leniter evaporet, ad consistentiam & spissitudinem satis crassam, instar Electuarii. Hoc porrò cum superioris aquæ spirituosæ suffic. quant. nonnihil diluatur, ac superiori Melli Menthæ, quantū ad debitam suam consistentiam sufficere videbitur, jungatur.

Efficax est in affectibus Ventriculi & Intestinorum: doloribus Colicis & Hystericis, tùm per os assumptum, tùm etiam gutturi inferiori immissum, opitulatur.

MEL MERCURIALE.

℞. Mellis simplicis libras quatuor,
Herb. Mercurialis minutim consciss libras duas,
Succi Mercurialis libras tres;
Coquantur aliquandiu, postea colaturâ factâ, evaporent leniter ad consistentiam Mellis. *Abstergit, alvum laxat, Clysteribus immixtum.*

MEL ROSATUM.

℞. Aquæ Rosarum fragrantissimæ sine additione ex baln. n. vaporoso still. libras quatuor:
Quæ ipsa aqua denuò à libris quatuor Rosarum recentium pallidarum destillando abstrahatur. Aquæ huic proiectæ fragranti immergantur
Rosarum rubearum recent. libræ duæ:
Factaque maceratione per triduum in vitro probè clauso, fiat colatura cum forti Rosarum expressione; qua interim asservatâ essentiâ seu aquâ essentificatâ, accipe porro
Mellis purissimi legitimè depurati, uti supra edoctum, libras duodecim vel sedecim,
cui immergantur
Rosarum rubearum recent. libræ duæ,
digerantur in calore leni per triduum, post

poſt, Melle adhuc calente, colentur, exprimanturque Roſæ: Melli colato porrò immerge, ſervatis interim Roſis prioribus expreſſis,

Earundem Roſarum rubearum recentium libras duas,

& porrò in calore per triduum circiter relictis, fiat iterum colatura cum expreſſione, calente adhuc Melle. Jam verò accipe

Roſas à tribus præmiſſis infuſionibus relictas, ſcil. ab infuſione prima cum aqua roſarum, & duabus infuſionibus cum Melle.

Æque ſuffic. quant. Aquæ affuſâ, coquantur ad remanentiam ſex vel octo librarum, factâ poſt colaturâ cum expreſſione Roſarum, Decoctum prius clarificatum ad ſpiſſitudinem Mellis craſſi, ſeu Electuarii formam, leniter evaporet, quod inſpiſſatum decoctum roſarum, cum ſuperiori aſſervata ſpirituoſa, Roſisque rubris impræ gnata aqua dilutum, Melli roſato ſuperiori per ſolam & binam infuſionem parato, jungatur, & deſuper de dicta impræ gnata aqua Roſarum tantum addatur, quantum pro debita ac durabili Mellis Roſati conſiſtentia, experto Pharmacopœo ſufficere videbitur, & vel ſine ulla, aut unica tantum ebullitione Mel præſtans Roſarum uſui reponi & aſſervari poterit. *Virtutes Mellis Roſati peculiari loco in Animadverſionibus deſcriptas, ſupervacaneum arbitror prolixis verbis hic inſerere; illud ſolùm addo, ac B. L. ſolor, quod plus virium & energiæ in Syrupi hujus aut Mellis uncia una ſibi accedere viſurus ſit, quàm in pluribus aliis vulgata methodo decoctis Mellibus.*

Nota: Si qui *Mel Roſatum Citratum* deſiderent, ut opus hoc magis coarctè, nec ſcripta levi de cauſa reſcribam, hi adeant *Animadverſiones* noſtras in Pharmac Auguſt. ſuper illud idem *Mel Roſatum Citratum* adjectas, & juxta illarum ductum iſtud conficiant: aut in hac dextra Mellis Roſati deſcripta præparatione, ſingulis deſtillationibus & infuſionibus, Cortices Citri vel Limoniorum recentes, in competenti quantitate addant.

Tandem etiam ponat ſibi Lector Benevolus ob oculos, & ſagaciore mentis trutinâ ponderet tritum illud & ſæpius in *Animadverſionibus* n. proclamatum axioma: Quod omne recipiens recipiat ſaltem ad modum ſuæ receptivitatis, non ultra, nec juxta totalem energiam imprimentis; quamobrem ubi, quod pluribus in locis erit obvium, incideris in literas ſ. q. id eſt, ſuffic. quantitate v. gr. coquatur hoc vel illud ſimplex, aut infundatur vel extrahatur, memineris opus eſſe peritiâ Pharmacopœi, ut qui novit Aquam v. gr. aut Vini Spiritum habere ſe in decoctione, extractione & infuſione, velut Menſtruum extrahens & ſolvens; norit etiam quantæ ſint vires in re coquenda, ſolvenda, aut infundenda, & probè dignoſcat, an una coctione vel infuſione, vires rei ſolvendæ vel extrahendæ elici queant; an alterâ & tertiâ, reiterato ſcilicet opere totaliter demum eliciantur: Nullum namque Menſtruum ſolvens & extrahens infinitam habet

ſolvendi & extrahendi latitudinem, ſed limitatam poteſtatem, inque ſphæra ſuæ receptivitatis circumſcriptam: Quis enim libra una aquæ Regiæ, ſolvat Auri mediam? aut quis Spiritus vini uncia extrahat reſinam ex media uncia Gialappæ? ſimili prorſus modo parva aquæ ſeu crudæ ſeu deſtillatæ quantitas, nequit virtutem omnem rei extrahendæ in ſe recipere ex magna ejus mole, ſed reiteratâ ſufficienteque quantitate aquæ opus eſt, dum omnimodam virium prolectionem ex concreto ſolvendo conſequâris, ne ipſum majore ſuarum facultatum & dotis medicæ parte refertum, tanquam effœtum eſſet, cadaver, abjiciatur, cum damno non tàm Pharmacopœi, quàm ægri, qui quod inutiliter abjicitur, non rarò cogitur lucroſo precio redimere & veluti luere, ſed ut integra vis medica ex re ſolvenda aut decoquenda exhauriatur, & in menſtruum ſeu liquorem ſolventem aut extrahentem transferatur.

MEL VIOLATUM.

Fiat ad normam præcedentis Mellis Roſati, & nanciſceris Mel præſtantiſſimum Violatum, ſuis propriis virtutibus uberrimè prægnans, cujus utendi modus etiam notiſſimus.

OXYMEL SIMPLEX.

℞. Mellis puriſſimi ſatis craſſi, ad mentem noſtram extracti, & vetuſti libras duas,

Aceti vini optimi, ſi lubet aliquare gratâ & congruâ, utpotè Roſis, Floribus Tunicæ &c. imbuti libras duas,

paucis ebullitionibus fiat Mellis conſiſtentia paulò liquidior, ne illud diu coquere opus ſit, cum illud facilè in liquidiore conſiſtentia conſervetur diu. *Hujus vires, annexis cautelis, uberrimè deſcribuntur à D. D. Auguſtanis, quas in eorum Pharmacopœia conſule.*

OXYMEL DIURETICUM.

℞. Rad. recent. Apii,
Petroſelini,
Pimpinellæ,
Raphani hortenſis,
Reſtæ bovis ana uncias duas,
Herb. recent. Cochleariæ,
Naſturtii hortenſis,
Chærefolii,
Rutæ murariæ,
Cymar. Aſparagi recent. ana uncias duas ſemis,
Seminum Naſturtii,
Fœniculi,
Thlaſpios,
Urticæ ana unciam unam,

Radices & herbæ inciſæ, ſemina verò conquaſſata immittantur vitro, quibus ſuperaffundantur

Aceti vini deſtillati libræ tres: Serventur in digeſtione loco calido per triduum circiter, factâ pòſt colaturâ cum forti expreſſione, acetum expreſſum filtratione clarificetur, interimque aſſervetur. Jam verò accipe

Species ab extractione relictas: Quas affusâ ſ. q. aquæ ſ. repetitâ vice coque

coque, decoctum colatum & probè clarificatum (cuncta in vase terreo peragendo) evapora et ad consistentiam extracti, seu Mellis spissioris, quod denuò cum superiori aceto asservato & imprægnato diluatur, &

Mellis purissimi crassioris consistentiæ & vetusti, dextrè ex favis suis, uti supra edoctum, extracti, libris quatuor addatur,

ac unâ vel alterâ ebullitione fiat Syrupus seu Mel diureticum, quod aromatizetur

Elæosacchari Cinamomi unciâ unâ.

Movet hoc Oxymel Urinam impeditam potenter, renumq; Calculos & vesicæ atterit, mensesq; mulierum propellit: ab uncia ad unam semis, pro dosi exhibendum.

OXYMEL SCILLITICUM.

℞. Aceti Scillitici cum aceto destillato parati libras duas,

Mellis crassissimi antiqui solidioris libras duas semis,

paucis ebullitionibus conficiatur Mel debitæ consistentiæ.

In Affectibus Pectoris, & Asthmaticis à crassa pituita, & viscosa humiditate provenientibus, Ventriculo etiam tali humore obsesso, maximè conducibile est: Hydropicos nec non Anasarca laborantes juvat: unum vel duo cochlearia pro dosi sumenda.

OXYSACCHARUM SIMPLEX.

℞. Succi Granatorum acidorum recenter expressi libram semis,

Aceti Vini Rosati vel Violati unc. octo,

Sacchari albiss. Can. libram unam semis.

Coquantur in vase terreo ad consistentiam Syrupi, cui pro grato odore & sapore conciliando adde

Essent. Citri Saccharinæ ex recentibus Cort. paratæ unc. unam semis,

Fiat Oxysaccharum.

Refrigerat & humectat, crassos humores incidit, siti sedandæ, nec non Viscerum inflammationi mitigandæ conducibile est, ab uncia semis ad unciam unam, in aquis vel vehiculis convenientibus.

JULAPIUM ROSATUM.

℞. Aquæ Rosarum sine additione ex baln. n. vaporoso destillatæ libras duas semis,

cui adde

Rosarum recentium, vel sale conditarum libras duas:

Ac porrò ex balneo n. vaporoso libræ duæ semis Aquæ destillando prolicantur, quibus adde

Sacchari albi Can. libras quatuor,

ac solâ ejusdem dissolutione paretur Julapium, *pro Cordialibus & refrigerantibus Julapiis dilutioribus conficiendis aptum.*

JULAPIUM EX VINO.

QUamvis dexterrima hujus Julapii præparatio in *Animadversionibus* n. super ipsum factis luculenter descripta, ac juxta ejus normam etiam Julapium

lapium hoc paratu facillimum sit, nihilominus aliam illi addam descriptionem compendiosiorem, magisque cordialem & roborantem, ut utra arrideat, L. B. deligere habeat. Itaque

℞. Vini Malvatici, vel,
si illud propter valorem non arrideat,
Vini albi Rhenani libras quatuor:
cui immergantur
Rosarum recent. sale condit. unciæ quatuor,
Flor. Tunicæ recent. unciæ duæ,
Cort. Arantiorum
Citri ana recent. extim. unc. una,
Cinamomi acuti uncia una semis.

Factâ brevi maceratione, abstrahantur in balneo n. vaporoso destillando libræ tres. Liquori huic spirituoso & fragranti (abjectis speciebus cum vini vappa, quæ in residuo remansit,) porrò adde

Vini Malvatici, vel
Vini albi potentis libras duas,
Rosarum recent. sale condit. uncias quatuor,
Flor. Tunicæ recent. uncias duas,
Cort. Arrantiorum,
Citri ana recentium,
Cinamomi acuti ana unciam unam,

ac porrò brevi factâ maceratione, abstrahantur destillando in eodem baln. vapor. libræ duæ semis, vel tres, quibus adde

Sacchari Can. albiss. libras quatuor, & solâ ejusdem dissolutione, sine ulla coctione aut ebullitione, paretur Julapium *multis encomiis extollendum, ob ejus virtutes cordiales & roborantes quas habet in morbis frigidis, Apoplexia, Epilepsia, Lethargo, Comate Vigili, Paralysi & Hydrope. Senum peculiare est restaurativum, spiritus eorum vitales excitando, roborando: assumendum in vino quod gratissimum reddit, vel etiam alio in vehiculo grato.*

Nota: *Aqua spirituosa* bina vice *à Rosis aliisve speciebus superius* abstracta, in virtutibus suis magis intendi posset, si in eâdem *Corticum Arantiorum & Citri ana recent. & extim. uncia una, Cinamomi tantundem, Ligni Aloes drachmæ duæ*, nec non *Ambræ ac Moschi, pro ditioribus, ana grana aliquot*, aliquandiu saltem macerarentur. *Rosæ* verò quandoque planè omitti possent, propter odorem fœmineo sexui adversantem.

MIVA CYDONIORUM.

℞. Succi Cydoniorum maturorum recenter expressi, & per residentiam depurati libras duodecim,
Musti Vini clari recentis libras sex;
Coquantur leniter terreo in vase ad remanentiam circiter librarum quinque, quibus adde

Sacchari albissimi libras sex,

ac porrò ad consistentiam Mivæ seu Syrupi paulò crassioris percoque.

Gratissimus Syrupus est adversus alvi profluvia, confortat Ventriculum & vomitiones spontaneas sedat; sumptus ab uncia una, ad unam semis.

Nota: Cùm non in omnibus Regionibus, præsertim Septentrionalibus plagis, *Vini aut Uvarum* sit proventus, ideoque

ideoque &*Muſtum Vini* ibidem locorum haberi nequeat ; proinde ſvaſorſum, ut dicto *Vini muſto Succus Cydoniorum* eodem pondere atque menſura ſubſtituatur. Ob quas prægnantes verò cauſas *Vinum album potens*, antiquitùs addi ſolitum, rejecerim, id *Animadverſiones* n. in Julapium de Vino, & Mivam Cydoniorum ſcriptæ, lectu nî fallor dignæ, luculenter commonſtrant, quas conſulat Lector amicus.

MIVA CYDONIORUM AROMATICA.

℞. Succi Cydoniorum recentis depurati libras duodecim,
Muſti Vini clari recent. libras ſex,
(Obſerventur autem, quæ de Muſti defectu in præcedente Miva Cydoniorum ſimplici admonui)
coquantur vel evaporent per ſe leniter in vaſe terreo, ad conſiſtentiam Syrupi craſſioris.

Jam verò

℞. Cinamomi acuti uncias duas,
Caryophyllorum drachmas quinq;
Cardamomi min. drachmas ſex,
Macis,
Nucum Moſchatarum,
Calami aromat. ana unciam ſemis,
Maſtichis el. drachmas duas;
Quibus inciſis & conquaſſatis, cucurbitæque vitreæ immiſſis ſuperaffundantur
Vini albi veteris generoſi, vel
Vini Hiſpanici libræ tres,
& poſt brevem digeſtionem, fiat, dicto in alembico, calore arenæ, una atque altera ebullitio ; verum appoſito capitello vitreo, junctisque clauſis, ut id, quod ebullitione qualicunq; tranſit, reſiduo tandem vino reaffundi poſſit; cum autem omnia refrixerunt, fiat colatura, & ſpecierum levis expreſſio, Vinum verò colatum & aromaticum filtro clarificetur, cui addantur

Sacchari Can. albi libræ ſex,

& ſola ejus, ſcil. Sacchari, diſſolutione leni calore fiat Syrupus, adjiciendo tandem

Succum Cydoniorum unà cum Muſto inſpiſſatum & ſuperius aſſervatum,

fiat Miva Cydoniorum aromatica præſtantiſſima. *Quæ Ventriculum frigidum & humidum roborat, vomitiones ſpontaneas compeſcit, Lienteriam cohibet, & facultatem concoctricem juvat, ab uncia ſemis ad unciam unam ſumendo ſæpius.*

ROB DE BERBERIBUS.

CERASORUM.
DE CORNIS.
CYDONIORUM.
CYNOSBATI.
DE RIBIBUS.
DIAMORON.
EBULINUM.
NUCUM.
SAMBUCINUM.
JUNIPERINUM.

HÆc omnia admodum trita ſunt, & paratu facillima, ut vel quælibet

anicula & ruſtica dexteriori modo illa conficere norit, quàm olim deſcripta fuerint: Revolvantur ſuper ea *Animadverſiones* n. præſertim ſuper Rob de Cornis & Juniperi, è quibus non ſolùm antiquorum errores, verùm etiam dexteriores eorundem præparationes eluceſcent, idcircò non abs re illis in præſens ſuperſedeo, ne cramben biſcoctam apponam, ſed brevitati ſtudeam.

ROB DE SPINA CERVINA.

℞. Baccarum Spinæ Cervinæ q.ſ.
Immittantur ollæ Vitreatæ, quibus ſuperaffundatur Vini boni q.ſ.
ad ſupereminentiam unius vel duorum digitorum transverſorum, facta maceratione die una vel altera, coquantur parum, & per linteum tandem exprimantur. Succi hujus expreſſi libris tribus vel quatuor adde
Sacchari albi libram unam,
& junctim ad conſiſtentiam Electuarii, ſive Rob decoquantur, adjungendo ultimò
Pul. Cinamomi unciam ſemis,
Caryophyllorum drach. duas,
Zingiberis drachm. tres.
fiat Rob debitæ conſiſtentiæ, *præſens in Hydrope Aſcite & Anaſarca remedium.*

Cœterum, traditâ & ad calcem perducta Syruporum alterantium, Mellium, & hujus Claſſis medicamentorum Theoriâ, ad dexteram purgantium Syruporum diſpenſationem iter paro: Humanitatem autem Tuam Lector benevole exoratam volo, ut, ſicut ad hoc medicamenti genus penitius deſcribendum, dexterius conficiendum & integrius conſervandum, multas & majores ferè, quàm circa alias Compoſitiones reſtant exantlandæ vires, multam operam & vigilias promptus aliorum juvandorum ſtudio contuli, quatenus nimirum proſtent, & tanquam ex pharmacevtico condo depromi poſſint medicamenta conſiſtentiæ ſyrupalis, contra quasvis humani corporis affectiones valitura, tempore præſertim verno & æſtivo ex recentibus Vegetabilibus, juxta genuinam, atque ex ipſa rerum natura petitam præparandi methodum conficienda, ægris aſſumptu jucunda, Medentibus honorem & gratiam conciliatura, & omninè talia, quæ Regiæ Pharmacopœiæ honoris augmenta creare valent; ita dum hæc legis, non gravatus ad labores, paulò accuratiore impaſſionatæ mentis trutina perpendere, quem intentioni meæ ſcopum præfixerim, ad multorum commodum directæ: Totius enim mei propoſiti cardo in hoc verſatur, ut conjungerem homogenea conſonis, conformia non diſſonis ſociarem, nec confuſâ ſimplicium viribus & materiâ ab invicem diſſentientium coacervatione harmonicum medicamenti concentum perturbarem, ſed omninò ſarta, tecta, & integritate ſuî accepta conſervarem; tùm etiam ut vires in magna liquoris mole palentes & diſperſas in multo minorem quantitatem concentrarem, atque uti Veteranus Belli Dux, omni, etiam minimæ occaſioni intentior, nihil omittit eorum, quæ quovis modo ad victoriam

victoriam cum honore & emolumento consequendam faciunt, ita & ego non recens è scholis ad praxin descendens, sed p'urium hactenus annorum absque veri jactantia, practicus, posui mihi ante oculos morbos hinc inde in vitas hominum intempestivâ morte extinguendas grassabundos, non minus, quàm vitæ arces & propugnacula, membra principalia corporis intelligo, consideravi, ut justum cuique auxilium, subsidium aptum, & tanquam ex armamentario inculpatæ defensionis arma laborantibus porrigerem & conferrem; sic feci, sic, ut feliciter eveniant, exoptavi. Quod si verò prædicta syrupalis consistentiæ medicamenta, numero haud quaquam absoluta, nec viribus suffectura, contra tot ac tantas hostilitatis morbosæ machinationes accusaveris, differ paulum congrediendi cum inimica morborum phalange animum, donec novo sequentium Classium & medicamentorum robore, mox subsidio auctus, fortior in hostem movere valeas, ad quod sanè permultum etiam facere possunt *Animadversiones* n. cum *Appendice*, ut tandem viribus & numeris omnibus absoluto & instructo, liceat in campo Medico comparere.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS SECUNDA, SYRUPORUM PURGANTIUM

Structuram complectens.

Quamvis minus difficile mihi foret plurimas Syruporũ purgantium Compositiones heic apponere, quia tamen Syrupi purgantes rarò absque commixtione rerum aliarum liquidarum adhibentur, & Cathartica propter diuturnam coctionem, quam in Syruporum confectionibus ferre debent, in viribus suis haud parum diminuuntur; Igitur longè consultius esse arbitror, ad exemplum Infusi purgantis (quod hodierno die plurimi Clarissimorum Medicorum Viennensium in usu habent) Magnifici & Excellentissimi D.D. Mannagetta, Medici Cæsarei, ex iisdem infusa parare; dicti autem infusi purgantis, seu Aquæ laxativæ formula ita se habet:

℞. Fol. Senæ el. unciam unam,
Passularum min. drachmas sex,
Coriandri

Coriandri drachmas duas,
Cremoris Tartari drachmas duas semis.

Incisis & in petia seu sacculo ligatis, superfundantur Aquæ fontanæ ferventis unciæ sedecim.

Factâ maceratione per noctem, mane fiat colatura & expressio; colato adde Mannæ el. Calabr. uncias quinque,
Cremoris Tartari drachmas tres,
& cum alb. ovorum junctim clarificentur, factâ unicâ tantùm ebullitione. Servetur usui. *Cujus uncia tres vel quatuor dentur pro dosi.*

Ex hoc jam manifestum fit, quod toties antea inculcavimus, aquam simplicem, vel aliam quamcunque, aut quodvis aliud menstruum ultra modum suæ receptivitatis recipere non posse: Etenim ex hac Infusione, cui de Catharticis tantum *uncia una Folior. Sennæ, & aliquot unciæ Mannæ, cum unciis sedecim aquæ simplicis* infundendæ destinantur, quatuor ad minimum potiones purgantes efficiuntur, quæ nunquam non cum felici successu exhibentur, cum è contra (ast haud benè) vel *uncia una cum dimidia dictorum foliorum*, cum diversis *aliis purgantibus, Rhabarbaro, Gialappa, Agarico &c.* pro unica potione nonnunquam à quibusdam præscribantur, qui tamen vix eundem effectum assequuntur. Non minus prudenter huic Infusioni *species Catharticæ multum resinosæ* adjectæ non sunt, utpotè quorum vis purgatrix in resinosa substantia consistens *ab aqua simplici* extrahi nequit, sed pro ejusdem extractione *spiritu aliquo ardenti* opus est. Ex horum numero sunt *Jalappa, Mechoacanna, Turbith, Agaricus &c.* Quæ cum scitu necessaria sint, perquam rarò autem in præscriptionibus Medicamentorum observentur, non potui, quin datâ occasione paucis hæc attingerem. Proindè ad normam prædictæ Aquæ laxativæ, alia complurima Infusa loco Syruporum purgantium, ex tempore efformari possent, ne tot tamque inutilibus ex tanta omnis generis tùm Catharticarum, tùm alterantium & Confortantium (quæ non solùm superfluè, sed insuper etiam perperàm planè purgantibus adduntur, & nil amplius præstare possunt, quàm quod prohibeant, quô minùs rerum Catharticarum virtus debito modo extrahi queat) speciérum farragine conglomeratis compositionibus Officinæ gravarentur. Si nihilominus plures & diversi Syrupi purgantes à nonnullis desiderentur, & hi fortè, quos huic Classi inserui, non sufficerent illis, idcircò ad Syrupos purgantes præcedentis Pharmacopœiæ plurimos recurrant, observatis n. *Animadversionibus*, juxta quas instituant ipsorum præparationes, omissis tamen rebus illis plurimis non purgantibus, aliisque, quæ impedimento sunt, quò minus reliqua Cathartica vim suam in affusum menstruum exactè deponere queant, aut subsequentes consulat formulas.

SYRUPUS DOMESTICUS SEU DE SPINA CERVINA.

℞. Succi baccarum fruticis illius, quam Spinam Cervinam appellant, circa

finem Septembris, vel initium Octobris collecti, & probè depurati libras octo,

Huic succo immergantur

Rad. Ebuli unciæ duæ semis, vel tres,
Ireos nostrat. recent. unciæ quatuor,
Semin. Ebuli uncia una semis,
Zinziberis drachmæ duæ
Mastichis elect. dracma una.

Maceratione factâ per biduum coquantur ad consumptionem medietatis, coletur pòst, exprimanturque species, expressum decoctum alb. ovorum probè clarificatum, additis

Sacchari Canar. albi libris tribus, vel quatuor,

coquantur denuò, donec Syrupi consistentia debita acquiratur, adjiciendo in fine

Elæosacchari Cinamomi vel Caryophyl. drachmas sex,

fiat Syrupus, Domesticus olim dictus, verùm cum valdè invalidus sit ex solo succo paratus, idcircò quædam stimulantia Cathartica, ejusdem cum hoc succo naturæ, & virtutis, quæ tamen sine evidenti sapore & odore sunt, addidi, quò major vis & efficacia in Syrupum redundet, qui sanè priori & vulgariter parato præstantior erit *in educenda pituita, & serosis humoribus: Unde præcipuè in Cachexia, Hydrope, ac Arthritide emolumento erit, ab uncia una ad uncias duas sumptus.*

SYRUPUS EMETICUS CORRECTUS.

℞. Pul. n. Antimonii correcti in Mantissa edocti unciam unam.

Extrahatur ejus Essentia seu vis emetica cum Vini albi boni ferventis libra unâ semis.

(Nam aqua simplex, sive etiam destillata per se vim emeticam ex hoc pulvere nequaquam elicit) filtratione pòst, aut residentiâ potius Vino à pulvere separato, adde

Sacchari albi libram unam,

& in Syrupum liquidioris consistentiæ decoque, cui, pro odore & sapore grato ipsi conciliando, porrò adde

Elæosacchari Cinamomi uncias duas, fiat Syrupus.

Dosis uncia una, vel unciæ duæ adultis hominibus; at Juvenibus, pueris & Infantibus drachma semis, drachma una ad drachmas tres, pro ratione ætatis secure propinari possunt.

Notc: Si qui *Pulvere hoc Antimonii correcto* destituti, *Flores Antimonii albos* ritè paratos substituere vellent, ii conficiant Syrupum hunc emeticum ad modum sequentem:

SYRUPUS EMETICUS ALIUS.

℞. Vini Malvatici libras duas, cui immergantur,

Florum Antimonii ritè parat. aut etiam
Mercurii vitæ dextrè parati uncia una semis,
(vel etiam loco horum;
Vitri Antimonii dextrè sine additione parati & subtiliter triti uncia una accipiatur)
Cremoris Tartari drachmæ sex,

factâ maceratione loco benè calente per

per triduum circiter, factâ post colaturâ, vino colato adde

Sacchari albissimi libras tres,

ac sola ejus dissolutione fiat Syrupus, addendo pro grato sapore & odore conciliando

Elæosacchari Cinamomi,

Essent. Citri Sacchar. ana unciam unam,

fiat Syrupus gratus.

Medicamentum efficax est in suis operationibus, proindè non nisi fortioribus naturâ hominibus propinandum, ad expellendos bilioso's, atros Melancholicos & quoscunque abundantes humores excrementitios, profundè radicatos & impactos; Igitur in febribus quartanis aliisque diuturnis & Chronicis auxilio est. Dosis drachmæ duæ, uncia semis, ad unciam unam.

Nota: Pro abstemiis, qui *Vinum* abhorrent, Syrupus dictus *ex succo vel Vino Cydoniorum*, quod æquè ac *Vinum* vim emeticam ex *pulveribus dictis Antimoniatis* elicit, parari poterit, qui gustui magis gratus, licet vel nullis *Elæosaccharis* aromatizetur.

SYRUPUS EMETICUS PURGANS EX VEGETABILIBUS.

℞. Radicum Asari recent. uncias tres,
Esulæ Cortic. uncias duas,
Hellebori nigri uncias duas semis;

conscindantur & contundantur parum, quibus superaffundatur

Aceti destillati & Rosati libra semis,

ac iterum in Vitreo vase exsiccentur, post coquantur in vase etiam terreo, vel saltem sartagine ferreâ, cum aquæ simplicis s. q. repetitis vicibus affusæ, quousque tota virtus extrahatur, colaturæ omnes alb. ovorum probè clarificatæ, additâ

Sacchari albiss. libra una semis, denuò coquendo ad Syrupi consistentiam redigantur, cui pro sapore & odore grato conciliando,

Elæosacchari Cinamomi uncia semis, vel uncia una,
admiscri potest.

VEL FIAT MODO SEQUENTI.

℞. Supradictas Radices aceto præparatas;

E quibus cum suffic. quant. spiritus Vini, repetitis vicibus affusi extrahatur essentia, quousque tota virtus extracta sit, Extractiones omnes in alembicum vitreum suo capitello munitum ponantur, à quibus superfluus spiritus ad Extracti liquidioris consistentiam, scil. Mellis, abstrahatur: Hoc Extractum denuò dissolve cum succi Cydoniorum simplicis recentis, vel etiam Pomorum redolent. libris duabus, & addita

Sacchari Can. albi libra una semis, coquantur ad Syrupi consistentiam. *Qui æquè ac Antimoniati Syrupi, humores excrementitios ex corpore potenter educunt, & sic habebunt ii, qui nauseant Antimonium, quô confugere possint.*

SYRUPUS

SYRUPUS EX HELLEBORO.

℞. Fol. Hellebori nigri recent. ſ. q.
Ex quibus inciſis & contuſis deſtilletur aqua per baln. n. vaporoſum, ſine additione ulla.

Hujus Aquæ profectæ libris duabus immerge ulterius
Folior recent. Hell. b. nigri inciſor. & contuſorum libras duas:

Atque iterum peractâ prius maceratione per quatriduum circiter, aquoſitas per baln. n. vaporoſum penitus penitusque ad ſiccitatem foliorum proliciatur.

Aquæ hujus deſtillatæ libris duabus ſemis,
denuò immerge
Fol recent. Hellebori nigri conſciſſor. libram unam,

macerentur per biduum circiter, poſt fiat colatura cum forti expreſſione, colaturæ probè clarificatæ aut filtratæ adde

Sacchari albiſſimi libras tres,

ac una vel altera ebullitione confice Syrupum.

De viribus *Hellebori*, non tantùm Botanici eximii, ſed etiam Viri in Medica palæſtra exercitati, multa ſanè & egregia confignant encomia. *Hippocrates* divini Vir ingenii & aliquot adeptorum particeps ablegat ad Anticyras Helleboro purgandos. *Paracelſus* deprædicat Eſſentiam ejus Vino parandam. *Helmontius* ad amentias ex ſordibus in Hypochondrio dementificis oriundas valere & capiti peculiariter ſic prodeſſe admittit. *Sala ex Dioſcoride* nodulum peſſi inſtar, ad affectus graviores è ſuppreſſione menſtrui muliebris adhibitum, licet cum mirabili totius contractura, ſine tamen noxa agat, ſummè proficuum aſſerit. *Alii* ad abſumptionem omnis cauſæ occaſionalis ſeu materialis morborum plurium internæ, impetum in vitalem œconomiam noxium facturæ, atque ita ad vitam in ſanitate perplures & longos annos conſervandam, valere ſtatuunt. *Alii* alia addunt, ſive vera, ſive hyperbolica, inter quæ probè notandum, alibi Helleborum vehementer & cum convulſione, alibi non fortius Rhabarbaro, imò alicubi omninò nihil purgare: non tamen niſi in contumaci materia, & benè correctum eſſe exhibendum. Cernimus certè exſurgere nunc temporis nova morborum monſtra, ad præcepta veteris methodi medendi ne quicquam auſcultantia, & non rarò ſtupemus ad complicationem affectuum ſub mitis febriculæ & cordolii larvâ ferociter invitam debacchantium, ut propter hanc rem conſultum ſit, nova indagare præſidia, & revolvere Venerandæ Antiquitatis monumenta, quorum ope prævaleat Medicus morbo, & indubiam ægro victoriam polliceri auſit: ſed delidiâ partim, partim quod omnia jam dicta eſſe, nec reſtare nobis aliquid indagandum, putemus, impunè graſſantur morbi; atque etiam viduas faciunt & pupillos intempeſtiva enectione Parentum. *Paracelſi* quidem eſſentia cum vino ad literam præparata durabilis non eſt, adeò ut Syrupus hic attactus meritò præſtet; ſed cum *Paracelſus*, an pravo an juſto conſilio, non

non determinem ego, ſalem ſuum circulatum, quô medicamenta ipſius præparata faciunt, quod promittunt, in plerisque locis ſupprimat, vel nunc vinum, nunc originem ſaltem, nunc Spiritum Vini, ſaponem, lixivium, aquam ſolventem, & multis aliis larvis occultando nominet, fit ut medicamenta ad literam ex *Paracelſo*, elaborata, nil præſtent eorum, ad quæ præparata ſunt, undè meritò à puris *Galenicis* condemnantur. Aliorum experientias ſicut protervus non exſibilo, imò intra modeſti præconii cancellos limitatas amplector, ita hyperbolicas laudes aliorum potius quàm meâ experientiâ cognoſcere præſto ſum. Nunc non niſi quomodo durabilia & toto anno in promptu, ſeu ex Helleboro, ſeu ex Aſaro, Gratiola, Soldanella, & ſimilibus Catharticis conſtruenda ſint medicamina ſollicitus vivo, majora & hyperbolica quæ iis aſſignantur non recenſurus.

Nota: Si efficaciorem deſideres ex *Helleboro* Syrupum, conſequeris id haud dubiè additis *radicibus ejusdem*, ſcil. ut præſcriptam præparationem ex *ſolis Hellebori foliis*, cum *toto Helleboro*, ſcil. *foliis & radicibus ſimul* inſtituas, perficiasque. Sed ut Tibi experientiam haud exiguam, in commodum ægri Chriſtiani communicem, adverte; quantumvis *pleraq; vegetabilia* in cineres legitimè per ignem redacta, *ſalem lixivialem* præbeant ſaltem *fixum*, ſunt tamen quædam, quæ *Spiritu ſalino* ſunt referta, quædam etiam *ſale nitroſo*: Sic *Guajacum*, *Chinæ Radix*, *Sarſaparilla* parum *ſalis fixi* præbent, verum *nitroſum*, quod ipſum tamen verè volatile non pronunciandum: Noſter autem *Hic Helleborus niger*, tametſi integrum ejus plauſtrum comburas, vix *unciam* acquires *ejus Salis fixi*; cum enim aqua ab ipſo deſtillatione abſtracta acredinem linguæ veluti mordacem impertiat, ſigno eſt manifeſto, in hac acredine *ſpiritum Salinum Hellebori*, ita virium bonum partem ſubjectam eſſe & latere, quare conſulto integras *Melampodii* vires in hoc Syrupo conſervare adnixus ſum, ut examinanti ad oculum patebit, id quod nemo ex ſimplici decocto ſibi polliceri auſit, aut ſperare. At deſiderabis etiam *correctionem Hellebori?* Cautè ſanè circa *Hellebori* exhibitionem extitére Hippocratici veteres; quia non rarò violenter purgat, vomitum excitat: aſt ſatis ipsâ præparatione corrigitur, ſi de *ſucco vel Vino Cydoniorum* ipſi nonnihil adjiciatur, & ſic in ipſa exhibitione *Helleborati medicamenti*, *Cydoniis* namque cicurari, minusque nocere venenatam vim *Hellebori*, imò innoxium reddi medicamentum, pluries animadverſum eſt. Age verò, quisquis, manibus non poſt terga revinctis, ſed ad impigros labores expanſis, meo labori ob artem longam, brevem vitam, ob multitudinem rerum in ſcrinio Naturæ abditarum, & plurima impedimenta, ut minimè uni homini detur cognoſcere omnia, experiri non valenti, geſtis animosè ſuccedere, inſta veſtigiis, reſpice exemplum prælucentis & facem præferentis, & certè tandem in ſecretiores Naturæ thalamos penetrabis, ut

artium difficillimam Medicinam ampliorem, quàm ab ipsis Hippocratis & Galeni temporibus præstitum sit, indefesso paucorum annorum studio, unà cum pharmacevticæ cognitionis thesauro ampliſſimo tibi feliciter obtigisse, gaudere possis & gratulari.

SYRUPUS HYDRAGOGUS.

℞. Rad. Leviſtici recent. unc. duas semis,
Mechoacæ albæ,
Jalappæ,
Ebuli recentis ana uncias duas,
Turbith albi,
Hermodact. ana unciam unam,
Cort. med. Sambuci unciam unam,
Medullæ Sambuci unciam semis,
Gummi Gamandræ pulveriſ. & in petia ligati drachm. unam.
Cremoris Tartari unciam semis,
Tartari Vitriolati drachm. tres,
Ol. Tartari per deliq. drachm. duas:
Inciſis conquaſſatis, craſſiuſculè ſuperaffundantur
Vini, ad dimidias, ex generoſo deſtillati, libræ tres semis,
(sumendo nimirum vini albi generoſi libras septem, & libras tres semis ab illo deſtillatione abſtrahendo, vappâ vini reſiduâ abjectâ.)
locentur in digeſtionem loco calido, & vaſe probè clauſo, per quatriduum, poſt fiat colatura cum forti expreſſione, quâ colaturâ probè clarificatâ, & interim aſſervatâ, accipe
Species ab infuſione relictas:
quibus porrò adde,
Rad. rec. Leviſtici uncias tres semis,
Cichorii ſylv.
Apii,
Vincetoxici,
Petroſelini ana recent. uncias tres,
Cimarum aſparagi recent. uncias quatuor,
Herb. Hepat. nobilis,
Scolopendrii,
Cichorii ſylv.
Agrimoniæ,
Naſturtii hort. ana recent. uncias duas,
Sem. Naſturtii,
Urticæ ana drachm. ſex,
Ebuli unc. unam ſemis,
Inciſa coquantur cum ſ. q. Aquæ ſimplicis repetitis vicibus, quousque virtus omnis extracta ſit, colaturæ omnes cum expreſſione factæ junctim clarificentur, & ad libram unam circiter evaporent; addendo tandem
Superiorem aſſervatam infuſionem catharticam, &
Sacchari Can. albi libras quatuor,
ac leni unâ vel alterâ ebullitione factâ, fiat Syrupus debitæ conſiſtentiæ, qui aromatizandus
Elæoſacchari Cinamomi
Caryophyll. ana uncia ſemis,

Ejus uſus præcipuè eſt in Affectibus Cachecticis & Hydropicis, cum non ſolum ſeroſam humiditatem in corpore fluctuantem per alvum & urinam evacuet, verùm etiam per ſudorem & inſenſibilem tranſpirationem. Obſtructiones præterea viſcerum naturaliũ reſerat, illaque roborat. Doſis uncia una, ad unam ſemis & duas.

SYRUPUS

SYRUPUS MAGISTRALIS PRIMUS.

℞. Foliorum Senæ elect. uncias tres,
Rhabarbari opt. unciam unam ſemis,
Rhapontici veri unciam unam,
Mechoacæ albæ uncias duas,
Hermodactylor. unc. unam,
Agarici Trochiſcati unciam unam ſemis,
Cremoris Tartari drachm. ſex,
Tartari Vitriolati drachm. tres,
Ol. Tartari per deliq. drachm. unam:
Inciſis incidendis ſuperaffundantur
Aquæ ferventis libræ tres ſemis,
vel,
ſi Medico cuipiam placuerit, ſimpl. aquæ
Vinum album ſubſtituat.
Et factâ maceratione per biduum vel triduum circiter fiat colatura cum forti expreſſione, quâ interim clarificatâ eſſentia & aſſervata, accipe
Species ab expreſſione reſiduas, quæ additis ſequentibus, utpotè,
Rad. recent. Cichorii ſylv.
Pimpinellæ,
Petroſelini,
Fœniculi,
Aſparagi ana unciis duabus,
Herb. recent. Hepaticæ nobilis,
Scolopendrii,
Agrimoniæ,
Endiviæ,
Cichorii ſylv.
Naſturtii ana unciâ unâ ſemis,
Sem. Naſturtii,
Urticæ ana drachm. ſex,
Ebuli uncia una,
Cremoris Tartari drachmis tribus,
coquantur, inciſa prius, cum ſ. q. aquæ ſimplicis repetitis vicibus, quousque tota virtus extracta ſit, colaturæ omnes cum expreſſione factæ, probè prius clarificatæ leniter evaporent, ad remantiam libræ unius circiter, vel unciarum octo, & additis ulterius,
Superiore Eſſentiâ Cathartica aſſervatâ, &
Sacchari Can. albi libris tribus ſemis;
denuò perpaucis ebullitionibus redigantur ad conſiſtentiam Syrupi durabilis, qui aromatizandus
Eſſentiæ n. liquidæ Citri unciis tribus.

Utrique ſexui in eduendis humoribus biliosis viſcoſis pituitoſis, ut & Hypochondriacis, conducibilis eſt, quapropter in morbis chronicis, Hypochondriorum obſtructionibus, Menſium ſuppreſſionibus cum ſucceſſu adhibetur, ab uncia una ad uncias duas, & tres.

SYRUPUS MAGISTRALIS SECUNDUS.

℞. Rhabarbari opt. uncias tres,
Rhapontici veri uncias duas,
Myrobalan. Chebularum,
Belliric. ana unc. unam,
Cremoris Tartari drachm. duas:
Inciſis ſaltem ſuperfundantur libræ tres Aquæ ferventis, & relinquantur in digeſtione per biduum, factâ poſt colaturâ cum expreſſione, Eſſentia colata clarificetur, interimque aſſervetur.
Jam verò accipe

Species ab infusione & expressione relictas,
& his adde
Rad. Cichorii sylvest. recent.
Fœniculi recent.
Rubiæ tinctorum ana uncias duas,
Ireos Flor.
Liquiritiæ ana unc. semis,
Herb. Cichorii,
Endiviæ,
Hepat. nobilis ana unciam unam semis,
Mastichis electæ drachm. unam semis,

coquantur incisa cum s. q. Aquæ simplicis repetitis vicibus, novâ semper affusâ aquâ, quousque omnis color & virtus extracta sit, colaturæ postea omnes cum expressione factæ, junctim clarificentur, & ad remanentiam circiter libræ unius leniter evaporent, cui addantur

Superior asservata Essentia qualiscunque
Cathartica, &
Sacchari albi libræ tres,

quæ leni ebullitione ad consistentiam Syrupi debitam redigantur.

Præstat in morbis biliosis, & ut aliqui volunt in Dysenteriis, & Diarrhœis immoderatis, ubi cum virtute Cathartica & abstersiva, vim adstrictivam secum trahere sibi persuasum habent: Cæteroquin roborat hepar, & reliqua viscera naturalia, intestina ab humoribus acrioribus liberat, eorumq; dolores mitigat. Dosis uncia una, ad uncias duas & tres.

SYRUPUS MAGISTRALIS PRO INFANTIBUS ET PUERIS, vermibusque expellendis.

℞. Rhabarbari opt. uncias duas semis,
Rad. Apii,
Graminis,
Vincetoxici ana recent. unciam unam semis,
Cardopatiæ unciam semis,
Liquiritiæ drachm. sex,
Fol. Senæ sine stipit. uncias duas semis, vel uncias tres,
Herb. Abrotani,
Centaurii min.
Tanaceti ana recent. unciam unam semis,
Corallinæ veræ uncias duas,
Semin. Cynæ unc. unam semis,
Urticæ,
Thlaspios ana unc. semis:

Incisa & conquassata coquantur in s. q. aquæ simplicis repetitis vicibus, novâ semper affusâ aquâ, quousque tota virtus extracta sit, quod ex colore & sapore decocti clari ultimò percipitur, colaturæ omnes albumin. ovorum clarificatæ ad libras duas circiter evaporent, tunc demum adde

Sacchari albissimi libras tres,

& ad Syrupi debitam consistentiam denuò coquantur, addendo sub finem,

Mannæ el. Calabr. uncias octo,
solutæ cum
Aq. Cinamomi
Cerasor. nigr.
Rosarum opt. fragr. ana unciis duabus,

Servetur ad usus, puerorum & Infantium

tium enecat enim vermes, eorumve ſentinam atq; alios etiam vitioſos humores extrudit, juxta ætatem dari poteſt, à drachmis duabus, ad unciam unam.

SYRUPUS MAGISTRALIS CHALYBEATUS ANTICACHECTICUS.

℞. Rad. Rhabarb. ſelecti uncias duas,
Aſari unciam unam,
Hermodactyl.
Mechoacæ alb. ana unciam unam ſemis,
Fol. Senæ elect. unc. duas ſemis,
Cremoris Tartari drachm. ſex,
Tartari Vitriolati drachm. duas:
His inciſis ſaltem, quæ incidenda ſunt, ſuperfundantur,
Vini albi boni libræ tres,
relinquantur in digeſtione per triduum, factâ poſt colaturâ cum expreſſione, clarificetur Eſſentia Cathartica interimque aſſervetur.

Jam verò accipe
Species ab infuſione & expreſſione reſiduas;
quibus adde
Rad. Aſparagi,
Apii,
Cichorii ſylv.
Petroſelini,
Pimpinellæ ana recent. uncias duas,
Liquiritiæ drachm. ſex,
Herb. Artemiſiæ,
Chærefolii,
Meliſſæ,
Naſturtii hort.
Rorismar. ana recent. uncias duas,
Sem. Urticæ,
Naſturtii,
Thlaſpios ana drachmas ſex,
Cremoris Tartari unciam unam:
Inciſa quæ incidenda ſunt, ſeminibus conquaſſatis coquantur in ſ. u. Aquæ ſimpl. Chalybeatæ, repetitis vicibus, quousque omnis virtus & efficacia extracta ſit, colaturæ omnes & junctim album. ovorum probè clarificentur, cui clarificato decocto adde
Spiritus Vitrioli q. ſ. pro bona aciditate.
Quô factô in hoc ipſo decocto aciduło extinguatur,
Chalybis integri in fruſtula ſaltem confracti & candefacti libra una, quatuor vicibus circiter, poſt leniter ad libram unam coquendo, decoctum hoc evaporet, cui tandem addantur
Superior aſſervata Eſſentia Cathartica cum vino facta, &
Sacchari albi Can. libræ tres ſemis:
Quæ juncta, paucis ebullitionibus ad conſiſtentiam Syrupi competentem reducantur, qui aromatizandus
Elæoſacchari Cinamomi uncia una, vel uncia una ſemis,
Efficax eſt in morbis chronicis, Cachexia, Obſtructionibus menſium menſium muliebr. pellit inſuper urinam, & viſcera naturalia roborat. Doſis uncia una ad duas & tres.

SYRUPUS MERCURIALIS PURGANS.

℞. Succi herbæ Mercurialis recenter expreſſi & depurati libras quatuor,

cui immerge ſequentia craſſiuſculè inciſa & contuſa, utpotè

Fol. Senæ ſine ſtipit. uncias quatuor,
Rad. Aſari unciam unam ſemis.

Peractâ maceratione ſuffic. coquantur ad dimidias, colaturæ dein clarificatæ adde

Sacchari libras duas,

ac denuò coquendo ad Syrupi conſiſtentiam redigantur, cui pro aromatiſatione adde

Elæoſacchari Cinamomi vel Caryophyll. unciam unam,

fiat Syrupus.

SYRUPUS MERCURIALIS ALIUS.

℞. Succi herbæ Mercurialis recenter expreſſi & depurati libras quatuor, cui immergantur

Rad. Aſari recent. conſciſs. unciæ tres,
Hellebori nigri præparat. aceto roſaceo uncia una ſemis.

Factâ brevi maceratione coquantur ad dimidias, colaturæ dein clarificatæ adde

Sacchari Can. albi libras duas,

& ad Syrupi conſiſtentiam coquendo redigantur; cui odoris & ſaporis gratia addatur

Elæoſacchari Caryophillorum unciam unam,

fiat Syrupus gratus.

Purgat leniter ſumptus ab uncia una ad duas, Clyſteribus pariter haud ineptè admiſcetur, propterea non inconſultum etiam foret, ſi Saccharo Mel ſimplex & purum ſubſtitueretur.

SYRUPUS FLORUM PERSICORUM.

CONfici poteſt ad normam in *Pharmacopœa Auguſtana* monſtratam, trina vel quaterna infuſione & coctione cum Saccharo ad Syrupi conſiſtentiam, vix enim & odor & virtus Cathartica ſalva ſimul in ejusdem præparatione conſervari poterunt. Uſus ejus, qui per ſe notus, ibidem patet.

SYRUPUS DE RHABARBARO.

℞. Rhabarbari electi uncias ſex,
Tartari albi Ven. puri drach. ſex,
Tartari Vitriolati drachmas duas,

cui minutim inciſo Rhabarbaro Tartaro mixto ſuperaffundantur,

Aquæ ſimplicis ferventiis libræ duæ ſemis,

& peractâ unius diei maceratione fiat colatura, cum expreſſione, colatum opt. per filtrum clarificetur, quô interim aſſervatô, accipe

Rhabarbarum ab infuſione & expreſſione relictum, quod coquatur cum ſ. q. aquæ ſimplicis, repetitis vicibus, quosque tota virtus prolecta ſit, colaturæ omnes & junctim optimè clarificentur alb. ovor. & ad uncias novem vel decem circiter evaporent; cui relicto adde

ſuperiorem aſſervatam Eſſentiam vel Infuſionem Rhabarbari

&

Sacchari Canar. albi libras tres ſemis,

quæ

quæ pauciſſimis ebullitionibus redigantur in Syrupum debitæ conſiſtentiæ.

Præſtans eſt in morbis Cholericis, educendo bilem, pellit menſtrua, mulierum ſuppreſſa, & ubicunq; eductione humoris bilioſi opus eſt, non ſine ſucceſſu exhibetur.

SYRUPUS ROSATUS SOLUTIVUS EX MUCHARO.

QUæ de frequentibus & ſæpius juſtò repetitis *Roſarum infuſionibus*, ne dicam profuſionibus, in n. *Animadverſionibus* ſuper ipſum factis inculcavimus, ea omnia huc referenda eſſe cenſeo, non immemor triti axiomatis, quod omne recipiens recipiat ſaltem ad modum ſuæ receptivitatis, non imprimentis, ita etiam Aqua ter quaterve virtutibus Roſarum per infuſionem ſufficienter impræg nata, juxta mentem Meſuæ, vix plures à Roſis, quæ deſuper illi infundentur, vires extrahere potis erit: Quapropter ut laboribus pariter ac ſumptibus parceremus inutilibus, præſtaret juxta deſcriptionem *Syrupi Roſati ſimplicis Pharmacopœiæ Auguſtanæ*, & quidem primæ Claſſis, vel ad modum infra mox deſcribendum, Muchari & Syrupi Roſati ſolutivi præparationem inſtituere. Qui Syrupus eâ ratione paratus, easdem laxandi virtutes obtinebit, ac ſi tot & tantis repetitis infuſionibus & Roſarum profuſionibus confectus eſſet: Eſto tamen cuique ſuum hac ſuper re ſalvum arbitrium, dummodo Roſæ ſint verè laxativæ.

Nota: Quod infuſio Roſarum rubearum, ad inſtar Muchari facta, in pertinaci illa & truculenta Colica, quam Auſtriacam vocant, præſens extet remedium: Non igitur præter rem fore judico, ſi juſſu Medicorum in Officinis Pharmacevticis proſtaret, verùm ſufficerent quatuor circiter infuſiones: Exempli gratia accipiendo

Aquæ ſimplicis ferventis libras quindecim,

Quibus prima vice immergendæ Roſarum rub recentium libræ quinq;

Peractâ digeſtione per biduum circiter,

fiat colatura cum forti expreſſione Roſarum infuſarum, beneficio torcularis facta: Liquori expreſſo denuò

Roſarum rubearum recent. libræ quatuor

infundendæ, ac poſt ſufficientem in loco calido macerationem, Roſæ porrò fortiter exprimendæ, quæ infuſio tertia & quarta vice repetenda, cum libris quatuor, vel ſaltem tribus Roſarum recentium rubearum, tandemque colatum & per reſidentiam depuratum Mucharum, aut per ſe in vitris ſtrictioris orificii aſſervandum Oleo Amygdalino ſuperaffuſo, quò minus aër penetret, & Mucharum corrumpat. Vel ex eo confeſtim Syrupus durabilis conſiſtentiæ conficiendus, ſumendo

Muchari dicti Roſarum libras quatuor &

Sacchari albi Canar. libras duas,

coctione leni in Syrupum redigantur, qui ad uſus præfatos aſſervandus. *Cujus doſis uncia dua ad uncias tres & quatuor.*

Nota:

Nota: Quod, etiamsi *libra una Aquæ*, æquè *libram integram Rosarum recentium* sufficienter extrahere nequeat, defectum tamen nonnihil suppleturam fortem illam expressionem repetitam, beneficio torcularis vel præli factam, quâ etiam *succus proprius Rosarum* unà exprimitur. Quæque *Rosæ* adhuc remanent, & quidquid virtutis in iis residuum, id ad *Spiritum Rosarum* conficiendum conferendum ut est, ne quiequâ intuiliter deperdatur, neque cautela sæpius inculcata velut culpa in me retorqueatur.

SYRUPUS DE FOLIIS SENÆ.

℞. Folior. Senæ elect. uncias octo vel decem,
Tartari albi ſs. Veneti unciam unam.
Ol. Tartari per deliq. drachm duas:

Incisis Foliis ac Tartaro mixtis, superaffundantur Aquæ simplicis ferventis libræ tres, factaque maceratione loco calido vel tepido per biduum circiter, fiat dein colatura cum forti foliorum expressione, colatura probè clarificata interim asservetur. Porrò accipe

Folia Senæ ab infusione & expressione relicta,

quæ coquantur cum ſ. q. aquæ simplicis; repetitis vicibus, quousque omnis virtus Cathartica extracta sit: Colaturæ & expressiones junctim clarificatæ, ad remanentiam libræ unius, vel saltem unciarum novem leniter evaporent, in vase quidem terreo, & additis

superiore Essentiâ asservatâ, nec non

Sacchari Can. albi libris quatuor, paucis vel saltem unicâ ebullitione fiat Syrupus, qui

Elœosacchari Cinamomi uncia una aromatizandus.

Celebre Catharticum est, in morbis ubicunque purgatione opus; educit pituitam crassam, bilem flavam & atram, ab uncia una ad uncias pro dosi exhibendo.

SYRUPUS DE TRIBUS SOLUTIVIS.

℞. Fol. Senæ electorum uncias sex,
Rhabarbari opt. uncias tres,
Agarici trochiscati uncias duas,
Tartari albi Ven. subtil. triti unciam unam,
Ol. Tartari per deliq. drachm. duas.

Incisis saltem incidendis superaffundantur libræ quatuor Aquæ ſ. ferventis, factaque maceratione loco tepido per biduum circiter, fiat dein colatura cum expressione, expressum probè clarificetur, interimque asservetur, Species verò expressæ & relictæ, affusâ ſ. q. aquæ simpl. repetitè coquantur, quousque omnes virtutes Catharticæ extractæ sint, colaturæ & expressiones junctim alb. ovorum clarificentur, & ad libram unam leniter in vase terreo evaporent, cui tandem jungatur

superior asservata Infusio, & additis nec non

Sacchari albi Can. libris tribus semis,

paucis denuò ebullitionibus rediganter ad debitam Syrupi consistentiam, qui

Essentiæ

Eſſentiæ Citri liquidæ n. unciis duabus, aromatizetur.

Et in omnibus morbis ubi purgatione opus eſt, fructuosè adhibetur, ab uncia una ad duas.

CLARETUM LAXATIVUM.

℞. Vini albi boni libras quinque, cui immergantur,
Cinamomi opt. uncia una,
Caryophyllorum drachmæ tres,
Nuc. Moſchatorum uncia ſemis,
Fœniculi drachmæ duæ,
Deſtillentur ex alembico vitreo, vel per baln. n. vaporoſum ad prolectionem librarum duarum ſemis, aquæ prolectæ odoriferæ & ſpirituoſæ porrò infundantur
Rad. Mechoacæ albæ uncia una ſemis,
Galappæ,
Turbith ana uncia una,
Cremoris Tartari drachmæ tres,
Cort. Arantiorum
Citri ana recent. extim. drachmæ duæ.

Factâ extractione & digeſtione per biduum circiter locô tepidô, vitro autem probè clauſo, fiat ſolatura cum expreſſione, quæ filtranda, ut fiat eſſentia clara, ac tandem

Sacchari Can. albi unciis tribus edulcoranda, uſuique aſſervanda eſt, *tanquam Claretum ſeu Vinum Hippocraticum laxativum. Cujus doſis uncia una, ad uncias duas.*

Pro abſtemiis etiam Claretum hoc facere poteſt, ob ſaporem ac odorem gratum, non redolens purgantia, quemadmodum ejus ingredientia Cathartica prorſus inodora ſunt, proindè delicatioribus Medicinam cœteroquin omnem averſantibus offerendum.

Nota: Præſcripto modo ex diverſis *Catharticis* Clareta confici poſſunt, utpote *è Rhabarbaro, Foliis Senæ, Gummi Gamandræ, atque ſimilibus*, & quidem ſine ulla coctione violenta, vel alio calore magno digeſtionis, quemadmodum multoties expertus ſum, *Cathartica* plurima haud parum de virtutibus, vi & energiâ ſuâ perdere, coctionibus violentioribus commiſſa, fierique inſuper & odore & ſapore ingrata, prout alibi etiam in noſtris *Animadverſionibus* edoctum eſt. Licet porrò *harum ſpecierum* vis tota Cathartica, una tantum ſimili extractione vel affuſione Menſtrui, quòdcunque etiam illud fuerit, non proliciatur, poſſunt tamen, ne quidquam pereat, *reſiduæ à primâ extractione ſpecies Catharticæ* ulterioribus extractionibus aut coctionibus ſubjici, atque pro vilioris conditionis hominibus medicinam non averſantibus, purgantia Medicamenta ex iisdem parari. Quo modo verò & ſubtiliores, & paulò craſſiores partes *rerum Catharticarum* omnes uni eidemque Medicamento imprimendæ, & coarctandæ ſint, in plurimis jam præmiſſis Syruporum Compoſitionibus, annexisque earum præparationibus luculenter commonſtratum eſt.

Notetur præterea: Quod non abs re *Vinum deſtillatum ad dimidias* pro extractione *harum ſpecierum Cathar-*

ticarum contulerim, ſed factum eſt, ob reſinoſam earum ſubſtantiam, in quâ tota ferè eorum vis purgatrix conſiſtit, & proin ſpirituoſa & homogenea deſiderat Menſtrua pro ſui extractione aut diſſolutione, aquoſa verò reſpuit. Qui verò è *vino crudo & claro*, clareta ſimilia laxativa conficere intenderint, ii æquè minus imprudenter ſibi conſuluerint, ut è ſequentibus videre eſt.

CLARETUM HYDRAGOGUM.

℞. Vini albi boni Menſ. duas Viennenſes, ſeu libras octo.

Cui immergantur

Cinamomi acuti uncia una ſemis,
Caryophyllorum uncia ſemis,
Maceris,
Nuc. Moſchatarum,
Cardamomi cum ſuis capſulis ana uncia ſemis,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. extim. drach. ſex.

Et brevi factâ maceratione abſtrahantur in alembico vitreo, vel in balneo n. vaporoſo libræ tres;

Huic Vino deſtillato infundantur

Rad. Mechoacæ albæ,
Galappæ ana uncia una ſemis,
Sem. Ebuli recent. drachmæ decem,
Medullæ Sambuci Ligni uncia ſemis, vel uncia una,
Gummi Gamandræ in petia ligati & triti drachmæ duæ,
Cortic. Arantiorum,
Citri ana recent. ext. unc. ſemis,
Cremoris Tartari drachmæ ſex,
Tartari Vitriolati uncia ſemis;

Factâ porrò maceratione per biduum, fiat colatura cum expreſſione, quæ clarificanda, & additis

Sacchari albi Can. unciis quinque,

Pro edulcoratione, fiat Claretum, *quod in affectibus Hydropicis & Cachecticis non ſine emolumento exhibetur, educit ſerum ſuperfluum ex univerſo corpore, obſtructionesque reſerat. Doſis uncia una, duæ, ad tres.*

VINUM HIPPOCRATIUM LAXATIVUM.

℞. Vini albi boni libras quatuor.

Collocentur in olla terrea ſupra ignem carbonum, ollâ nonnihil tectâ, quamprimum autem incipit fervefieri, injiciantur ſequentia ſaltem inciſa, utpotè

Rad. Mechoacæ albæ,
Galappæ ana uncia una,
Rhabarb. opt. drachmæ ſex,
Aſari uncia ſemis,
Cinamomi acuti drachmæ ſex,
Cardamomi min. drachma una ſemis,
Caryophyll. drachma ſemis,
Cort. Arantiorum
Citri ana recent. extim. drachma una ſemis,
Cremoris Tartari uncia ſemis.

His omnibus Vino ferventi immerſis, ſtatim deſuper etiam ſuperinfundantur

Sacchari Can. albi unciæ quinque
&
Album. ovorum numero ij conquaſſatorum ſcopulâ deſpumatoria,

adnita

adnita nec non particula aquæ Cinamomi.

atque unicâ ebullitione factâ, ſtatim removeantur ab igne, & manicæ Hippocratis, ſaccu'o ſcil. in cuſpidem deſinente, infundantur, & vinum hoc ſæpius trajiciatur, donec clarificatum & purum defluat, ad inſtar Vini Hippocratici boni ſaporis & odoris, *delicatulis propinandum, repetitis vicibus, quibus per Epicraſin materia morbifica educenda. Doſis uncia dua ad uncias tres.*

AQUA LAXATIVA PRO USU QUOTIDIANO.

℞. Aquæ ferventis libras quatuor, cui, dum jam ebullire aut ferveſcere incipit, injiciantur

Fol. Senæ electorum & parum ſaltem inciſorum unciæ tres ſemis,
Cinamomi opt. acuti uncia ſemis,
Cort. Arantiorum
Citri ana recent. extim. drachmæ duæ.

Poſthæc, in ordine jam dum mixta adſint ſubſequentia, ſcilicet,

Mannæ el. Calabr. unciæ octo,
Album. ovorum num. iij. conquaſſatorum ſcopulâ deſpumatoriâ, additâ particulâ aquæ Cinamomi,
Cremoris Tartari drachmæ ſex,

& protinus etiam ſuperinfundantur, factâ ſic junctim poſt unicâ, vel ad ſummũ duabus ebullitionibus, removeantur ſtatim ab igne, & per manicam Hippocratis dum adhuc calet tranſcoletur aqua laxativa, donec clara & limpida fiat, boni odoris, nec ingrati ſaporis, *quæ in omnibus morbis, ubi purgatione opus, exhiberi, & tanquam familiare Medicamentum in Officinis Pharmacevticis pro uſu quotidiano ſemper in promptu aſſervari poſſet. Cujus doſis unciæ duæ, tres ad quatuor.*

Si forſan nonnemo etiam Infuſum aliquod Catharticum expeteret, quod in minori doſi efficaciter operetur, en! addo ſequens.

INFUSUM PURGANS SEU AQUA LAXATIVA EFFICAX.

℞. Fol. Senæ electorum uncias ſex,
Rhabarbari opt. uncias duas,
Agarici trochiſcati unciam unam ſemis,
Cremoris Tartari unciam ſemis,
Tartari Vitriolati drachm. duas,
Cinamomi unciam ſemis.

Quibus inciſis & contuſis ſuperaffundantur

Aquæ ſimplicis ferventis libræ tres. Relinquantur in digeſtione loco calido per noctem, fiat poſt colatura cum expreſſione, quæ interim aſſervanda. Jam vero

℞. Species Catharticæ reſiduæ & expreſſæ,

porrò affusâ ſ. q. aquæ ſimplicis coquantur, & quidem repetitis vicibus, quoad omnis virtus Cathartica extracta ſit; Colaturæ & expreſſiones omnes, alb. ovorum probè prius clarificatæ ad remanentiam libræ unius evaporent, quæ remanens libra ſuperiori infuſioni aſſervatæ juncta additisque præterea ſequentibus, nimirum

Mannæ el. Calab. unciis octo,

Album, ovorum num. iij. cum particula aquæ Cinamomi vel Roſarum conquaſſatorum, item Cremoris Tartari drachmis ſex, & ſic junctim, unicâ ſaltem ebullitione factâ, clarificentur, per manicam Hippocratis tranſcolando.

Purgat leniter & ſine moleſtia vitioſos quoscunque humores extrudendo, ab uncia una ad uncias duas propinatum.

Atque hactenus in Claſſem Syruporum purgantium ſatis dictum ſit: prima enim acie conſtituti ſunt Syrupi tùm ſimplices, tùm Magiſtrales ex Catharticis benignioribus, atq; toti Scholæ Medicæ familiaribus, longoque uſu ubique terrarum receptis, compoſiti, ut quandocunque affectus humanæ vitæ hoſtilis ſæva ſymptomatum à cauſa occaſionali ſeu à materia, ſive vitio, ſive errore digeſtionis depravata oriundorum tyrannide in provinciam aut œconomiam vitalem irrumpere audent, Tibi illi mox in ſubſidium præſto eſſe valeant. Succedunt Infuſa purgantia, Aquæ laxativæ, Vina, & Clareta ſolutiva, juſtis omnia armis, id eſt, dextris illisque genuinæ præparationis deſcriptionibus inſtructa, ut cuique medenti in aciem contra hoſtilitatem morborum prodituro ſat eſſe queant. At forſam deſideras Mella, Oxymella & Syrupos Violatos ſolutivos? Verum ſicut ſæpè copiæ militum Ducem belli impedit, & victoria non tàm à multitudine, quàm alacritate Veteranorum dependet, ita prædictis ferè ubiq; ſuffecturis, plura addere, eſſet potius ſuperfluitatis, quàm neceſſitatis; qualia nihilominus ſi ita fuerit ad lubitū, licebit evocare ex prægreſſa *Pharmacopœia* & n. *Animadverſionibus*, ſecundum quarum informationem præparationes Mellium & Oxymellium purgantium inſtitui poſſunt, & concinnari.

)o(

PHARMA-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS TERTIA, ELECTUARIORUM LENIENTIUM, PARANDI NORMAM EXPONENS.

ABsolutis *duabus Classibus de Syrupis alterantibus & purgantibus, ordine instituto ducimur ad Electuariorum Compositiones & præparationes, quod Medicamenti genus necessariò etiam in officinis Pharmaceuticis præstare debet, suas pariter habens species, quarum aliæ Lenientes, aliæ Purgantes, aliæ verò Opiatæ, Antidotales & Confortantes sunt.*

Tertia hæc Classis, quam aggredimur, de Lenientibus agit Electuariis, quæ cum aliis Electuariorum speciebus parem, non planè solidam vel sicam, nec etiam fluidam, uti Syrupi, sed mediam inter utrumque ad modum pulmenti consistentiam requirunt. Inventum est, tùm pro diuturniore rerum simpli-

cium conſervatione, tùm etiam ut ægrotantibus, quibus hæc Medicamentorum forma magis arridet, proſpiceretur. Duplex autem eſt Electuarium, Unum ſimplex; quale eſt, quod ex unica duntaxat re, utpotè Caſſia, Tamarindis, Paſſulis, Prunis, &c. conſtat, & Pulpæ nomine venit: Alterum Compoſitum, quod ex pluribus ſpeciebus, iisque vel reſolventibus, purgantibus, alexipharmacis &c. conſtat & confectum eſt: Nunc non ſolum ſimpliciora, quæ ex unico veluti fructu, ſed & Compoſita quædam, quæ è diverſis conſtant rebus, ut plurimum Cathartici, deſcribenda in me ſuſcipiam, aſt brevioribus quàm in Syruporum confectionibus, quæ vix pauciorib⁹ abſolvi poterant, factum eſt. Etenim ſicuti in ſecunda ſtatim Claſſe Syruporum purgantium brevior fui in multiplicibus eorum Compoſitionibus & præparationibus deſcribendis, ſimiliter in binis ſequentibus Claſſibus, expediam me paucioribus: Cui enim utilitati eſſet, tot & tam multiplices purgantium medicamentorum Compoſitiones heic adſtruere, quæ unam eandemque redolent proſapiam. Nam non cuilibet membro aut viſceri principaliori, neque morbo cuivis peculiare deſtinatur purgans, ſed ad quatuor tantum humores excrementitios ſive ſuperfluos exturbandos ut plurimum pharmaca diriguntur: Licet non diffitear antiquam eſſe doctrinam, quâ Sena & Agaricus magis Capiti, Rhabarbarum Epati, Helleborus Spleni addicitur, quod tamen contingit non tam ratione viſcerum, quàm humorum præternaturalium in ipſis viſceribus, ſive præſentiâ ſive conſenſu peccantium. Quemadmodum igitur in Syruporum purgantium Claſſe, particulariter atque ac Univerſaliter Purgantia pharmaca, Syrupi nimirum Magiſtrales & ſimplices ſunt ritè depicta, quibus Medici omnibus ſuis Indicationibus in affectibus morboſis ubi exturbatione humorum excrementitiorum opus eſt, ſatisfacere poſſunt, ita nec minus etiam in his duabus ſubſequentibus Claſſibus eandem obſervaturus Methodum, nihil quod defectum quendam redolere poſſit, obſervatâ tamen brevitate, relinquam intactum.

FLOS SEU PULPA CASSIÆ.

HÆc legitimè paratur juxta normam in *Pharmacopœia Auguſtana* oſtenſam, annexo ſimiliter utendi illa modo quæ Lector Benevolus revolvat. Ex hac perfectè Extracta Caſſia ulterius diverſa Electuaria compoſita tùm lenientia tùm ſolutiva confici poſſunt, vel in forma boli adhibenda, vel etiam potiunculis commiſcenda, utpote

CASSIA SOLUTIVA PRIMA.

℞. Fol. Senæ elect. unciam unam ſemis,
Rad. Mechoacæ albæ,
Rhabarbari opt. ana unciam unam,
Aſari unciam ſemis,
Cremoris Tartari drachmas quinq;.
Inciſis incidendis ſuperfundantur libræ quatuor Aquæ ferventis, & factâ macera-

tione

ratione brevi coquantur parum, decoctum coletur & exprimantur ſpecies, quæ denuo novâ aquâ affusâ, & quidem repetitis vicibus, quousquè omnis tinctura ſeu virtus Cathartica extracta ſit, coquendæ ſunt: Poſt omnes decoctiones ſimul junctæ albuminibus ovorum clarificentur, & ad ſpiſſitudinem Mellis in diplomate ſeu vaſe abſtrahantur, cui Extracto tandem junge

Florum ſeu Pulpæ Caſſiæ ritè paratæ libram unam ſemis,
Sacchari Can. albi uncias ſex,
Eſſent. Citri Sacchar. n. ex recentibus Corticibus uncias duas,
Cremoris Tartari uuciam ſemis,

miſceantur exactè, fiat Electuarium ſeu Caſſia ſolutiva, *quæ leniter operabitur in morbis calidioribus, & calida hepatis conſtitutione. Doſis uncia ſemis ad drachmas ſex.*

CASSIA LAXATIVA ALIA SEU SECUNDA.

℞. Rhapontici veri uncias duas,
Rhabarbari optimi unciam unam,
Myrobalan. Chebularum,
Belliricarum,
Indarum ana unciam ſemis.

Inciſis & conquaſſatis ſuperaffundantur aquæ ſimplicis ferventis libræ quatuor, & factâ digeſtione brevi coquantur parum, decoctum coletur, ſepties denuò novâ affusâ aquâ, repetitis vicibus ad omnem virtutis & Tincturæ extractionem coquantur; Decoctiones dein omnes & junctim album. ovorum clarificatæ ad Mellis ſpiſſitudinem leniter evaporent. Cui Extracto liquido tandem junge

Florum ſeu Pulpæ Caſſiæ legit. extractæ libram unam ſemis,
Sacchari Canarii albi uncias ſex,
Eſſent. Citri Sacchar. n. unc. unam,

fiat Electuarium.

Præſtat in fluxibus alvi biliosis, Lienteriâ, Diarrhœâ, Dyſenteriâ, & diuturnâ Gonorrhœâ, ubi virtute laxativâ adſtrictoriâ pariter opus eſt. Doſis uncia ſemis ad unciam unam.

DIACASSIA CUM MANNA.

℞. Fol. Senæ ſine ſtipit. unciam unam ſemis,
Rhabarb. opt.
Mechoacæ albæ,
Hermodactyl. ana unciam unam,
Rad. Aſari unciam ſemis,
Cichorii ſylv. recent.
Petroſel. recent. ana uncias duas,
Semin. Ebuli drachmas ſex,
Cremoris Tartari unciam ſemis,
Tartari Vitriolati drach. duas.

Inciſa & conquaſſata coquantur in ſ. q. aquæ ſimpl. repetitis vicibus, quoad omnes vires extractæ ſint, colaturæ omnes conjunctæ, & alb ovorum clarificatæ ad ſpiſſitudinem Mellis leniter in diplomate evaporent, cui Extracto liquidiori tandem junge

Florum ſeu Pulpæ Caſſiæ libram unam ſemis,
Mannæ colatæ prius uncias ſex,
Sacchari Canar. albi uncias tres.
Citrati n. unciam unam,

miſceantur & vel unicâ ebullitione in vaſe

vaſe terreo factâ, fiat Electuarium debitæ conſiſtentiæ. *Eſt Medicamentum ſuaviter purgans, aquoſas præſertim & ſeroſas educit humiditates, proindè in Hydrope Anaſarca & Aſcite cum emolumento propinari poteſt, ab uncia ſemis ad drachmas ſex.*

DIACASSIA REFRIGERANS ET ANODINA.

℞. Infuſionis fortis Florum Papaveris errat. recent. factæ libram unam,
Sacchari Can. albi uncias ſex.
Coquantur leni calore ad conſiſtentiam ferè tabulati, cui adde
Pulpæ ſeu Florum Caſſiæ recent. extractæ uncias octo,
Sem. Papav. albi unciam ſemis,
quatuor frigid. majorum excort. ana drachm. tres,
ad pultis formam in mortario contuſorum & per cribrum ſetaceum transmiſſorum, additâ ſ. q. Mucchari Roſarum rub.

item:

Eſſent. Citri Sacchar. n. ex recent. Cort. unciam unam ſemis,
fiat Electuarium anodinum,

Præſtat in Dyſenteria, Diarrhœa diuturna, Ulceribus Inteſtinorum & Meſenterii, Colica paſſione, & Gonorrhœa maligna inveterata, lenit, refrigerat, & inſuper abſtergit. Doſis uncia ſemis ad unciam unam.

CASSIA EXTRACTA PRO CLYSTERIBUS.

℞. Rad. Aſari,
Cyclaminis,
Rad. Bryoniæ,
Liliorum alb. ana unciam unam ſemis,
Ireos Flor.
Liquiritiæ ana unciam unam,
Herb. Malvæ,
Anethi,
Origani,
Parietariæ
Mercurialis,
Menthæ ana recent. Manip. duos,
Flor. Chamomillæ,
Roſarum pallidarum,
Violarum ana Manip. duos ſemis.
Inciſa coquantur in ſ. q. aquæ ſimpl. ad reman. librarum quatuor vel quinque, hâc colaturâ cum expreſſione factâ & clarificatâ, additâ nec non
Succi herbæ Mercurialis depurati libra unâ,
Extrahatur ex Caſſiæ fiſtulis, Pulpæ ejus libra una ſemis.
Huic Caſſiæ extractæ & ad competentem conſiſtentiam redactæ porrò adde
Sacchari Thomæ libram unam, vel etiam loco ſacchari
Mellis ſimplicis boni libram unam ſemis
ac paucis ebullitionibus fiat Electuarii debitæ conſiſtentiæ, *Clyſteribus ſolutivis & lenientibus, ac etiam Carminativis, admiſcendum, ab uncia ſemis ad unciam unam.*

CASSIA EXTRACTA LAXATIVA.

℞. Fol. Senæ ſine ſtipit. unc. unam ſemis,
Rad.

Rad. Mechoacæ albæ,
Hermodactyl. ana unciam unam,
Rhabarb. electi drachm. ſex,
Aſari unciam ſemis,
Petroſelini,
Cichorii ana unciam unam,
Agarici trochiſcati unciam ſemis,
Cremoris Tartari drachm. ſex.

Ex his ſpeciebus inciſis & conquaſſatis, fiat repetitâ coctione cum aqua ſimplici, virtutum omnium extractio; decoctorum verò colatorum & expreſſorum clarificatio, ac ad ſpiſſitudinem extracti ſeu Mellis, tandem lenis in diplomate exhalatio. Huic extracto adde

Caſſiæ recenter extractæ ſimpliciter libram unam ſemis,
Sacchari alb Can. uncias octo,
Mannæ el Calab. colatæ prius uncias quinque,
Elæoſacchari Aniſi unciam unam,

fiat leni calore pro diſſolutione Sacchari & Mannæ Electuarium debitæ conſiſtentiæ.

Cum ſuperioribus Electuariis ex Pulpa Caſſiæ paratis quoad vires ejus coincidit. Purgat bilem flavam, pituitam, & fœculentum melancholicum humorem; quapropter in omnibus infirmitatibus ubi purgatione opus, viſcerumque calida intemperies conjuncta eſt, utiliter exhibetur, ab uncia ſemis ad drachmas ſex.

ELECTUARIUM LENITIVUM PRO CLYSTERIBUS ANODYNIS ET CARMINATIVIS.

℞. Summit. Anethi
Abſinthii
Menthæ
Origani
Parietariæ
Florum Chamomillæ
Verbaſci ana recent. Manip. duos,
Rad. Liliorum alborum,
Bryoniæ ana unciam unam,
Liquiritiæ,
Ireos Flor. ana unciam ſemis,
Sem. Staphidiſſagriæ
Dauci,
Fœniculi
Carui ana drachm. tres,
Baccar. Lauri drachmas ſex.

Inciſa & contuſa coquantur in ſ. q. aquæ ſimplicis ad remanentiam librarum quatuor circiter, colaturæ adde

Pulpæ prunorum libram unam ſemis,
Mellis ſimplicis uncias decem,
Sacchari Thomæi uncias ſex,

ac denuò ad Pulpæ ſeu Electuarii conſiſtentiam decoquantur, ſuperaddendo

Pul. Baccarum Lauri unciam unam,
Sem. Carui
Cumini
Aniſi ana unciam ſemis,
Opii Thebaici per exhalationem narcotici ſui Spiritus parati & nonnihil ſoluti ad pultis formam drachmas duas vel tres,
Gummi Sagapeni in Vino ad pultis formam ſoluti drachmas decem,
Olei Aneth deſtill drachmam unam,

miſcendo exactè fiat Electuarium, *quod*

uſui ſervetur pro Clyſteribus anodynis & carminativis.

PULPA PRUNORUM.

PUlpa hæc communi modo extrahitur, coctione Prunorum cum aquæ ſimplici ad mollitiem, & transmiſſione per cribrum ſetaceum, quæ præparatio vulgo, diſcipulisque Pharmacopœorum notiſſima, quippè quæ etiam in *Pharmacopœia Auguſtana* ſat clarè deſcripta eſt. Atqui cum Pulpa hæc Prunorum ita ſimpliciter extracta & confecta, vel inefficax ſit in purgando corpore, niſi quod in largâ etiam quantitate aſſumpta, vix alvum ſemel moveat, & æquè benè vel ſingulis horis in culinis conficiatur, ex ordinatione Medicorum à Mulierculis, cum nauſea quoque longè minori ab infirmis ſimilia, quæ domi fiunt alimenta aſſumantur, quàm quæ ex Officinis pharmacevticis, ad quorum nomen ſolùm miſeri infirmi exhorreſcunt, allata ſunt alimenta medicamentoſa, neceſſarium vix judico, Pulpam Prunorum Officinis proſtare debere. Si verò nihilominus ad lubitum ſit, ut hæc pulpa in Officinis pharmacevticis proſtet, præſtat illam ita conficere, ut in operando aut ſubducendâ alvo, minori in doſi aſſumpta efficacior exiſtat, idcircò addo ſequentem modum.

℞. Radic. Cyclaminis uncias duas,
Hermodactyl. unciam unam,
Mechoacæ albæ unciam unam ſemis,
Aſari unciam unam,
Cremor. Tartari drachmas ſex,
Inciſa coquantur in ſ. q. aquæ ſimpl. ad remanentiam librarum trium circiter, coletur, in colaturâ hâc clarificatâ, additâ porrò
Succi herbæ Mercurialis depurati librâ unâ
coquantur
Prunorum Hungaricorum exemptis nucleis libræ duæ,
ad mollitiem & conſumptionem ferè decocti & ſucci, cogatur dein pulpa per ſetaceum, cui addenda
Sacchari albi libra una;
Quæ cuncta leni ebullitione ad conſiſtentiam Electuarii redigantur, addendo ultimò
Elæoſacchari Aniſi unciam unam, fiat Electuarium ſeu Pulpa.

Valet in ſubducenda alvo, vel per os aſſumpta, vel unà cum Clyſteribus gutturi inferiori injecta. Interne verò ſi aſſumenda, conducet unciam unam vel amplius, pulticulæ prunorum in culina parata, admiſcere, ad fallendos infirmos, qui à Medicamentis ex Officina allatis abhorrent.

PULPA TAMARINDORUM.

COmmuniter extrahitur uti pulpa Caſſiæ vel Prunorum, quæ & ipſa cum lenientibus aut fortioribus Cathartici commiſceri & in virtutibus exaltari poteſt, prout in præcedenti Pulpa Caſſiæ adductum eſt; Ne quis autem hæreat, en! modum ſubdo talem.

PULPA TAMARINDORUM PURGANS.

℞. Fol. Senæ elect. uncias duas,
Rad.

Rad. Mechoacæ albæ unciam unam,
Rhabarb. opt. drachm. ſex,
Aſari,
Hermodactyl. ana unciam unam,
Fœniculi,
Petroſelini ana recent. unciam unam ſemis,
Crem. Tartari drachmas ſex,
craſſiuſculè inciſis ſuperaffundantur libræ quatuor aquæ ferventis, & facta breviſſima maceratione coquantur parùm, decoctum coletur, exprimanturq; ſpecies, quæ denuò novâ aquâ affusâ, & repetitis vicibus, quoad tota virtus Cathartica extracta ſit, coquendæ ſunt: Decoctiones dein omnes conjunctim albuminibus ovorum clarificatæ, ad ſpiſſitudinem Extracti ſeu Mellis evaporent leniter, Huic Extracto adde
Pulpæ Tamarindorum ſimpliciter extractæ libram unam ſemis,
Cremoris Tartari unciam unam,
Magiſterii Galappæ Amygdalis probe ſubacti drachmas tres,
Sacchari Canar. albi libram unam,
Elæoſacchari Cinamomi unciam unam,
& leuiſſimo calore fiat Electuarium ſeu Pulpa debitæ conſiſtentiæ.

Eſt Medicamentum præcedentibus ſimile Catharticum & purgans univerſale, præcipuè in affectibus calidis bilioſis, quibus Viſcerum φλώγοσις conjuncta eſt, utiliter exhibetur, ab uncia ſemis ad drachmas ſex.

Nota: Obſervetur cautela ſæpius inculcata, nimirùm hæc & ſimilia acida in terreis vaſis eſſe paranda, omniaque vaſa ex ære & aurichalco facta abarcenda.

PASSULÆ LAXATIVÆ.

℞. Folior. Senæ electi uncias duas,
Rad. Mechoac. albæ unciam unam ſemis,
Aſari drachmas ſex,
Cremoris Tartari unciam ſemis.
Inciſa coquantur in ſ. q. Aquæ ſimpl. repetitis vicibus affuſæ, ad omnem virtutum Catharticarum extractionem, decoctiones omnes album. ovorum clarificatæ additis
Sacchari albiſſimi unciis octo,
redigantur coquendo ad conſiſtentiam ferè Tabulati, cui, dum adhuc fervet, injiciatur
Paſſularum min. opt. repurgat. & in particula aquæ Cinamomi atque Roſarum fragrant. per diem unum macerat. libra una,
factaque adhuc unâ vel altera ebullitione, Paſſulæ ita dextrè conditæ aſſervandæ ſunt, addendo tamen pro aromatiſatione ſi libet
Elæoſacchari Caryophyllorum unciam unam,

Adſtrictam leniunt alvum, dantur ut plurimum puerulis, & qui Medicinas purgantes averſantur, à drachmis duabus ad unciam ſemis & unciam unam.

Ad eundem modum & Zibebæ, exemptis prius acinis, & Pruna etiam laxativa parari poſſunt.

PASSULÆ PURGANTES SICCÆ.

℞. Paſſularum probè repurgat. libram unam ſemis,

macerentur unâ alterave die in Aquæ Cinamomi, vel Roſarum fragr. unciis quatuor circiter, quô totam abſorbeant aquam, propterea ſæpiùs commovendæ, poſtquam verò leniſſimo in calore parumper ſiccatæ fuerint, conſpergantur pulvere ſequenti, utpotè

Diagridii Sulphurati, amygdalis dulcibus probè ſubacti, unciâ unâ ſemis,

Cremoris Tartari drachmis ſex,

Sacchari Roſati vel Citrati n. unciis tribus.

His mixtis pulveribus Paſſulæ obvolutæ & conſperſæ leniter & ferè totaliter exſiccentur, ſerventurque uſui.

Validè operantur hæ Paſſulæ, neque ingratæ ſunt palato, cavendum tamen, ne iis in affectibus adhibeantur quibus Diagridium vel Scammonium obeſſe & tormina excitare poteſt. Doſis uncia ſemis ad drachmas ſex.

PASSULÆ PURGANTES ALIÆ.

℞. Fol. Senæ electi. uncias duas,

Rad. Mechoacæ albæ unciam unam ſemis,

Rhabarbari electi,

Turbith opt. ana unciam unam,

Aſari unciam ſemis,

Cremoris Tartari drachm. quinque.

Conciſis omnibus cum ſ. q. aquæ ſimpl. vicibus repetitis affuſæ fiat decoctio: Decoctiones autem album. ovorum clarificatæ ad remanentiam circiter libræ unius evaporent, cui reſiduo adde,

Sacchari albiſſimi uncias ſex,

ac ad Syrupi conſiſtentiam competentem coquantur, cui Syrupo tandem admiſceantur, in calore

Paſſularum min mundat. unciæ octo, & denuò junctim ad debitam rediganturconſiſtentiam, adjiciendo ultimo fine ulteriore ebullitione

Elæoſacchari Cinamomi unciam ſemis,

fiunt Paſſulæ laxativæ ſeu purgantes, *quarum Doſis drachmæ duæ, uncia ſemis ad unciam unam.*

PASSULÆ ALIÆ PURGANTES.

℞. Sacchari albiſſimi uncias ſex, ſolvantur in

Aquæ ſimplicis unciis octo, quibus adde

Paſſularum min. probè mundat. uncias ſex,

coquantur junctim ad ſatis craſſam ſacchari conſiſtentiam, antequam autem ab igne removeantur, ſuperinfundantur

Magiſt. Galappæ,

Scammonii ana drachmæ duæ ſemis,

ſolut. autem prius

Spiritus Vini rectificatiſſimi unciis duabus vel tribus.

Quibus infuſis, removeantur illicò ab igne, nam Spiritus Vini rectificatus protinus

protinus aëra petit, & relinquit Magisteria Passulis per minima immixta: quæ additâ tandem

Elæosacchari Anisi unciâ unâ aromatizandæ. *Earum dosis erunt drachmæ duæ ad unciam semis.*

ELECTUARIUM PASSULATUM.

℞. Foliorum Senæ uncias tres semis,
Rhabarbari electi unciam unam,
Asari Radicum drachmas sex,
Crem. Tartari unciam semis.

Incisa & conquassata coquantur in s.q. aquæ simpl. ad remanentiam librarum quatuor, decoctum coletur & clarificetur, in quo ebulliant

Passular. min. mundat. libræ duæ: fiat ex iis Pulpa per setaceum transmittenda, cui adde

Sacchari albi libram unam, & ad consistentiam Electuarii coquendo redigantur, adjiciendo ultimò

Magist. Scammonii vel
Galappæ amygdalis probè subacti unc. unam
Pul. Anisi
Nuc. Mosachatar. ana drachmas duas,
fiat Electuarium purgans.

Atque ita pro hâc etiam Classe satis, numero pauca, efficaciâ verò sufficientia, dicta sunto: Sufficit inquam non defore quibus intentioni Medici satisdetur, inutile verò tanta Electuariorum in unam ferè & consimilem operationem conspirantium diversitate & multitudine pharmacopolia aggravare: Nam utut excusetur, ea oportere prostare, ne quid elegantiarum & æstimationis videatur deesse, quia tamen verè contingit, ut dum per biennium aut triennium ex dolio cujusdam Electuarii vix uncia præscribatur, tota massa vetustate corrumpatur; inutile inquam est materialia deperdi, noxiasq; impensas fieri. Si quis tamen desideret plura ejusdem virtutis & consistentiæ Electuaria, is adeat *Animadversiones* n. in *Pharmacopœiam Augustanam*, ubi quæ in suam rem facere arbitrabitur, inveniet, & quod vult ex pluribus seligere valebit.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS QUARTA, ELECTUARIORUM SOLUTIVORUM MOLLIUM STRUCTURAM COMPLECTENS.

QUartam Classem dum auspicor, Amice Lector, quæ Catharticis & propriè Compositis Electuariis destinata est, consultum duxi in ipso limine demonstrare, quam importunæ farragines Electuariorum permultis Dispensatoriis insertæ hactenus fuerint, non nisi numerum præposterè multiplicantium, aut si quæ tamen nonnihil à se discrepant, inconcinnâ tamen atque inutili ingredientium forma in tantum deformia sunt, ut potius ejusmodi quisquiliis sanitati deroges, quàm deploratos ægros fulcias, dosin ac quantitatem adaugeas, ac peculium emulgeas, adeò quidem ut, si virtutes simplicium multorum Compositorum probè scruteris, toto cœlo à proposito scopo & etymo aberrare

aberrare deprehenſurus ſis. Quid etenim obſecro præſtat ſemen Pſyllii Electuario de Pſyllio? Quid prunum Diaprunо Nicolai? Quid Sebeſten Diaſebeſten Montagnanæ? niſi quod numerum augeat, vim verò Catharticam non intendat, neque malignitatem corrigat, ingratum ac nauſeâ plenum medicamentum nobis relinquat, imò prout in Animadverſionibus declaratum eſt, quæ ſuperſunt vires Cathartica, viſcoſitate ſua obruat ac præpediat, ut proindè quàm avidè atq; libenter ad ejuſmodi pulmenta devoranda ægroti inclinent atque rapiantur, arbiter Medicus eſſe poſſit, qui indies moleſtis Patientum querimoniis auſcultare cogitur, quantitate nimirum & doſi medicaminum ſe obrui lamentantium, adeò ut ſi ipſe veritati parentare in hoc puncto velim, aliud fateri non poſſim, quam quod talia perſæpè ſint maximimo ære & precio ægris oblata, quæ non hominibus, ſed ſaginandis porcis deſtinanda fuiſſent, è quibus non tam æger, quam Pharmacopœorum loculi melius habuêre. Ne proinde in eandem naſſam recidam, ſed inutilem hanc Compoſitionum farraginem devitem, ac detracto cortice nucleum ſolummodò exhibeam, ſolutiva talia & Electuaria Cathartica de præſenti proponam, quæ numero ingredientium non terreant, Pharmacopolia & ægros non aggravent, indicationes & circumſtantias morborum reſpiciant, grata & amica ſint patientibus, ac omnibus expetenda, uno abſolvam diverbio; pauca, aſt bona: Sit igitur primum

ELECTUARIUM MAGISTRALE PURGANS.

℞. Rad. Polypodii q.
Cichorii ſylv.
Fœniculi,
Petroſelini ana recent. unciam unam ſemis,
Aſari,
Hermodactyl.
Hellebori nigri ana unciam unam,
Mechoacæ albæ uncias duas,
Rhabarbari el.
Turbith albi ana unciam unam,
Agarici Trochiſcati drachm. ſex,
Fol. Senæ elect. unc. duas ſem.
Sem. Ebuli conquaſſati unc. ſemis,
Cremoris Tartari drachm. ſex.

Inciſa & contuſa coquantur in ſ.q. Aquæ ſimplicis repetitis vicibus, quoad omnis virtus extracta ſit, decoctiones omnes colatæ, & album. ovorum clarificatæ, in diplomate leniter evaporent ad conſiſtentiam Mellis ſeu Extracti liquidioris, quod per linteum denuò colatum & expreſſum, additis

Eſſent. Citri Sacchar. n.
Elæoſacchari Cinamomi ana unc. ana,

interim aſſervetur. Jam verò accipe,

Succi de Rubo Idæo recenter expreſſi prælo, & non ſponte per colatorium effluxi libras duas,
Sacchari Can. albi tantundem:

coquantur

coquantur leniter ad conſiſtentiam ſatis craſſam ad inſtar veluti gelatinæ ſeu Rob, cui ſub finem dum adhuc parum calet, adde

Superius aſſervatum Extractum, nec non
Magiſt ſeu Reſinæ Galappæ drachmas ſex, cum
Amygd. dulcium decortic. drachmis quatuor vel quinque, probè ſubactæ,

fiatque Electuarium juſtæ conſiſtentiæ, reſolubile in omnibus liquoribus. *Quod ipſum vices ſupplebit multorum Electuariorum Catharticorum, quæ immenſis extolluntur laudibus; purgabit leviter exturbando omnes excrementitios humores, ſanguinem idcircò purificat, adeoque à multis morbis hominem liberat ac præſervat. Promptè diſſolvi poteſt, & verè miſceri cum quibuscunque liquoribus aquoſis & Syrupis, ut nec quicquam de illo fundum petat, quo ſumentibus naſea concitetur, uti fieri ſolet ab Electuariis, quibus plurimi pulveres, protinus fundum petentes immixti ſunt. Doſis ſunt drachmæ duæ ad unciam ſemis.*

Nota: Quod *ſuccus de Rubo Idæo* ſi protinus prælo exprimatur, & non ſponte, uti in pharmacopoliis fieri ſolet, per colatorium effluxerit, in coctione *cum ſaccharo* gelatinam veluti præbeat, proindè in craſſiorem quàm Syrupi conſiſtentiam, hic ſummoperè neceſſariam, facilè redigibilis, conſtantem tamen, ut ſitum nempè nec contrahat, neque in cryſtallos ſaccharinos tandem concreſcat, quod Syrupis aliàs ultra ordinariam conſiſtentiam coctis commune eſt, & accidit; Eapropter *ſuccum protinus prælo expreſſum è fructu recenti de Rubo Idæo* ad hoc Electuarium pro baſi ponendum præcepi, ut juſta ſimul ac durabilis Electuarii conſiſtentia emergat. Porrò notetur, quod ſi fortè alio tempore anni, quàm vere & æſtate, Electuarium hoc foret parandum, quo *ſuccus prædictus recenter expreſſus* in promptu eſſe nequeat, hujus in locum ſurrogari poſſit, *ſuccus pomorum redolent. recenter quoque expreſſus*, qui ipſe *cum ſaccharo* coctus, æqualem præbet conſiſtentiam craſſam ſeu gelatinam, ad Electuariorum conſimilium baſin conducibilem: Verum majorem ſaporis gratiam *Succus de Rubo Idæo* Electuario huic conciliabit; idcircò vel ſæpius ex hoc, & non alio ſucco, dictum foret parandum Electuarium, author ſum, ut *Rob ſive Gelatina de Rubo Idæo* (prout in Officinis appellare conſvevêre) tempore veris conſueto ſufficienti quantitate paretur, & ad poſteros uſus aſſervetur, quo proſtante, ſæpedictum Electuarium quovis anni tempore eſt parabile.

ELECTUARIUM HYDRAGOGUM PRIMUM, EX EBULO.

℞. Rad. recent. Leviſtici uncias tres,
Apii,
Cichorii ſylv.

Chelido-

Chelidoniæ,
Cucumeris asinini,
Petroselini,
Pimpinellæ ana unc. duas,
Ebuli unc. tres,
Asari unciam unam,
Cort. recent. med. Sambuci unciam unam semis,
Medullæ ligni Sambuci unciam unam,
Herb. Gratiolæ,
Soldanellæ,
Hepat. nobilis ana unc. unam semis,
Rosarum rub. recent. uncias duas,
Sem. Ebuli unc. unam semis,
Nasturtii,
Urticæ ana drachm. sex,
Cremoris Tartari unc. unam,
Ol. Tartari per deliquium facti drachm. duas.

Incisa & contusa coquantur in suffic. quantitate Aquæ simplicis, repetitis vicibus, quoad virtutes omnes extractæ sint: Colaturæ omnes junctim alb. ovorum clarificentur, & ad remanentiam libræ circiter unius leniter evaporent, cui residuo adde

Succi baccarum Ebuli recenter expressi libras duas semis,
Sacchari Canar. albi libras duas: denuò leni coctione redigantur ad consistentiam Rob seu Electuarii, addendo dum adhuc parum calet,
Magist. Gialap. drachm. sex, prius cum
Amygd. dulc. decortic. uncia semis probè subacti
Essent. Citri saccharinæ n. unciam unam,
Elæosacch. Caryophyll drachm. sex, fiat Electuarium.

Præstat in Cachexia & Hydrope, ubi evacuatione humoris aquosi & pituitosi opus est, quos feliciter tùm per inferiora, tùm etiam per vias urinarias educit: Dandum ab uncia semis ad drachmas sex.

ELECTUARIUM HYDRAGOGUM SECUNDUM, DE SPINA CERVINA.

℞. Rad. recent. Levistici unc. tres,
Apii,
Cichorii sylv.
Chelidoniæ,
Pimpinellæ,
Petroselini ana unc. duas,
Asari unc. unam semis,
Ebuli uncias tres,
Mechoacæ albæ,
Hermodactyl. an. unc. unam,
Herb. recent. Gratiolæ,
Hepaticæ nobil. ana unc. duas semis,
Flor. rosar. recent. rubr. unc. duas,
Sem. Ebuli unciam unam semis,
Nasturtii,
Urticæ ana drachmas sex,
Cortic. recent. Arantiorum unciam semis,
Cremoris Tartari drachmas sex,
Ol. Tartari per deliquium facti drachm. duas.

Incisis & contusis superaffunde libras quatuor vini albi, seu, quod melius, musti vini clari; factaque maceratione per diem, ac unâ vel alterâ ebullitione prægressâ, fiat Colatura cum expressione:

ne: ſpecies expreſſæ porrò cum ſ. q. aquæ ſimpl. repetitâ vice coquantur; Colaturæ tandem omnes alb. ovor. probè clarificatæ ad remanentiam libræ unius leniter in vaſe terreo exhalent: Cui reſiduo liquori denuò adde

Succi de Spina Cervina recenter expreſſi libras tres,

Sacchari Canarii albi libras duas,

Et ad conſiſtentiam Electuarii ſeu Rob leni coctione redigantur, addendo ſub finem, dum adhuc parùm calet

Magiſt. Gialapp. drachm. quinque prius cum

Amygd. dulc. decortic. uncia ſemis probè ſubacti,

Elæoſacchari Aniſi uncias duas,

Fiat Electuarium.

In virtutibus & doſi priori ſimile.

ELECTUARIUM LENITIVUM ET MITIGATIVUM.

℞. Rad. Rhapontici veri,

Rhabarb. optimi, ana unc. duas,

Mechoac. alb. unciam unam,

Acetoſæ unciam unam ſemis,

Cichorii ſylv. uncias duas,

Fœniculi unciam unam,

Herb. recent. Hepaticæ nobilis,

Hederæ terreſtr. ana unc. unam ſemis,

Flor. roſar. rubr. recent. unc. duas,

Myrobal. Chebularum,

Citrinarum an. unc. unam,

Cortic. Arantiorum recent.

Citri ana extim. unciam ſemis,

Cremoris Tartari unciam ſemis.

Inciſa coquantur cum ſ. q. aq. ſimpl. repetitis vicibus affuſæ, colatæ & expreſſæ, ad omnem tincturarum & virium extractionem: Colaturæ omnes junctim alb. ovorum clarificatæ ad remanentiam libræ unius circiter evaporent; Cui reſiduo liquori adde

Infuſionis ſeu Mucchari Roſarum ex roſis rubris parati, libram unam ſemis,

Succi pomorum dulcium recenter expreſſi, libram unam,

Sacchari Canarii albi, libras duas.

Denuò coquendo leni igne redigantur ad conſiſtentiam Rob, ſeu Gelatinæ; cui tandem jungantur,

Sem. quatuor frigid. major. excortic. ana uncia ſemis,

Papaver. alb. drachm. ſex contuſor.

ad pultis formam & per cribrum ſetaceum transmiſſorum inſtar pulpæ addita particula

Aquæ Florum Arantior.

Eſſent. Citri,

Arantior. ana ex recent. Coſtic. parat. uncia una,

fiat Electuarium.

Quod in diuturna Diarrhœa, Dyſenteria, fluxu hepatico, ſimilibusque affectibus cum fructu adhibetur: lenit, leniterque abſtergit, quod læſum, medica adſtrictione reſarcit; dolores mitigat, & calorem viſcerum ac Inteſtinorum contemperat. Doſis uncia ſemis ad unciam unam.

ELECTUARIUM PANCHYMAGOGUM.

℞. Rad. Hellebor. nigr. unc. unam ſemis,

Polypodii

Polypodii uncias tres,
Rhabarbari optimi.
Asari,
Turbith, ana unciam unam semis,
Cortic. rad. Esulæ unciam unam,
Agaric. Trochiscati unc. unam semis,
Fol. Senæ elect. sine stipitibus uncias duas semis,
Cremoris Tartari unciam unam,
Cortic. Arant. recent. ext. unciam semis.

Incisa & contusa coquantur in f. q. aq. simpl. repetitis vicibus affusæ & colatæ usque dum omnis sit extracta virtus. Decoctiones colatæ conjunctim album. ovorum probè clarificentur, & in diplomate leniter ad remanentiam unius circiter libræ evaporent. Huic liquori vel extracto liquido adde

Succi pomorum dulc. recent. expressi libram unam,
Sacchari albissimi libras tres;

coquantur demùm ad consistentiam Gelatinæ seu Electuarii, cui parum refrigerato adde

Magisterii f. Resinæ Galapp.
Magister. f. Resinæ Scammon. ana unciam unam,
priùs cum
Amygdal. dulcibus decortic. uncia una semis,
probè subactorum,
Elæosacchari Anisi vel Cinamomi unciam unam semis,
fiat Electuarium.

Quod omnia ea præstabit, quæ cuncta Holagoga, Panchymagoga, Cholagoga &c. qualibuscunque etiam aliis & quibus ingredientibus sint ornata, & quot pretiosis unquam gemmis atque lapidibus, Moscho item & Ambra ditata sint. Dosis drachmæ duæ ad tres, & unciam semis.

ELECTUARIUM ROSATUM PURGANS.

℞. Muchari Rosarum recenter parati & nondum depurati libras tres,
Succi pomorum dulcium recent. expressi libram unam.
quibus immergantur
Conserv. rosar. rubr. recent.
violar. recent. an. unc. quatuor.

Factâ maceratione loco calido per biduum, coletur cum expressione, liquori colato adde

Sacchari Canarii albis. libras duas,

coquantur ad consistentiam Gelatinæ seu Electuarii, cui adhuc parum calenti immisceantur

Magisterii seu Resinæ Scammoneæ uncia una semis,
priùs cùm
Amygd. dulc. decortic. unciâ unâ probè subacti: item
Extracti Rhabarbari uncia una,
Folior. Senæ uncia una semis,
Hellebori nigri uncia una,
Elæosacchari Rosati vel ex
Oleo Rosarum vero, vel
Ligni Rhodii parati unciæ duæ. fiat Electuarium.

Catharticum pariter hoc est Electuarium, & ad omnes humores excrementitios tam bilioso quàm pituitosos, atros itidem & melancholicos educen-

dos remedium præstans : Contemperans quoque calorem viscerum potius, quàm quod ab acrimonia rerum Catharticarum, quam retundit, inflammari possint. Dosis drachmæ tres ad unciam semis.

ROB RIBIUM PURGANS.

℞. Rad. Galapp.
Mechoacannæ ana uncias sex,
Turbith gummosi unc. quatuor,
Asari uncias duas,
Fol. Senæ elect. uncias sex.

Ex omnibus incisis atque contusis extrahatur cum s. q. Spiritus vini rectificati repetitis vicibus affusi, omnis tinctura & efficacia, quousque Spiritus vini tingatur; Colaturæ aut depletiones omnes in M. B. ad libras duas circiter abstrahantur (qui spiritus abstractus ad alios similes usus asservandus est) residuo vero liquori in Alembico seu extracto liquido resina innatabit, quæ studiosè separanda & in scutella vitrea leni calore exsiccanda, ut in pulverem redigi possit. Extractum verò residuum liquidum adhuc ad Extracti spissitudinem leniter in diplomate evaporet. Quod Extractum inspissatum (ut eò melius Rob Ribium post addendo uniri possit) cum particula Anisi spiritus diluatur & per colatorium linteum cogatur; ac

Rob Ribium cum s. q. Sacchari ad durabilem consistentiam parati libris tribus,

in leni calore uniatur, quibus benè unitis jungatur etiam

Resina supra dicta exsiccata & in pulverem redact. prius a. cum
Amygd dulc. excortic. uncia una vel uncia una semis probè subacta,
item addantur
Elæosacchari Anisi, vel Cinamomi uncia una, vel uncia una semis,
fiat Electuarium justæ consistentiæ.

Egregium atque præstans hoc Electuarium Catharticum est, quod non solum omnes humores superfluos pituitosos, Melancholicos & putridos educit : verùm & febribus compositis & Chronicis conducibile est. Dosis drachmæ duæ ad unciam semis.

ROB CERASORUM PURGANS.

℞. Rob Cerasorum cum s. q. sacchari parati libram unam,
cui adhuc calenti add.
Magister. Galapp. vel Scammoneæ drachm. sex,
soluti a. in spir. vini rectificatissimi unciis duabus vel tribus :

& factâ adhuc vix unicâ ebullitione pro Spiritus vini saltem exhalatione, qui protinus leni calore aëra petit, fiat Electuarium sive Rob, quod nulla aromatizatione indiget, cum cerasa per se grati sint saporis, si nuclei eorum ante expressionem succi probè fuerint conquassati : cum proprio itaque sapore grato contenti, labores ideò, aliaque impensa ulteriora ad alios reservare volumus usus.

Nota : Eandem ob rationem, saporis nimirum gratitudinem, in præparatione

ne præcedentis Rob Ribium purgantis, *Ceraſorum Rob ſimplex* illi *Ribium* ſurrogari commodè poteſt. Quod autem *Reſinam*, quam in antea dicta Rob Ribium compoſitione *Mechoacanna*, *Galappa*, *Turbith*, copiosè præbent, extrahendo illa cum *Spiritu vini*, à reliquo extracto ſeparare, exſiccare, atque in pulverem redigere, ac tandem *Amygdalis dulc. ſubigere* juſſi, ideò factum eſt, quia *amygdalæ utpote oleaginoſæ* omnes *Reſinas* cum illis ſubactas quaſi diſſolvunt, earumque acrimoniam contemperant, ut eo facilius poſtea in *liquoribus aquoſis* dilui poſſint, ne denuò, prout aliàs ſolent, in ſuam *reſinoſam ſubſtantiam* redeant, ac intra corpus ſumptæ vel parum aut nihil operentur; verùm (quod peſſimum) Ventriculo ipſis quoque Inteſtinis *tenacitate ſua reſinoſa*, præſertim ſi parum frigida ſuperbibantur, præcipitatæ adhæreant; atque inde Tormina, Paſſiones colicas, ipſam etiam diarrhœam, imò lethalem quandoque hypercatharſin cauſent atque inducant. Etenim nullam hucusque fide digniorem cauſam invenire potui, quæ ſimiles immoderatos alvi fluxus, Tormina atque lethales hypercatharſes aliaque incommoda poſt ſumpta purgantia, ſi frigida præcipuè ſuperbibantur, induxerit, *quàm Scammoneata iſta Medicamenta, vel Reſinæ ſimiles, ſive Scammoneæ, ſive Galappæ, Turbith*, aut alterius purgantis ſint, cum, prout ſæpè dictum, ſi non legitimè & dextrè diſſolutæ & veluti unctuoſitate Amygdalarum contemperatæ ſint, intra corpus ſumptæ, facilè contingere poſſit, ut ſi frigida & aquoſa ſuperbibantur, intra ventriculum & Inteſtina veluti coagulentur, & præcipitentur, illisque tenacitate ſua reſinoſa pòſt adhærentes acrimoniaq; ac venenatâ qualitate ſuâ, ea lancinantes, totum nervoſum genus in conſenſum trahere, ac infinita mala inducere valeant. Non enim memini unquam, ab alio quàm *Scammoneato, aut ſimili reſinoſo medicamento*, ſi frigida aqua ſuperbibita fuerit, ſimiles immoderatos fluxus fuiſſe excitatos. Sint igitur hæc Experimenta de Medicamentis reſinoſis purgantibus pro cautela impoſterùm, quæ lubenti animo Lectori Benevolo communicare volui.

ELECTUARIUM COMMUNE.

℞. Radic. Afari,
Hellebori nigri,
Ebuli,
Polypodii ana unciam unam ſemis,
Cichorii uncias duas,
Chelidonii unc. unam ſemis,
Fol. Senæ elect. uncias duas,
Herb. Gratiolæ,
Hepaticæ nobil. ana unciam unam ſemis,
Sem. Ebuli unciam unam.

Inciſa coquantur in ſ. q. aquæ ſimplic. ad remanentiam librarum circiter quatuor: colaturæ expreſſæ & clarificatæ adde

Succi Mercurialis herb. depurati libram unam ſemis;
Pomorum dulc. recenter expreſſ. libram unam,

Sacchari albiſſimi libras duas; coquantur ulterius ad conſiſtentiam craſſam Electuarii ſeu Gelantinæ, cui dum adhuc parum calet, adjiciantur

Pulv. Diagridii Sulphurati uncia una ſemis,

prius cum

Amygd. dulc. excortic. uncia ſemis probè ſubacti. Item

Pulv. Rad. Galapp. uncia una,
Mechoacæ drachm. ſex,
Cremoris Tartari uncia una,
Nuc. Moſchatar. uncia ſemis,
Caryophyll. drachmæ duæ,
fiat Electuarium.

Et hoc egregium quoque eſt Electuarium Catharticum, omnes in corpore humano latentes humores putridos expellens. Commune licet appelletur, nihilominus tamen nulli Antiquorum Electuariorum Catharticorum ſecundum eſt. Doſis, drachmæ duæ ad unciam ſemis.

Nota: Quod ad quorundam Electuariorum confectionem *ſuccum pomorum dulcium* accipiam, ſi petitis rationem, en hanc & ſatis commodam adfero; quoniam *ſuccus hic recenter expreſſus*, & cum *ſaccharo* coctus, exoptatam conficiendis Electuariis accommodat Gelatinæ inſtar conſiſtentiam non tantùm, ſed etiam non parvam vim habet retundendi purgantis medicamenti acrimoniam, & nihilominus virtutem hujus Cathartici promovendi, & temperandi caloris exceſſum poſſidet.

Cæterùm omiſſis Infuſionibus & Decoctionibus Catharticis huic Claſſi à *D. D. Auguſtanis* aliàs annexis, quæ & ipſæ ſuum tandem locum competentem invenient, pro hâc Claſſe, perpaucæ licet Electuaria, etiam ſufficiant, ob rationes crebro allatas. Poſſent equidem quædam ex illis fortaſsè ſuperflua videri, verùm, cùm quot capita, tot quoque ſenſus reperiantur, idcircò ut quisque eligere habeat, quod ſibi in rem ſuam facere viſum fuerit, illorum numerum nonnihil adauxi. E contra verò, ſi qui ſint, qui pluralitate gaudeant, illis liberum erit *Pharmacopœiam Auguſtanam* ipſam, ejusque adire *Animadverſiones*, ubi procul dubio voti reddentur compotes. Mihi difficilè quidem non eſſet, & his locis alias, imò plurimas Electuariorum ordinare compoſitiones, ſed cui, quæſo, commodo? nulli certò alii, niſi quod numerus ſaltem fuiſſet auctus, & Pharmacopolia, uti olim, nimioperè gravata. Idcircò ad alia progredi ſatius eſſe duxi.

PHARMA-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS QUINTA,

CONFECTIONUM SOLUTIVARUM SOLIDA IN FORMA PARANDI MODUM PROPONENS.

CONfectiones Solutivas in forma solida tractaturo: conducit, earū præmittere definitionem, videlicet, quod & quale Medicamenti Genus sit Confectio solida, quemque in usum aut finem sit inventum, atque excogitatum.

Confectio solida à Medicis dicitur Medicamentum siccum ex saccharo, in formæ orbiculari, quæ Rotulæ aut Tabulæ; vel oblonga aut quadrata, quæ Morselli nomine insigniuntur: Vulgariter autem vel communi more loquendo, est Confectio solida omnis res saccharo obducta, sive ea Cinamomum sit, sive Cortices Citri, sive Anisum, Fœniculum, Coriandrum &c.

Confectiones solidæ Medicæ conficiuntur ex saccharo, prius aliquo liquore con-

re conveniente dissoluto, iterumque ad omnimodam aquositatis sive liquoris exhalationem, pristinamque veluti consistentiam ejus cocto, cui demum dum adhuc liquidum ex calore saccharū, aut antequam pristinam suam duritiem (quod fit saccharo per totum refrigerato) prorsus adipiscetur, species sive purgantes, sive Aromaticæ, vel etiam conservæ, condita, fructus, vel oleæ destillata, Confectiones aut aliæ res in debita convenientique quantitate aut pondere commisceantur.

Confectiones verò Vulgares communes, pariter ex saccharo & rebus variis supradictis, scil. Cinamomo, Anisō &c. sed longè aliò modo, quàm supradictæ Rotulæ aut Morselli, conficiuntur: nimirum saccharum ad Confectiones illas conficiendas destinatum, probè prius aqua simplic & albumine ovorum clarificatum, ad consistentiam saltem Syrupi paulò tamen crassiorem, coquendo redigitur. His factis, species vel res conficiendæ, aut saccharo obducendæ, sive sit Cinamomum, Amygdalæ, Anisum, &c. aheno largo sed planiori, non profundo, ex cupro, immittantur, quæ, aheno super igne lenissimo suspenso, ac modicè cum re illi inhærente (scilicè supradictis) calefactæ, de saccharo liquido prædicto, calido nonnihil, pro modica saltem humectatione rei immissæ inspergitur, atq; hinc inde subito commovendo & concutiendo, manibus fricando, artificiosâ jectigatione aheni, ne conglomerentur semina, vel quidquid sit: Denuò totaliter exsiccantur (leni, uti dictum, calore carbonum infra aheneum collocato) quò factò ulterius saccharo liquidi tantum inspergitur rei conficiendæ, ut iterum madefiat modicè, & uti prius continuâ jectigatione, commotione, & fricatione manibus factâ, exsiccatur, quod toties repetendum, humectando & exsiccando, usq; dum res conficienda sufficienter saccharo obducta sit.

Et hic est conficiendi modus ex puro saccharo, sine adulteratione aut dolo factus, qui multum laboris facessit confectario, me teste experto, quum ipse multas centenas libras harum Confectionum propriis manibus, dum adhuc operam Pharmaceuticæ arti navarem, confecerim. Verùm ut minori cum difficultate & labore Confectiones parari, nec non viliori pretio, majori cum lucro à Confectariis divendi possint, quàm maximè Confectiones illæ adulterantur, additione scil. Amyli pulveris (vulgò Stärckmehl) quem unà cum saccharo liquido quando res conficienda in aheno, uti dictum, saccharo humectatur, largiter aspergunt, sic enim facilius atq; citius rem saccharo obducendam & madefactam exsiccant, ac unà mox ad sufficientem quantitatem perducunt. Et hic est modus conficiendi Confectiones simplices saccharinas, quem quidem haud præter rem ad amussim describendum esse operæ pretium duxi, quàm illum ad subsequentes Confectiones Medico describendas necessarium fore experturus sis. Inventæ autem sunt & primò quidem Medicæ illæ Confectiones supra dictæ, ut beneficio saccharī species, quæcunque demum illæ sint, ad

tempus

tempus diuturnum integris viribus conservari possint, & ut variæ Pharmacorum formæ ad cujuscunque delectum & gustum accommodatæ in Pharmacopoliis prostent. Hæ verò scilicet vulgares Confectiones saccharinæ ad delicias hominum convivales unicè parantur: quibus igitur præmissis, transeo nunc ad speciales Confectionum præparationes.

CONFECTIO ANISI
Solutiva solida.

℞. Sem. Anisi benè mundati à suis stipitibus libram semis,
Immittatur aheno Confectorio supra ignem collocato (prout jamjam præmissa huic Classi Prolegomena satis edocuere) humectetur post saccharo clarificato & ad consistentiam Syrupi paulò crassiorem cocto, cui statim superinspergatur nonnihil de pulvere sequente jam describendo (loco quasi Amyli pulveris, quo, uti superius innui, Confectarii suas Confectiones adulterare solent,) utpotè
℞. Pulv. Diagridii Sulphurati & Amygdalis dulc. probè subacti unciam unam semis,
Galapp. subtilis. uncias duas,
Mechoacæ albæ unciam unam semis,
Cremoris Tartari unc. unam,
Cinamomi opt. acuti unciam semis,
Nuc. Moschatarum drach. tres,
Fiat omnium Pulvis subtilissimus.
Hæ igitur operationes, scilicet humectando semina Anisi cum dicto saccharo liquido, & inspergendo de pulvere jam præscripto, exsiccandoque denuò, toties fiant, quousque totus pulvis præscriptus semini Anisi conficiendo vel saccharo obducendo, agglutinatus fuerit: Et sic corpus hujus Confectionis (prout Confectarii loquuntur) erit confectum. Hoc peracto, denuò cum puro & solo saccharo clarificato liquido hoc corpus Anisi solutivi aliquoties humectandum, & exsiccandum, usque dum competentem magnitudinem albedinemque à saccharo solo puro, sine asperfione pulveris amplius, nacta fuerit, (obliterato nimirum corpore cineritio, è pulvere facto) Quæ confectio vel glabra relinquenda, prout loquuntur, vel crispanda est, ut termino Confectariorum denuò utar. Et sic probè ac dextrè erit parata Confectio Anisi solutiva, quâ ipsa multi, præsertim Infantes, ob gratitudinem ejus saporis, & alii, qui à Pharmacis omnibus abhorrent, decipi veluti possunt, loco Confectionis puræ delicatulis istis porrigenda.

Dosin quod attinet, illa tàm exactè determinari nequit, donec ex pondere hujus *Confectionis* jam paratæ computum instituamus, quantum saccharo ad prædictam dimidiam libram seminis *Anisi & pulveris Cathartici* aspersi, agglutinatum fuerit: verbi gratiâ, sint totius paratæ *Confectionis* libræ quatuor (*nam minus non poterit esse in pondere*) erit legitima *dosis unciæ semis* pro homine ætatis consistentis. *Pharmacum certè non aspernandum in diversis morborum speciebus, ubi*

purgatione opus est, utpotè in febribus putridis, diuturnis & Intermittentibus. Aquam Hydropicorum educit, Podagricis nec non, frequentius sumpta, salutaris est.

Porrò sicuti sunt *Pharmacopœi* hujus Artis, Confectoriæ scil. gnari, præsertim in Germania & Saxonia inferiore; ita qui exercitio aut arte huc non pertigerunt, possunt, me Consule, (si tamen alienâ fide standum est,) pulveres juxta intentionem Medici præparare, & Confectariis dein probis concredere, ut elaborentur Confecta, non palato magis, quàm ægro juvando, cum gratia tamen palati, propter quod parantur, accommodata; præcavendo summa diligentia & attentione, ne Amyli admistione puritas sacchari confusionem patiatur, quod adstando suâ præsentiâ evitari potest, quâ etiam præsentes horum laborum arbitri efficiant, ut Confecta fiant minima quantitate sacchari, quam ars indulget, ne dosis Medicamenti assumendi, auctâ quantitate nauseam pariat, cum Pharmacum potissimum ad subsidium ægrorum (habito tamen respectu Methodi ac legitimæ curationis) qui prudenti dolo circumveniri exoptant, non verò ostentationem bellariorum adinventum sit.

Nota: Juxta hanc præmonstratam normam, & Cinamomum, Coriandrum, Cortices Arantiorum vel Citri, aut aliæ res aptæ, item Rhabarbarum ipsum minutim, crassiusculè tamen, ad magnitudinem lentium cultro conscissum, confici facile est, secundum appetitum nimirum cujusvis, & Medicorum ordinationes. Imò si quispiam similes Confectiones Emetica virtute imprægnare voluerit, hoc ipsum additione pulveris cujusdam Emetici aut Vomitorii de facili assequetur. Ut autem sit modus, aut norma certa, quam sequi possis, en! sequentem suggero.

CONFECTIO ANISI SOLUTIVA EMETICA.

℞. Sacchari albissimi libras duas, solvantur cum s. quant. Aquæ Rosarum fragrantis, ad consistentiam Syrupi crassiorem, interea paretur pulvis Catharticus, utpotè

℞. Pulv. Rad. Mechoacæ albæ unciam unam,
Asari drachm. quinque,
Cremoris Tartari unc. unam,
Cinamomi unciam semis,
Nuc. Moschat. drachm. duas,
Mercurii Vitæ ritè & dextrè parati drachmas tres vel unciam semis,
Misceantur, fiat Pulvis, servetur, jam verò:

℞. Sem. Anisi selecti & à stipitibus probè liberati libram semis,
Immittatur aheno cupreo super igne leni collocato, suspenso, & cum supradicto sacchar humectetur, insperso; pulvere Cathartico supra scripto iterum exsiccetur, (prout superius ad amussim omnia edocta sunt.) Et hoc (videlicet saccharum affundendo & pulverem inspergendo totumque semper exsiccando) toties & tamdiu faciendum,

ciendum, donec ſupradictum ſaccharum, nec non Pulvis Cathartieus & Emeticus deſcriptus Aniſo juncta, in unum corpus coaluerint. Huic porro corpori Aniſi Cathartico, tantum ſacchari liquidi roſati, repetitis vicibus affundito, & ſemper exſiccato, quoad Confectio competentem magnitudinem & candorem acquiſiverit; ſervetur tandem uſui, *cujus doſis erit uncia ſemis, vel drachmæ quinq.* ſi integræ confectionis compoſitum in pondere quatuor libras non exceſſerit.

Eſt Medicamentum & Confectio Cathartico-Emetica, pro hominibus robuſtis, è quibus per Emeſin ſaburra vitioſorum humorum exturbanda videtur; Unde in Morbis Chronicis, Febre quartana, Tertianis Intermittentibus, Melancholia Hypochondriaca, Icteritia, ac ubicunq. humor bilioſus & Melancholicus infixus prædominatur, auxilio eſt.

ANISUM SOLUTIVUM SOLIDUM.

℞. Sacchari Canar. albi uncias octo, Solvatur & coquatur cum aq. Aniſi ſ.q. ad conſiſtentiam Tabulati, cui dum parumper refrixerit, adde

Pulv. Sem. Aniſi unciam ſemis,
Nuc. Moſchatæ drachm. duas,
Diagridii Sulphurati Amygdalis probè ſubacti unciam ſemis,
Galap. Radic. drachm. quinque,
Cremoris Tartari drachm. duas.

Fiat Confectio in Morſellis vel Tabulis. *In operationibus coincidunt hæ Rotulæ vel Morſelli cum ſuperiore Confectione Aniſi ſolutivi. Doſis ſunt drachmæ duæ ad unciam ſemis.*

DIACITRIUM SOLIDUM SOLUTIVUM.

℞. Sacchari albiſs. pulveriſati libram ſemis,

Solvatur ſ.a. in ſ.q. Succi Citri recenter & jamjam expreſſi, ſine ebullitione tamen in patella ferreâ; cui ab igne remoto & nimio fervore nonnihil remittente, adde

Magiſterii Galap. Amygdalis dulcibus decort. probè ſubacti drach. tres vel unciam ſemis,
priùs autem cum
Cortic. Citri recent. extimorum, & in mortario lapideo ſubtiliter contuſorum ad formam pultis drachmis tribus, vel uncia ſemis.
item
Eſſentiæ Citri n. ſaccharinæ uncia ſemis; vel una, permixti.

Fiat l.a. Confectio ſolida, ſive in forma Rotularum ſive Morſellorum delicatiſſima. *Doſis drachmæ tres ad unciam ſemis.*

CONFECTIO EMETICA CITRATA.

℞. Sacchari albi pulveriſati uncias quatuor.

Solvatur ſ.a. in ſ.q. Succi Citri recenter & jamjam expreſſi, ſine ebullitione in patellâ ferreâ, igne tamen carbonũ recenti. Cui adde ab igne prius remoto, & nonnihil fervore remittente,

Corticum Citri recent. extimorum

& ſubtiliſſimè contuſorum ad pultis formam unciam ſemis,

Tartari mei purgantis Antimoniati in prægreſſa *Appendice Animadverſionem* edocti drachmas ſex.

Fiat l. a. Confectio, ſive in forma Rotularum, ſive Morſellorum : *Doſis drachmæ tres ad unciam ſemis.*

CONFECTIO ADVERSUS LUMBRICOS.

℞. Semin. Cynæ probè mundati & à ſtipitibus liberati uncias tres, obducantur ſaccharo juxta artem Confectoriam, inſperſo paulatim, & per vices, quotieſcunque ſemen inter initia ſaccharo humectatur, uti moris, pulvere ſubſequente, donec totus is ſemini cum ſaccharo ex ſim & per vices agglutinatus ſit : tandem pulvere omni inſperſo, & ſemini Cynæ juncto, ſolo ſaccharo puro ad competentem magnitudinem & candorem Confectio reducatur, uti ſuperius ſatis clarè in Confectione Aniſi ſolutivi omnes manipulationes oſtenſæ ſunt. Erit *Confectio non injucunda, adverſus Lumbricos efficax, data à drachmis duabus ad unciam ſemis.*

PULVIS PRO DICTA CONFECTIONE INSPERGENDA

ſit talis.

℞. Turbith albi gummoſi unciam unam ſemis,

Mechoacæ albæ unciam unam,

Corallinæ unciam unam,

Cinamomi optimi unciam ſemis,

Mercurii dulcis ritè parati & bis aq. calidâ loti, drachmas ſex.

Fiat Pulvis omnium ſubtiliſſimus.

Nota : Quòd Mercurius dulcis eo, quo diximus, modo lotus, nemini obeſſe, quin potius ad hunc affectum vel Infantibus etiam exhibitus prodeſſe poſſit. Qui tamen hanc Confectionem ſine Mercurio dulci proſtare volucrit, is ſuo fruatur genio.

ROTULÆ CONTRA VERMES SEU LUMBRICOS.

℞. Sacchari Canarii albi in aq. Roſarum ſoluti, ac denuò ad conſiſtentiam Tabulati cocti uncias quatuor,

cui ab igne remoto adde

Pulv. ſemin. Cynæ drachmas tres,

Turbith albi drachm. duas ſemis,

Corallinæ drachm. duas,

Cinamomi optim. drachmam unam ſemis,

Mercurii dulcis ritè parati drachmas duas,

Fiant Morſelli vel Rotulæ,

Efficaciſſimæ ad Vermes enecandos & expellendos, tum Infantibus, tùm adultis exhibendæ. Doſis drachmæ duæ ad unciam ſemis.

ROTULÆ ADVERSUS LUMBRICOS ALIÆ.

℞. Sacchari albiſs. aq. Roſarum ſoluti, ac denuò ad conſiſtentiam Tabulati cocti uncias quatuor.

Cui, ab igne remoto, & nonnihil refrigerato adde

Pulv.

Pul. Mercurii dulcis dextrè juxta & l. a. parati, ac semel tantum aq. calida loti, drachmas tres vel unciam semis.

Mechoacæ albæ unciam semis.

Fiant s. a. Rotulæ albissimæ ad formam Man. Christi, serventur usui, *ad expellendos Vermes, non minus Adultorum quàm Infantium; nec non ad alios humores excrementitios exturbandos; præsertim in Febribus diuturnis, Podagra, Lue item Venerâ efficacissimæ, & citra omne fastidium assumendæ; à drachma una ad unciam semis.*

ROTULÆ ALIÆ PURGANTES ET EMETICÆ.

℞. Sacchar. albis. in aq. Rosar. soluti ac denuò ad consistentiam Tabulati cocti uncias tres:

Cui, ab igne remoto & nonnihil refrigerato adde:

Mercurii vitæ ritè dextrevè parati & probè edulcorati drachmam unam,

Pulv. Mechoacæ albæ drachm. tres,
Ireos Flor. Radic. drachmam unam,

fiant s. a. Rotulæ albæ boni soporis, bonique odoris.

Qui per superiora crassorum ac vitiosorum humorum saburram exturbare nititur, in corporibus robustis, præstans hic habet remedium, modò in dosi non nimium excedat. In morbis diuturnis, Chronicis; Febre quartana Melancholiâ Hypochondriaca præsens sunt remedium. Dosis à drachmâ unâ ad drachmas duas ad summum.

ROTULÆ EX MERCURIO VITÆ CORRECTO.

℞. Mercurii Vitæ ritè & dextrè parati drachmas duas.

Salis communis unciam unam,
Nitri purissimi drachmas sex.

Mixta hæc, conterantur & levigentur diu, multumque (horis circiter quatuor) super porphyrite lapide; pòst aquâ calidâ abluantur salia, ut Mercurius Vitæ liber ab illis tandem remaneat: & tali pacto demitur ipsi vis violenta Emetica, mitiorque evadit, ut potius per inferiora operetur.

Jam verò

℞. Sacchari albissimi uncias tres, solvatur in s. q. aquæ Rosarum, ac ad consistentiam Tabulati coquatur, cui ab igne remoto ac nonnihil refrigerato, adde

Mercurii Vitæ correcti drachmam unam semis.

Fiant s. a. Rotulæ *purgantes per inferiora, & nonnihil per superiora omnes humores excrementitios. Dosis drachma una ad duas.*

DIACYDONIUM SOLUTIVUM.

℞. Rhabarbari electi unciam unam semis,

Rad. Mechoacæ albæ uncias duas,
Fol. Senæ sine stipitib. uncias tres.

Incisa conquantur in s. aq. simplicis, repetitis vicibus, ad omnem virtutum prolectionem; Colaturæ omnes jun-

ctim alb. ovorum probè clarificentur: In hoc clarificato decocto Cathartico bulliant terreo in vaſe

Cydoniorum maturorum & in fruſtula diſſectorum, abjectis ſeminibus libræ quatuor,

ad mollitiem; factâ poſtea colaturâ cum expreſſione, abjectis Cydoniis, adde colaturæ mucilagineæ

Sacchari Canarii albi libras tres.

Porrò coquantur in vaſe terreo ad conſiſtentiam Gelatinæ, cui demum, dum adhuc calet, ſuperadde

Magiſterii Scammoneæ,
Galappæ ana drachmas ſex,

priùs autem ſolutorum in

Spiritus Vini rectificatiſſimi ſ. q. unciis tribus vel quatuor circiter:

fiat, adhuc leni tantummodò exhalatione Spiritus Vini, Diacydonium purgans inſtar Gelatinæ ſeu Electuarii, addendo ſub finem, ubi quaſi refrixerit, odoris ſaporisvè gratiâ

Elæoſacchari Cinamomi unciam unam ſemis,
Caryophyllorum unciam unam.

Eſt Gelatina ſeu Electuarium veluti ſolidum Catharticum præſtans, quod in omnibus etiam infirmitatibus cum ſimilibus aliis Catharticis, quibus humorum excrementitiorum extruſione opus, utiliter adhiberi poteſt; Ut ita nemo non ubertatem habeat juxta ac varietatem Catharticorum in quâvis conſiſtentia formâq; promptam, quæ vel excogitari poteſt. Doſis drachmæ duæ, ad unciam ſemis.

DIACYDONIUM PELLUCIDUM PURGANS.

℞. Cydoniorum maturorum & mundatorum & in aliquot fruſta majuſcula conſciſſorum num. xxx. vel xl. Coquantur cum aq. ſimpl. ſ. q. in vaſe terreo, vel alio ſtanno obducto, quousque nonnihil mucilaginoſum, aſt clarum, reddatur decoctum, cui colato & aliquantulum expreſſo adde, nimirum libris quatuor hujus mucilaginoſi decocti

Sacchari Canarii albiſs. libras duas, & ad conſiſtentiã Gelatinæ percoque: Huic, jam ab igne remoto admiſce

Reſinæ Scammoneæ &
Galappæ ana in ſpiritu vini rectificatiſſimo prius ſolutarum unc. unam drachm. duas.

& poſtquam probè mixta fuerint, ſpiritusque Vini maximâ ex parte vel totaliter exhalârit, effunde Gelatinam in exſculptas figuras plumbeas, prius nonnihil madefactas: & ex his deinde immitte in ſcatulas oleo quodam grato fragranti inunctas.

Educit Bilem & Pituitam, pro delicatis, & iis, qui Pharmaca adverſantur & reſpuunt, concinnatum. Doſis drachmæ duæ ad unciam dimidiã.

Nota: Quod ſi *Spiritus Vini* non ſit purus, ſed vulgari modo *ex fœcibus vini*, licet cum pauciſſimo empyreumate factus, imò etiam ſine aduſtione, ſi, ut ſæpe ſolet, odore non omninò grato præditus ſit, fit, ut dum evaporat *ex Gelatina*, relinquat odorem vappo-

vappoſum, non tàm naribus quàm ſtomacho & utero ingratum, tantoperè, ut ex levi & parvâ hujus Diacydonii Doſi obſervaverim, & non ægros, ægrasque fœminas concitari ad Hyſteralgiam, exſolutiones Animi, & Stomachicas; quæ contrà omnia, ſi *purus ſit Spiritus Vini*, evitantur, & ſic Medicamentum efficitur gratum ac praxi modernæ aptiſſimum.

PASSULÆ MAJORES SEU ZIBEBÆ VEL PRUNELLI PURGANTES.

℞. Succi Pomorum recenter expreſſi libras quatuor,

In hoc ſucco macerentur ſequentia, inciſa ſaltem, non contuſa, utpotè

℞. Rad. Mechoacæ albæ uncia una ſemis,
Galapp. uncia una,
Aſari drachmæ ſex,
Hellebori nigri uncia ſemis,
Tornæ Soli-robicundiſs. drachmæ duæ vel tres.

Factâ maceratione per diem, ac unâ vel alterâ ebullitione prægreſsâ, coletur ſuccus cum expreſſione, in quo denuò macerentur per biduum

Paſſularum majorum ab arillis purgatar. libra una,

vel harum loco,

Zibebæ aut Prunelli accipiantur.

Peractâ bidui maceratione, fiat etiam una atque altera ebullitio; hinc Paſſulæ ſeparentur à ſucco, ac juxta fornacem, vel alio loco tepido leniter exſiccentur; Succo verò reſiduo adde

Sacchari albiſſimi libram unam ſemis,

coquantur leniter ad conſiſtentiam Gelatinæ ſatis craſſam, inſtar Diacydonii Lucidi, cui ultimò adde

Pulv. Syrii ſeu Reſinæ Scammonii, in ſ. q. Spiritus Vini rectificati ſine omni phlegmate ſoluti unciam unam ſemis,

item:

Paſſulas ſupradictas in ſucco jamtùm

maceratas & coctas,

ac poſtquàm benè unita, Spiritusque Vini maximâ ex parte exhalarit, additis etiam

Elæoſacchari Cinamomi,
Caryophyllorum ana unciâ unâ,

effundantur & immittantur ſcatulis rotundis & largis pro uſu.

Viribus affines ſunt aliis Cathartici quamplurimis: evacuant enim bilem & pituitam, atque aquâ Intercute laborantibus conducunt. Doſis uncia ſemis ad drachmas ſex, unà cum Gelatina ſumptæ.

MORSEL-

MORSELLI DE RHABARBARO PURGANTES.

℞. Sacchari Canarii albi in aq. Cinamom. particula ſoluti, ac denuò ad conſiſtentiam Tabulati cocti uncias ſex,

cui ab igne remoto adde pulverem ſubſequentem mixtum, utpotè

Pulv. Rhabarb. opt. drachmas ſex,
Mechoacæ albæ.
Galapp. an. drachmas duas,
Pulv. Syrii, ſeu Reſinæ aut Magiſterii Galap. Amygd. prius probè ſubacti drachmam unam ſemis,
Pulv. Elæoſacchari Cinamomi,
Eſſent. Arantiorum ſacchar. an. drachm. duas,
Cremoris Tartari drachmas tres,
Croci optimi ſcrupulum unum.

Fiant ſ. a. Morſelli purgantes, uſui ſervandi. *Evacuant flavam bilem atque pituitam; ſic & vermes enecant, eosq; expellunt: Doſis drachmæ duæ ad unciam ſemis.*

His non exiguis neque perpaucis huic etiam Claſſi finem impono, in quâ pulcherrima Cathartica continentur, forma æque atquè ſapore odorevè grata, jucundaque, ut, qui latentis Cathartici inſcius, illa pro Confectionibus potius ad delicias epulasvè factis, quàm Pharmacis habiturus ſit: quocirca & hæc Benevolus Lector boni conſulat.

PHARMA-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS SEXTA, PILULARUM COMPOSITIONES EXHIBENS.

CAtapotia seu Pilulæ à parvæ pilæ similitudine dictæ, sunt Medicamenta in formam globulorum redacta, ex diversis simplicibus, ut plurimum verò Cathartici, nonnunquam Anodinis, Narcoticis aut etiam Alexipharmacis composita & efformata; eum præcipuè ob finem inventa, ut insuavitas & amaritudo saporis quorundam simplicium (Aloës præsertim, quæ tanquam corpus & basis omnium ferè existit Pilularum Purgantium) minus gustu percipiatur, & ut plurima simplicia ad diuturnum tempus, propter Aloën illis admixtam ceu verum à putredine præservativum, sub hâc formâ, scilicet Pilularum, vel earundem massæ commodè asservari possint. Innumeræ verò adsunt Pilularum in plurimis Dispensatoriis Descriptiones vel Compositiones, quas tamen, si quis exactius paulò perlustret, inutilia ingredientia

 resecet,

reſecet, impertinentia dimittat, & abjiciat diſſona, mehercle reperiet is mecum, omnes illas compoſitiones ad ſex forſan reduci poſſe : Quid enim Chaos ex tot impertinentium, diſſonorum, ſuperfluorum ne dicam noxiorum ingredientium farragine confuſa, non ratione ſed opinionibus conflatum & congeſtum, proderit, tùm ægro, tùm Pharmacopolæ, multis ſæpè annis in pyxide ſepultum antequàm ſemel in uſum aſſumatur : præſtaret revera ſcripſiſſe : Accipe de omnibus aliquid. Unde in deſcribendis Pilularum Compoſitionibus cum modum tenebo, ut in ſuperfluis haudquaquam abundans ſim, nec tamen in neceſſariis deficiam : Qui plura deſiderat, adeat, quod facile conceſſero, alia Diſpenſatoria, in quorum vero defectu ſufficiat Auguſtanum Animadverſionibus illuſtratum, & quæ ſibi ipſi commoda, utiliaque videntur, ſeligat.

PILULÆ ALOEPHANGINÆ.

Capitales & Stomachales.

PIlularum harum exacta præparatio duplici modo ſuperius in *Pharmacopœia Auguſtana* & ipſarummet harum Pilularum *Animadverſionibus* edocta & exhibita eſt, quæ & ibidem videri poterit. Si quis etiam Maſſam harum Pilularum Cathartico aliquo validiore, ſive Galappæ Magiſterio, aut Scammoneæ, vel etiam decocto quodam ex Helleboro, Rhabarbaro, Foliis Senæ (quo Aloës prius imbuenda iterumque exſiccanda eſſet) vellet acuere, Pilulas efficeret, quæ locô multarum eſſe poſſent : utpotè

℞. Rad. Hellebori nigri uncias tres, fiat, affusâ ſ.q. aq. ſimpl. repetitis vicibus decoctum, quo in diſſolve

Aloës ſuccotrinæ libram unam, colata cum decocto Aloë poſtea leniter iterum exſiccetur. Cui adde poſtmodum cœtera harum Pilularum ingredientia, Myrrham ſcil. Maſtichen; Olea item deſtillata, aut horum loco etiam Aromatum partem dimidiam; prout in ſecunda præparatione earundem ſuperius tradidi : fiatque Maſſa, *Capitis & Hypochondriorum Affectibus profitua.*

PILULÆ DE ALOE ROSATA.

℞. Aloës ſuccotrinæ libram unam, ſolvatur in libris tribus Muchari ſeu Infuſionis Roſarum ſolutivi, factâ poſteâ colaturâ per cribrum ſetaceum, leni calore cinerum exſiccando ad competentem Maſſæ Pilularum conſiſtentiam reducantur, addendo ſub finem

Diagridii Sulphurati unciam unam vel hujus loco;

Reſinæ Scammoneæ Amygdal. dulc. probè ſubactæ drachmas ſex:

Item

Olei Roſarum veri ſcrupulum unum, vel ſi hoc deſit

Olei Ligni Rhodii drachmam unam ſemis,

fiatque Maſſa Pilularum.

Leniter purgant, Hepar roborant, adſtrictam alvum in parva etiam quantitate ſumptæ, ſolvunt, ac humorum putredinem arcent; Loco Pilularum Angelicarum meritò eſſe poſſunt.

sunt. Dosis scrupulus semis usq; ad scrupulum unum.

PILULÆ DE ALOE VIOLATA.

℞. Aloës succotrinæ, vel si mavis ut validius operentur
Aloës hepaticæ libram unam,
solvatur in
Infusionis violarum solut. libris tribus;
Colaturâ factâ per cribrum setaceum, leniter calore cinerum exsiccetur, & ad consistentiam massæ Pilularum reducatur, addendo ultimò
Resinæ Scammoneæ Amygd. dulc. probè subactæ drachm. sex,
vel loco hujus
Diagridii Sulphurati unciam unam,
item odoris gratia,
Olei Fœniculi drachmam unam,
Fiat Massa Pilularum.

Blandissimam promovent evacuationem, & viscera naturalia corroborant; Data à granis octo ad scrupulum semis.

PILULÆ CORDIALES ET CEPHALICÆ.

℞. Ambræ Gryscopt. drachmam unam,
solvatur in
Olei Cinamomi scrupulo uno,
Caryophillorum scrupulo sem.
Nuc. Moschat. expr. drach. una:
Quibus invicem benè mixtis adde
Pulv. Cardamomi,
Nuc. Moschat. an. drachm. tres,
Croci Austriac. drachm. unam
semis,
Sem. Carui,
Anisi an. drachm. unam sem.
Extracti Ligni Aloës n.
Resinæ Storacis calam. an. drachm. duas,
misceantur exactè ac cum s. q. Mellis nostri citrati, vel Anthos, fiat Massa, ex qua Pilulæ efformandæ, vel in alia aliqua Medicamenti forma propinanda. *Caput, Cerebrum, Sensusque omnes, Ventriculum insuper & totum corpus roborant, Anhelitum putridum & fœtidum emendant, Spiritus q. Animales & Vitales recreant.*

PILULÆ DE CYNOGLOSSO ANODINÆ.

℞. Radicum, Herbarum & Florum
Cynoglossi uncias decem, vel libram unam,
Flor. Papaveris erratici recent. unc. septem vel octo,
Nymphææ albæ recent. uncias sex vel septem;
fiat ex illis affusâ s. q. aquæ simplicis repetitis vicibus decoctum, quod optimè clarificetur, & cum illo dissolvantur
Opii, per evaporationem Sulphuris Narcotici præparati, ut suo loco monitum est, unciæ tres.
Factâ solutione, coletur per cribrum angustum setaceum; colatura iterum leni calore cinerum ad consistentiam crassam extracti inspissetur vel evaporet, cui tandem adde
Resinæ Storacis Calamitæ unciam unam,
Balsami Indici de Peru drach. quinq;

Ol. Nucis Moſchat. expreſſi unciam ſemis,
Stillatit. ligni Rhodii drach. unã,
Pulv. Gummi Ladani opt.
Animæ,
Olibani an. drach. ſex,
Succini alb. unc. unã,
Corallorum rubrorũ præparat.
Oculorum Cancror. præparat.
Matris perlar. præp. an. drach. ſex,
Croci Auſtriac. unciam ſemis,
fiat maſſa competens ad pilulas efformandas.

Eſt Medicamentum præſtantiſſimum ad omnes Catarrhos tenues ſiſtendos; deſtillationibus quoque & defluxionibus confert; ſomnum conciliat, ac omnis generis dolores placat: Dyſenteriam, diuturnas Diarrhœas, & immoderatum Menſium fluxum ſedat. Doſis grana viij. Scrupulus ſemis ad ſcrupulum unum, & drachmam ſemis.

Nota: Hæc præſtantiſſima Pilularum maſſa merito ſuo *vices Laudani cujuscunque* ſupplere poteſt, ne dicam ſuperare, eâ enim in quantitate ac pondere competenti *reliqua, præter opium, ingredientia* addita ſunt, quæ & ipſa virtutes ſuas, *Cor, Cerebrum, atq; Ventriculum roborandi, confortandi, Hæmorrhagias, defluxionesque alias ſiſtendi, læſa inteſtina conglutinandi, venularum eroſiones adſtringendi, exſiccare valeant*, quibus ut plurimum ac omnia ferè Laudana, quotquot etiam proſtent, deſtituta ſunt, quum *præter opium vix ulla ingredientia* illis adjecta reperiantur, propter pondus illorum exiguum & minus proportionatum, *reſpectu ſcil Opii*, quæ effectum aliquem edere, aut quicquam operari poſſint. De cœtero quod *Caſtoreum* huic maſſæ (aliàs ferè omnibus Laudanis ordinarium Ingrediens) non adjunxerim, id minimè ſine prægnanti ratione factum eſſe putes: Non enim unius, aut Hyſtericorum duntaxat, ſed multo plurium aliorum quibus *Caſtoreum* adverſatur Affectuum gratia, *fluoris nempè immoderati & diuturni Mulierum, ut & Dyſenteriarum &c.* hanc maſſam conſtruximus, utpotè quibus Affectibus & ægrotis adverſum potius eſt *Caſtoreum*, quàm ut auxilium illis afferre poſſit. Nam ipſa teſtatur Experientia, quod *Caſtoreum* odoretenus quidem Hyſtericis profit Mulieribus, at intra corpus ſumptum illud magis ſit nocumento: *Moſchus verò ipſiſſimus* in periculo etiam ſuffocationis *Hyſtericis Mulieribus* intro propinatus (ne tamen nares illarum feriat, ſed ſubitò deglutitus) ſummo eſt emolumento. Ratio in promptu eſt: Quemadmodum Caſtoreum intra corpus ſumptum, vi loco movendi, deprimendi verò aut rectius fugandi Matricem odoretenus tantummodo perceptũ præditum eſt virtute: Ergò contrarium morbo moliuntur ii, qui *Caſtorem Hyſtericis Mulieribus* infundunt, aut etiam infernè ſeu partibus Inferioribus foemoribus ſcilicet alligant, cujus facinoris felicem ſucceſſum videre mihi nondum licuit.

):(

PILUÆ

PILULÆ HEPATICÆ DE EUPATORIO.

℞. Succorum Eupatorii Meſuæ,
Agrimoniæ,
Hepatic. nobilis,
Abſinthii,
Cichorii ſylveſtris,
Endiviæ ana depuratorum libram unam,

Quibus cum ſolvatur
Aloës ſuccotrinæ libra una;

Quæ iterum leniter cum ipſis, factâ prius colatura per ſetaceum, mediante calore cinerum evaporet; Cui, antequam prorſus ad conſiſtentiam maſſæ redacta ſit, adde

Pulv. Rhabarb. opt. unciam unam ſem.
Rhapontici veri unciam unam,
Gummi Ammoniaci cum Vino ad conſiſtentiam pultis ſoluti unciam unam,
Croci Orient. ſeu Auſtriac. unc. ſem.
Salis Armoniaci cum Chalybe ſublimati drachmas ſex,
Extracti Hellebori nigri n. m. parati unciam unam ſemis,

fiatque maſſa pilularum juſtæ conſiſtentiæ.

Hæc maſſa Affectibus Hepaticis & Hypochondriacis dicata, non exiguis pollet virtutibus, modò in rectâ doſi adhibeatur: In Cachexiâ, Hydrope, Obſtructionibus Meſenterii & Hypochondriorum conducibilis eſt; è qua Maſſa pilulæ magnitudine piſorum formandæ, quæque repetitis vicibus bihorio poſt Cænam uſurpandæ. Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.

PILULÆ HYDRAGOGÆ.

EArum deſcriptio petatur ex *Appendice* n. ad *Animadverſiones* in *Pharmacopœia Auguſtana pag.* 19. cum annexâ doſi & virtutibus, quas quidem Titulus prodit.

PILULÆ HYSTERICÆ SEU MATRICALES.

℞. Rad. Valerianæ,
Imperatoriæ an. unciam unam,
Herbar. recent. Artemiſiæ,
Matricariæ,
Meliſſæ,
Menthæ criſpæ,
Rorismarini,
Salviæ,
Cortic. Arantiorum recent. extim. an. unciam unam ſemis,
Opii per exhalationem ſpiritus Narcotici parati drachmas ſex,
Croci Auſtriaci unciam unam.

Inciſa & contuſa craſſiuſculè, ac Cucurbitæ vitreæ immiſſa, extrahantur cum ſ. q. Spiritus Vini, repetitis vicibus affuſi, quousque Spiritus non amplius tingatur; Spiritus tincti omnes in B. M. ad extracti conſiſtentiam abſtrahatur: Cui extracto reſiduo ſpiſſo adde

Olei ſtillatit. Succini,
Salviæ,
Rorismarini,
Menthæ criſpæ,
Cortic. Arantior. ex recent.
Cort ſtill. ana drach. ſemis,
Coriandri ſcrupul. ſemis.

Pulv. Succini alb. præp. drachm. sex,
Rad. Valerianæ,
Doronici veri,
Cort. Arantiorum ext. recent. siccat.
Myrrhæ rubræ,
Nuc. Moschat. an. unciam sem.
Macis drachm unam semis:
Mixtis omnibus fiat massa Pilularum, *in Affectibus Hysstericis & Uterinis, à scrupulo semis ad scrupulum unum porrigenda.*

PILULÆ ANTI-HYPOCHONDRIACÆ FAMILIARES.

℞. Pulv. Mastichis nelectæ,
Myrrhæ translucidæ,
Olibani in granis,
Succini albi ana drach. duas,
Croci opt drahm. unam semis,
Rhabarbari unciam semis,
Agarici Trochiscati drachm. duas,
Magisterii Gialap. Amygd. dulc. probè subacti unciam semis.
Misceantur exactè, singulis tamen separatim in pulverem priùs redactis: postea solvantur in mortario lapideo calido, ad pultis formam
Pulv. Aloës succotrin. unciæ quatuor, cum suffic. quantit.
Elixir. Proprietatis Paracelsi, addendo statim
Extracti Hellebori nigri n. m. parati unciam unam semis,
&
Pulveres superiores, item
Ol. still. Ligni Rhodii scrupul. duos,
Fiat f. a. Massa Pilularum, *ex qua formentur Pilulæ mediocres, pisorum instar, quarum quatuor vel quinq; biborium à Cœnâ sumendæ: In Obstructionibus Hypochondriorum, dolore Capitis, aliisq; Affectibus, quibus evacuatione opus est, quoties in sexu utroq; felicissimè operantur.*

PILULÆ ANTI-HYPOCHONDRIACÆ ALIÆ.

℞. Radic. Hellebori nigri unc. quatuor,
Asari unciam semis,
Hermodactylor. unc. unam,
Rosarum rubrar. unciam semis,
Cremoris Tartari drachmas sex.
Incisa & contusa coquantur in aq. simpl. s. q. repetitis vicibus affusa, quousque virtus dictarum rerum totaliter prolecta sit; decoctum colatum probè clarificetur, & ad libram unam semis circiter, in vase terreo leniter evaporet, quo cum residuo solvatur
Aloës succotrinæ libra semis;
Quæ, si impura sit, per cribrum setaceum coletur, ac iterum leniter leni calore cinerum exsiccetur, aliquali tamen mollitie servatâ, cui adde,
Pulv. Mastichis elect.
Myrrhæ,
Olibani,
Succini albi ana drachm. tres,
Gummi Ammoniaci in modico Vini ad pultis formam soluti, drachm. sex,
Salis Armoniaci cum Chalyb. sublimati,
Vitrioli Martis cum Spir.
Vitrioli facti ana unc. sem.
Fiat

Fiat Massa Pilularum, quæ aromatizetur.

Ol. Stillat. Ligni Rhodii,
Macis ana drachm una.

Usus, ut horis duabus vel tribus à Cœna assumantur, sed in parva quantitate, ut alvum saltem die sequenti bis vel ter laxent, ac insuper etiam Obstructiones referent, à granis XV. *ad scrupul. unum.*

PILULÆ MAGISTRALES SEU PANCHYMAGOGÆ.

℞. Agarici albissimi,
Rhabarbari selecti an. unciam unam semis,
Radic. Hellebori nigri uncias duas,
Asari unciam unam,
Mechoacæ albæ,
Hermodactylor. an. unciam unam semis,
Fol. Senæ el. sine stipit. uncias tres,
Pulpæ Colocynthid. unciam unam,
Sem. Ebuli unciam unam semis.

Incisa & contusa coquantur in aq. simpl. s. q ad totalem dictarum rerum virtutum extractionem, ter quaterque aquam recentem affundendo; Decoctiones colatæ & expressæ album. ovorum clarificentur, & ad libras duas circiter evaporent, cui adde, in eo residuo dissolve calidè

Aloës Hepaticæ libram unam:

Factâ colaturâ per cribrum setaceum, reducantur leni calore cinerum ad Extracti spissioris consistentiam, in fine superaddendo

Magisterii Gialappæ,
Scammoneæ ana Amygd. dulcibus probè subactor. unciam semis,
Pulv. Mastich. electæ drachm. sex,
Ol. Nuc. Moschat expr. drach. unam semis,

fiat Massa Pilularum, *è qua Pilulæ paratæ omnes humores purgant; Vertigini, Hemicraniæ, ac Capitis dolori succurrunt; pro universali igitur Cathartico meritò habendæ, dosis scrupulus unus, ad drachmam semis.*

PILULÆ MASTICHINÆ.

℞. Agarici albissimi uncias duas,
Radic. Asari unciam unam,

infunde in Vini opt & spirituosi libram unam, per diem & noctem; factâ postea colaturâ & expressione sed calidè, adde expresso Vino etiam adhuc calenti

Aloës succotrinæ uncias tres,

Iterumq; leniter evaporare sine, ad formam Extracti spissioris, cui admisce, dum adhuc calet,

Mastichis electæ pulverisatæ unciam unam,

fiatque leniter exsiccando Massa *in affectibus Ventriculi & Capitis utilissima. Dosis scrupulus unus, drachma semis, ad scrupul. duos.*

PILULÆ ODONTALGICÆ.

℞. Opii Thebaici per exhalationem lenem Sulphuris Narcotici parati drachmas duas,
solvatur in
Spiritus n. Veneris drachmis sex,

& per-

& per cribrum ſaltem ſetaceum cogatur, cui adde

Pulv. Rad. Pyrethri,
Mandragoræ ana drach. unam ſemis,
Sem. Hyoſcyami,
Staphidiſagriæ,
Urticæ minoris,
Coriandri an drachm. ſem.
Caryophyllor. drachm. unam,
Reſinæ Abietis drachmas tres,
Gummi Animæ drachm. duas,
Camphoræ drachm. unam.

Miſceantur, fiatque Maſſa, *ex qua poſtea formentur pilulæ oblongæ, alterutra ſui parte in acumen nonnihil deſinentes, cavernis dentium imponendæ.*

PILULÆ ANTIPESTILENTIALES.

℞. Radic. Angelicæ,
Contrajervæ,
Zedoariæ ana unciam unam ſemis,
Herbar. recent. Scordii noſtr. uncias quatuor,
Rutæ hort. unc. tres,
Baccarum juniperi uncias duas,
Cortic. recent. Citri extim. unciam unam ſemis.

Inciſa & contuſa coquantur in aq. ſimplici, ſæpius affuſa, quousque omnis prædictorum vis ſit extracta: Decoctiones album. ovorum junctim clarificatæ ad libram unam ſemis circiter evaporent, cui reſiduo adde

Succi Scordii noſtr. recent. expreſſi & depurati uncias octo,
in his ſolvatur
Aloës ſuccotrinæ uncia una;

Factâ ſolutione & colaturâ per ſetaceum, leni calore cinerum rediguntur ad conſiſtentiam Extracti ſpiſſioris, ſuperaddendo

Pulv. Myrrhæ opt. uncias tres,
Croci Or. ſ. Auſtriaci unciam unam.

cum modico Vini parumper diluta ad pultis formam;

Quæ, ubi jam debitam Maſſa conſiſtentiam acquiſiverint, admiſce vel inſtilla

Ol. ſtillatit. Juniperi,
Rutæ,
Succini, an. drach. unam,

& malaxando fiat Maſſa *ad præſervationem Peſtis utiliſſima, à ſcrupulo ſemis ad ſcrupulum unum, in formam Pilularum redacta.*

PILULÆ DE RHABARBARO.

℞. Rhabarbari electi uncias duas,
Rhapontici veri unciam unam ſem.
Rad. Cichorii ſylveſtr. recent. uncias duas,
Apii,
Fœniculi an. recent. unc. unam,
Myrobalan. Chebularum,
Citrinarum, an. unc. ſem.
Cremoris Tartari drachm. quinque,

Inciſa & contuſa coquantur in aq. ſimpl. ſ. q. repetitis vicibus, ad omnimodam virtutum extractionem. Decoctiones colatæ, expreſſæ & album. ovorum probè clarificatæ, ad libram unam circiter evaporent, cui reſiduo addantur

Succi

Succi Abſinthii noſtr.
Agrimoniæ,
Endiviæ,
Hepat. nobil.
Cichor ſylveſtr. an. depurat.
unciæ tres,
In his mixtis ſolvantur
Aloës ſuccotrinæ optim. unciæ ſex,
Factâ ſolutione & colaturâ per ſetaceum, in calore leni evaporent, & exſiccentur ad conſiſtentiam Extracto ſpiſſiorem, ultimò ſuperinjiciendo
Pulv. Maſtichis electæ drachm. ſex,
Croci optim. drachmas tres,
Olei Ligni Rhodii drachmam unam,
Fiatque Maſſa Pilularum Epatica.

In Diarrhœis diuturnis, Lienteriis, Fluxibus Hepaticis cruentis perquàm utilis. Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.

PILULÆ SPLENETICÆ.

℞. Succorum Cichorii ſylveſtr.
Endiviæ,
Cochleariæ,
Naſturtii,
Abſinthii an. depurat. uncias ſex,
Decocti ex recenti Scolopendrio uncias octo,
in his macerentur per biduum
Agarici Trochiſcati,
Rhabarbari ſelecti,
Rhapontici veri ana uncia una ſem.
Radic. Hellebor. nigri unciæ quatuor:
Factâ pòſt unâ atque alterâ ebullitione, fiat colatura cum expreſſione, in colato hoc liquore diſſolve
Succotrinæ uncias octo,
quâ ſolutâ & per cribrum ſetaceum colatâ, leni calore cinerum, aquoſitates ad conſiſtentiam ſpiſſioris Extracti evaporent, addendo tandem
Pulv. Gummi Ammoniaci in modico Vini ad pultis formam ſolvi unciam unam,
Guttæ Gamandr. unciam ſemis,
Myrrhæ translucid. drach. ſex,
Vitrioli Martis ritè parati cum Spiritus Vitrioli unciam ſem.
miſceantur; fiat leni calore Maſſa Pilularum debitæ conſiſtentiæ, quæ
Olei ſtillatitii Aniſi drachma unâ ſemis aromatizanda.

Præſtans in morbis Hypochondriacis, Splenetucis, Obſtructionibus Meſenterii ac Pancreatis Remedium exiſtit, & ſuppreſſa menſtrua ſolvit. Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis, in forma Pilularum.

PILULÆ STOMACHICÆ.

℞. Pulv. Aloës Epaticæ uncias ſex,
Solvatur in mortario calido ad pultis formam cum ſ. q.
Elixir. Proprietatis cum Spir. Sulphur. ritè parati:
His adde
Succi inſpiſſati Abſinthii,
Extract. Centaurii min. ana drach. ſex,
Hellebori nigri unciam unam ſemis,
Pulv. Diagridii Sulphurati unciam unam ſemis,
Myrrhæ rubræ,
Olibani,
Maſtichis elect.
Succini albi præp.

Baccarum Lauri ana drachmas duas,
Croci Or. vel Auſtr. drachmam unam ſemis.

Fiat ſ. a. Maſſa Pilularum juſtæ conſiſtentiæ, ex qua formentur Pilulæ piſorum magnitudine, quarum quinque vel ſeptem pro doſi ſumendæ, bihorio poſt cœnam, ante ſomnum, vel etiam horis matutinis.

Ventriculum vitioſis humoribus aggravatum expurgant, ac conſecutione quadam, repetitis vicibus ſumptæ, à Capite & Hypochondriis humores ſuperfluos excrementitios trahunt, atq; exturbant.

PILULÆ BALSAMICÆ ET STOMACHICÆ.

℞. Pulv. Succini albi præp. drachmam unam,
Olibani,
Maſtichis,
Myrrhæ,
Gummi Animæ,
Ligni Aloës pond.
Nucis Moſchat. an. Scrup. duos,
Croci Auſtr. drachmam ſemis,
Rad. Doronici veri drachmam unam ſemis,
Reſinæ Storacis Calamitæ drachmam unam,
Balſami Indici de Peru,
Olei Nuc. Moſchat. expreſſi an. ſcrup. duos,
Opobalſami veri Oriental. q. ſ. pro maſſa juſtæ conſiſtentiæ efformanda,
addendo ultimò
Ol. ſtillat. Cinamomi ſcrupul. unum,
fiat Maſſa.

Eſt ſaluberrimum Medicamentum Confortativum Cerebri atque Ventriculi: In Diarrhœa, Lienteria, Fluxu Hepatico, Gonorrhœa virulenta, Fluore albo muliebri, Colica paſſione, & Nephritico dolore emolumento eſt. Doſis, quinque vel ſex Pilulæ juſtæ magnitudinis, ad inſtar piſorum ante vel poſt cœnam ſumendæ.

PILULÆ STOMACHICÆ ALIÆ REGIÆ.

℞. Ambræ gryſeæ drachmam unam,
ſolvatur in
Ol. ſtillat. Cinamomi,
Caryophyllor. an. ſcrup. uno,
Nucis Moſchat. expr. drach. una.
His adde:
Reſinæ Storacis Calam. drachm. duas,
Extracti Ligni Aloës n. reſin. drachmas duas ſemis,
Pulv. Maſtichis electæ,
Olibani,
Gummi Animæ,
Succini albi an. drachmas duas,
Macis drachmam unam ſemis,
Radic. Doronic. veri drachmas duas ſemis,
Croci Auſtriac. drachmas duas.

Miſceantur ac cum Melle Roriſmarini efficiatur Maſſa, è qua Pilulæ, quotiescunque uſus poſtulat, formandæ: *Ventriculum, Cerebrum, & totum Nervoſum genus inſigniter roborantes.*

PILULÆ

PILULÆ DE TEREBINTHINA AD GONORRHOEAM VIRULENTAM.

℞. Pulv. Antimonii Diaphoretici ritè ac recenter jamjam parati unciam ſemis,
Cinnabaris Nativi rubicundi,
Terræ Sigillatæ Sileſ.
Rad. Liquiritiæ raſæ,
Ireos Flor.
Succini albi an. drachmas tres,
Oculorum Cancrorum præpar. unciam ſemis,
Maſtichis electæ,
Olibani,
Myrrhæ rubræ,
Croci Auſtriaci ana drachmas duas.

Miſceantur, ac cum ſ. q. Terebinthinæ claræ, efficiatur Maſſa, *ex qua Pilulæ mediocres efformandæ, quarum quatuor, quinque, vel plures pro doſi una exhibeantur.*

Habes hîc Amice Lector & in hâc Medicamenti formâ locupletiſſimam penum, è quâ fidiſſima remedia ad quoscunque Languores, ac Morbos depromere valeas, tuo idipſum ſignaturus teſtimonio, dum vel ipſe verecundè conticeſco. Serviant igitur noſtri labores Tibi inſtar Cornu Copiæ, repudiatis tot inconcinnis & ſiniſtris Pilularum inventis, de quibus meritò ambigas, pluranè contineant Ingredientia, an vitia, verba an ſophiſmata; ut meritò quisque demirari poſſit, quò inſaniæ aliqui proceſſerint, ut ſe proſtituto adeò modo riſui & oſtentui omnibus expoſuerint, dum ejusmodi abortivas compoſitiones meditarentur ſinè ſole & ſale. Quod ut factis demonſtrem, unicam adjiciam Pilularum compoſitionem, quæ ſecreti loco ad nos directa olim fuerat; ex qua omnibus pronum erit deducere, vel iis, qui primis, ut ajunt, labris ſcientiæ fontes prælibarunt, taceo Viros in Arte conſummatos, quàm indecentia & ridicula in unam Maſſam conflata ſint. Ut nulla ſit abſurditas aut error, qui huc citatus non commigrarit, quot verba tot errata. Eſt igitur talis deſcriptio, quam formalibus ac nudis verbis prout primitus conſignata fuit, delineo.

COMPOSITIO IPSA ET PRÆPARATIO HARUM Pilularum unverſalium hæc eſt.

℞. *Herbar. Agrimoniæ,*
Centaurii min.
Hyſſopi,
Cardui bened.
Scolopendrii,
Fragariæ,
Veronicæ,
Meliſſophylli,
Salviæ,
Abſinthii,
Lupuli ana Manunum,
Ceraſorum nigror. exſiccator.
Baccarum juniperi ana uncias quatuor,
Raſuræ Ligni Sancti uncias duas,
M. omnia groſſo modo inciſa, ſignentur.
Herbæ pro deſtillatione.

A.

℞. *Rad. Tormentillæ,*
Pimpinellæ,
Fœniculi,
Apii,
Caryophyllatæ,
Enulæ,
Cichorii, ana drachmas duas,
Zedoariæ unciam unam,

Herb. Majoranæ,
Chamæpithyos,
Fumariæ,
Epaticæ,
Serpilli an. Man. semis.

Flor. Bugloſſi,
Borraginis,
Betonicæ,
Anthos,
Liliorum Convallium ana Pug. duos,

Semin. Coriandri præpar.
Napi,
Aniſi,
Pæoniæ,
Baſilicon. an. drachm. unam,

Rhabarbari optimi uncias duas,
Agarici Trochiſcati unciam ſemis,
Corticum exterior. Citri,
Arantiorum,
Fraxini,
Guajaci,
Cinamomi ana drachmas duas,
Croci Orientalis drachm. tres,
Ligni Aloës veri drachm. duas,

Incidantur & contundantur. Signentur Pro Infuſione.

B.

℞. *Aloës ſuccotrinæ uncias octo,*
Succi Roſarum uncias tredecim,
Limoniorum uncias decem,
Cydoniorum uncias ſex,
Miſceantur. Signentur Succi

C.

℞. *Myrrhæ electæ unciam ſemis,*
Ammoniaci,
Thymiamatis ana unciam unam,
Miſceantur. Signentur
Gummi in aceto diſſolv.

D.

℞. *Radic. Vincetoxici,*
Biſtortæ,
Carlinæ,
Diptamni albi,
Angelicæ,
Tormentillæ,
Scorzoneræ,
Gentianæ,
Petaſitid. ana drachmas duas,

Herbar. Scordii,
Rutæ ana Man. unum,
Hederæ terreſtris,
Acetoſellæ,
Chelidonii,
Scabioſæ,

Bardanæ

Bardanæ ana Man. ſemis,
Flor. Calendulæ,
Quatuor Cordialium,
Centaurii,
Geniſtæ,
Hypericon. ana Pug. duos,
Semin. Plantaginis,
Leviſtici,
Chermes,
Acetoſæ,
Aquilegiæ ana drachmam unam,
Raſuræ Corn. Cervi crudi,
Eboris. an. drachm. duas,
Terræ Sigillatæ,
Boli Armenæ ana unc. ſemis,
Succini albi drachmas tres,
Camphoræ ſcrup. quatuor,
Corallorum rubeorum,
alborum ana drachm. unam ſemis,

Miſceantur, Signentur.

Medicamenta pro Aceto Bezoardico.

E.

℞. *Aceti Vini puriſſimi libram unam ſemis,*
Rubi Idæi,
Sambuci,
Florum Tunicæ,
Scillitici ana uncias quatuor,

Miſceantur. Signentur,

Acetum pro Aceto Bezoardico.

F.

Jam verò.

Litera *A. notatæ Herbæ*, in *Aqua pluviali deſtillata*, vel *ſero Lactis deſtill.* biduum macerentur, deinde deſtillentur, & rectificentur.

Litera *B. ſignata*, aſpergantur *aqua deſtillata litera A.* & tandem in loco calido macerentur, donec omnis virtus extracta ſit, & poſtmodum extractio coletur & exprimatur.

Litera *C. ſucci nominati*, cum ſupra dicta *B. extractione* permiſceantur.

Gummi Litera D. in ſ. q. *Aceti Bezoartici* diſſolvantur & colentur, & cum *ſuccis C.* miſceantur.

Materiæ hæ conjunctæ indantur vitro ut mediam partem impleant, cooperiatur vitrum vitro alio impoſito, ac octo diebus ac noctibus in cineribus vel M. B. digerantur, interim tamen crebrius agitentur, probeque confundantur; tum demum ut reſideat, permittendum; Quod clarum eſt, ſenſim decantetur, & ſervetur. *Fæcibus relictis Aq. litera A.* affundantur, & fiat digeſtio ut prius, donec omnis vis extracta ſit, tum omnia conjungantur & benè clauſa in B. M. lento calore digerantur; Purum & clarum decantetur, & in M. B. ad dimidiam

partem abſtrahatur ; poſtea , abjecto Alembico ad Syrupi conſiſtentiam evaporet , & lento tandem igne ad Extracti formam coquatur.

Omnes remanentiæ calcinentur , ſal cum aqua ſtillata extrahatur , & cum Extracto permiſceatur.

Deſtillatum efficax eſt ſudoriferum ad unciam datum (ſi credere fas eſt.) Ex drachma una Extracti fiant pilulæ xxx. doſis tres ad ſeptem , pro ratione ægri & Morbi, ante cœnam.

Hæc eſt pro Coronide hujus Claſſis ſpecioſa , tanto autem Viro Authore indigna Pilularum Compoſitio , annexaque ejus præparatio. Ambæ vix caſſa nuce dignæ , quas quilibet qui vel hirquis emiſſitiis illas inſpexerit, primo intuitu abſurditates utrobique deprehendet.

(o)

PHARMA-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS SEPTIMA, EXTRACTORUM GENUINUM CONFICIENDI MODUM TRADENS.

DE *Extractis in hac Classe ex professo acturis operæ pretium est, de illis universaliter nonnulla præmisisse, è quibus tamen omnium Extractorum dextrè componendorum parandorumq; ratio & modus facile patebit.*

Nomen quod attinet, Extracti in Medicina, ea res subtilis quæ ex crasso & simplici aliquo corpore, sive ex iisdem plurimis mixtis, beneficio cujusdam Menstrui vel liquoris extrahentis prolecta est, meretur: in qua verò tota virtus vel essentia rei, sive rerum extractarum resideat, mortuo quasi vel inefficaci corpore crasso in residuo remanente.

Distinguitur Extractum ab Essentia, solâ ferè consistentiâ suâ crassâ, quùm

quàm Eſſentiæ verè propriéque liquidæ ſint Extracta. Conſiſtentia vero Extracti propriè & Medicè ſumpti, ſemper quidem craſſa, non tamen una eademque eſt: quandoq; enim Mellis inſtar ſeu liquidi Electuarii eſſe convenit pro Potionibus, vel etiam Bolis conficiendis; aliquando magis craſſa inſtar maſſæ cujusdam, ut Pilulæ protinus ex illa efformari queant.

Sunt inventa & excogitata Extracta à Medicis, ut non ſolùm in minori quantitati & pondere, quàm res ipſæ è quibus elicitæ ſunt, intra corpus ſumptæ, operentur; verùm etiam, ut propter ſubtilitatem & ſeparationem puri ab impuro benignius & ſine moleſtia vires ſuas operationesve exſerant, penitius penetrent, in liquoribus ſolubilia ſint, & ob id minus nauſeabunda, ac liquoribus ſoluta, haud uti pulveres atq; res craſſæ fundum petant, tædiumve concilient aſſumenti. Menſtrua vel liquores, quibus mediantibus Extracta prolicienda, varia exiſtunt; quæ & ipſa pro diverſitate rerum extrahendarum variari debent, ut unicuique ſubjecto extrahendo, ſuæ naturæ congruum humogeneumve Menſtruum vel liquor extrahens adaptetur, quo cum aptè atque debitè tum è Mineralibus, tùm Vegetabilibus in ſe maximè diſcrepantibus & ipſis etiam Animalibus, Eſſentiæ, Virtutes aut quocunque nomine apellare libet, elici poſſint, relictis inutilibus ac viribus exhauſtis terreſtribus reliquiis. Et quidem pro Extractione Vegetabilium, cum quibus nobis præcipuè in hac Claſſe res eſt, apta dantur Menſtrua; inprimis Spiritus Vini pro reſinoſis omnibus, ſpiritus ipſorummet Vegetabilium aliorum ardentes, Acetum deſtillatum & crudum, nec non aquæ etiam deſtillatæ ipſaque ſimplex aqua. E quibus jam pro cujusvis intentione eligi poſſunt, quæ maximè propoſito inſervire videbuntur, nec minus Menſtrua cuique rei accommodata parari.

De cætero ſcita ſummoperè neceſſarium eſt; Non omnes res ſive Vegetabilia, indiſcriminatim Extractionibus eſſe idonea, ut Extracta ex illis conſiſtentiâ craſſâ conficiantur; ſed ea ſaltem, quæ Spiritu Sulphureo, facilè in auras avolante non ſunt prædita, ſecus enim ſpirituoſiores & ſubtiliores eorundem partes in abſtractione ad debitam conſiſtentiam æthera peterent, relictis partibus craſſioribus, ſive Extracto potioribus deſtituto viribus.

Exemplum in hoc genere ſit nobis Lignum Aloës, odoriferum & reſinoſum ſubjectum, ex quo frequenter Extractum elicere ſtudent, ſed non admodum benè. Nam, quamvis Lignum Aloës ejuſmodi ſubjectum ſit, cujus eſſentia reſinoſaq; ſubſtantia de facili cum Spiritu Vini elicitur, nihilominus ſi illa extracta eſſentia ad ſpiſſitudinem Mellis (quæ nonniſi Reſina erit) abſtrahenda eſt, reverà potiores ſubtilioresq; ac magis odoriferæ earum partes, unà cum ſpiritu ſuo vel Menſtruo abſtrahente evolabunt, reſinâ poſt ſe relicta, fragranti ſuo odore potiori privata. Idem de aliis dicendum multò notioribus, utpote Cinamomo,

mamo, Caryophyllis, Aniſo &c. è quibus & aliis ſimilibus Aromatibus & ſubjectis, etiam Celeberrimi aliàs Viri Extracta conficere præceperunt, quod quàm indignum autem, ne dicam abſurdum conamen ſit, vix eſt effatu poſſibile.

Quæ porrò de Gummatibus atq; aliis ſubjectis extrahendis, in ſpecie præmittenda forent, ea fusè, ac perſpicuè ſatis, ni fallor, in Appendice noſtra ſuper Claſſem de Extractis pag. 23. 24. & ſeqq. nec non in Animadverſionibus noſtris ſuper Balſamum Aloës factis, præfati ſumus, & diſcuſſimus, adjectis legitimis quibusdam modis extrahendi, quodq; Menſtruum rebus Catharticis extrahendis aptiſſimum ſit, oſtenſo; ſententiis inſuper contrariis diſcuſſis, quorſum L. B. ablego, ad ſpeciales Extractorum compoſitiones præparationesq; progreſſurus. Non autem opus erit tanta prolixitate, aut tot, & tàm diverſas Extractorum compoſitiones efformare, titulisq; peregrinis exornare; Hoc unicum monendum duxi, ut Extracta ſimplicia dextrè & legitimè conficiantur, videlicet de Agarico, Aſaro, Rhabarbaro, Gialappa, Mechoacanna, Foliis Senæ, Helleboro, Colocynthide &c. E quorum competenti mixturâ, ſi tantopere compoſita expetantur, Cholagoga, Phlegmagoga, Melanagoga, Panchymagoga &c. ex tempore parari poſſunt.

EXTRACTUM AGARICI.

QUâ ratione Extractum hoc ritè parandum ſit, *Animadverſiones* noſtræ in præcedente *Pharmacopœia Auguſtana* luculenter docent, ubi etiam ratione ejus Menſtrui pulchra quædam, ſcituque neceſſaria addita ſunt, quæ L. B. conſulat.

EXTRACTUM RAD. ASARI.

QUamvis Radix hæc reſinoſa non ſit, adeoque cum quodam liquore vel menſtruo aquoſo, aut ſimplici etiam aqua extrahi poſſit, repetita ſaltem coctione, nihilominus cum Spiritus Vini eſſentiam rerum Catharticarum ſubtilius eliciat, partibus craſſioribus relictis, & quia Aſarum primâ in aqua ebullitione ex Emetico in Diureticum tranſit, non ita vero in Vino ac in aqua radix incocta miteſcit, ſuaſor ſum, ut hujus radicis Extractio cum Spiritu Vini peragatur, quæ ſimpliciter ſequenti modo inſtituenda.

℞. Rad Aſari mundat. libram unam, ex quibus groſſo modo contuſis ac vitreo Alembico immiſſis, affuſſa ſuffic. quantit. Spiritus Vini ſimplicis, repetitis vicibus (ſemper ad ſupereminentiam ſex vel octo digitorum transverſorum) extrahe eſſentiam, quousque ſpiritus affuſus non amplius tingatur: Tincturæ ſeu eſſentiæ aut Extractiones omnes junctim filtratæ in Alembico, appoſito capitello, leniter ad libram unam circiter abſtrahantur: Reſiduus tandem liquor in vaſe duplici terreo, diplomate dicto, ad ſpiſſitudinem vel craſſitiem pultis ſeu Electuarii leniter tandem evaporet, cui pro aromatiſatione adde

Olei ſtillatitii Ligni Rhodii,

Nucis Moſchat. expreſſi an. drach. ſemis,
prius cum
Pulv. Sacchari albiſs. uncia una permiſtorum,
fiatque Extractum.

Evacuat Pituitam, ut & flavam Bilem, conſecutione quadam ex capite ſuperfluas easque viſcoſas allicit humiditates, quod ſi in paulò largiori quantitate vel doſi aſſumatur, per Vomitum viſcidos craſſoſq; humores, Febrium cauſam exturbat; in minori autem quantitate uſurpatum, per inferiora tantum operatur. Doſis ſcrupulus ſemis, ad ſcrupulum unum & drachmam ſemis.

EXTRACTUM COLOCYNTHIDOS.

PRo hac violenti hujus Cathartici extractione hoc antea monendum, quòd, quamvis rarò extractum hoc in uſum veniat Medicum (intellige per ſe ſolum) nihilominus tamen non planè carebit uſu, præſertim ſi accuratè paratum, correctumquè fuerit, multis paraſangis Trochiſcos Alhandal antecellet, ut, qui è cruda prorſus Colocynthide confecti, haud exiguam naturæ vim, uberiori aliquanto doſi exhibiti, inferunt; quam ob rem ſuaderem, ut ex hoc Extracto demum Trochiſci conficerentur, additô corpore quodam congruo, quod & facilius & citius in effectum deduci poteſt, quàm de cruda Colocynthide Trociſcos confeciſſe: Nam tantâ cum difficultate in pulverem redigenda Colocynthis, (quod tamen neceſſarium eſt, ſi Trochiſcos ex illa conficere animus ſit) ut propemodum impoſſibile videatur, dum vim piſtilli omnem reſpuit, niſi Mucilagine Tragacanthi vel Gummi Arabici permixta & denuò exſiccata fuerit. Sit itaque extracti hujus præparatio talis:

℞. Pulpæ Colocynthidos à ſeminibus liberatæ libram unam,

coquatur in aq. ſimplici repetitis vicibus affuſa & colata usque dum omnis efficacia & virtus Cathartica extracta ſit, Colaturæ omnes leniter evaporent ad conſiſtentiam vel ſpiſſitudinem Mellis: Quod Extractum vel ita crude aſſervandum, vel ex eo, addito pane triticeo, in dupla vel minore quantitate Trochiſci ſunt efformandi, qui aromatizandi, pro odore duntaxat grato conciliando, olei Nuciſtæ expreſſi particulâ. Si verò idipſum Extractum mitius in operando, & penetrantius eſſe velis, extrahatur hoc craſſum & ſimpliciter cum aqua ſimplici factum Extractum, denuò cum ſuffic. quantitate Vini Spiritus boni, & videbis magnam prioris Extracti partem, ab hac ſecunda extractione intactam relinqui, & in reſiduo manere, quâ craſſitie abjectâ, ſpiritus colatus leniter per Alembicum abſtrahendus, quoad Extractum juſtam conſiſtentiam fuerit nactum, quod aſſervandum.

In virtute haud dubiè cruda Colocynthidi, vel ex eâ confectis Trochiſcis præferendum, & præcipuè maſſis Pilularum acuendis Extractum hoc aptiſſimum. Doſis gr. v. vel. vj.

Nota: Verùm & inſuper ſciendum, quod

quod *Colocynthis*, licet res sit ficciſſima, in extractione tamen cum *Spiritu Vini* peracta, *Reſinam* quandam præbeat, uti *Galappa*, *Meohoacanna &c.* Igitur ne & illam perditum eamus, & Spiritui Vini parcere quis nolit, poterit equidem ex illa *Colocynthide* Extractum cum Spiritu Vini ſolo confici ad normam Extracti Galappæ, quod legitimè etiam paratum ad uſus debitè accommodandum eſt.

EXTRACTUM HELLEBORI NIGRI.

RAdicis hujus Extractum dexterius conficiendum *Animadverſionibus* noſtris quidem inſeruimus, annexis ſimul notis nonnullis; Verùm ut luculentius pateat, non parcam operæ, quin præparationem ejus denuò hîc annectam.

℞. Radic. Hellebori nigri mundatæ. libras duas,

conquaſſatæ coquantur cum ſ. q. aquæ ſimplicis repetitis vicibus affuſæ & colatæ (verùm in terreo, aut etiam ferreo, non autem cupreo, vaſe) usque dum vires omnes ſint evocatæ: Colaturæ omnes poſt leniter in terreo vaſe evaporent ad Mellis vel Electuarii ſpiſſitudinem: Quo facto, ut præſtantius & ſubtilius efficiatur, illud de novo cum ſ. q. Spiritus Vini boni extrahatur, quousque Spiritus Vini affuſus colore rubeo tingatur; proinde repetita etiam ſpiritus affuſione opus eſt; videbis enim magnam prioris Extracti partem fœculentam à Spiritu Vini intactam relinqui; quâ ergo abjecta, ſpiritus tincti omnes in B. M. abſtrahendo redigantur ad conſiſtentiam Extracti juſtæ conſiſtentiæ.

Nota: Accurata autem opus eſt iuſtratione atque inſpectione in coemptione Radicum Hellebori nigri, ne Aconitum, germanicè Wolffswurtz / quod ſummum eſt deleterium, pro Hellebori radice, (cum hæ duæ radices quoad externam formam ſi folia ſint detracta, à ſe invicem vix dignoſci queant, (emendo apprehendas quod jam binis vicibus contigiſſe memini.

Deinde ulteriùs notandum, quòd prædictum *Extractum* modo oſtenſo dextrè paratum, mitiſſimum & haud violentum ſit pharmacum, nec multum purgando per Inferiora, minus per ſuperiora operetur; Idcircò hanc apprehendi ſententiam, quòd, cum radices hæ in coctione, aquâ affuſa, vel potius in deſtillatione, aquam præbeant, acrimoniâ manifeſtâ imbutam (cujus uſus quidem me adhuc latet) illam fortè vim potiorem Vomitoriam & purgantem, forti coctura aut deſtillatione ſecum rapuiſſe, quæ in ſpiritu quodam volatili ſalino atque acri conſiſtere debet, eò quod ſalis fixi exiguam Helleborus præbeat particulam, ſi, uti alia ferè omnia Vegetabilia, per ignem in Cineres redigatur. Nec tamen negandum, prius cum aqua ſimplici, ſimplici coctura paratum Extractum multò potentius & violentius operari, ſed & craſſius illô, cum Spiritu Vini denuò parato Extracto exiſtere.

Et quæ ſuperius in ſæpius citatis n. *Animadverſionibus* de Radicum harum eſſentia monuimus, ea curioſa mente & diligenter penſitentur. Inſuper & hoc eſt ſcitu neceſſarium, differentiam quandam inter has radices eſſe ratione loci, ubi effoſſæ ſunt, & illam quidem quoad Vires Catharticas; nam illæ, quæ ex Styria apportantur, virtutibus ſuis reliquas antecellunt.

Cæterum, inter Vegetabilia Melampodium præ aliis mirâ trahendi vi præditum eſt, de quo Sala: *at hoc Extractum Hellebori nigri præſertim cum Spiritu Vini Tartariſato, per ſalem Tartari eſſentificatum, præparatum, laudatur in iis Dementiæ & Melancholiæ Hypochondriacæ ſpeciebus, quæ non ſimpliciter ab internæ Imaginationis thimoſi inceperunt, ſed vel à ſordibus Hypochondriacis ortum ducunt, vel humoribus corporis transmutatione erroneâ vitia imprimunt; unde Amentia Hypochondriaca exonerato Liene & Febres Chronicæ ſuperantur & miteſcunt.*

EXTRACTUM CASTOREI.

℞. Caſtorei ab omnibus Membranis pinguedineque ſeparati, non vetuſti, uncias quatuor vel q. pl.

Cui ſubtiliſſimè inciſo & Cucurbitæ vitreæ immiſſo ſuperaffunde

Spiritus Ceraſorum ardentis uncias duas:

Factâ maceratione unius diei, abſtrahatur fortiter deſtillando, per M. B. totus ſpiritus affuſus, ad ſiccitatem Caſtorei: Spiritus abſtractus ſtudiosè aſſervetur.

E reſiduo in Alembico Caſtoreo, affusâ ſ. q. Spiritus Vini, repetitis vicibus, extrahatur Eſſentia, quousque ſpiritus affuſus colore inficiatur; tandem ſpiritus tincti omnes filtrati in Alembico vitreo leni balnei calore abſtrahantur ad conſiſtentiam ferè Syrupi vel liquidiorem, reſiduum ex cucurbita effuſum in fictile ſeu potius in vitream patinam aquæ diplomatis debitè immerſam, adhuc evaporet ulterius, ad ſatis denſam Extracti conſiſtentiam & ſpiſſitudinem, cui demum jungatur & reſtituatur deſtillatus ab eo ſpiritus ſuprâ aſſervatus, additâque

Eſſentiæ Arantiorum ſaccharinæ ex recent. Cortic. paratæ uncia ſemis,

fiat Extractum juſtæ conſiſtentiæ, *Ad Affectus Cerebri, Apoplexiam, Epilepſiam, Lethargum, nec non ad Variolas expellendas, aliaque Exanthemata protrudenda, proficuum: Utrum vero in Affectibus etiam Uternis ſalubre eſſe poſſit, cuilibet opinionem ſuam liberam relinquimus; Mihi quidem res ob rationes paulò ante apud Pilulas de Cynogloſſo allatas, ſuſpecta videtur. Doſis erunt pauculæ grana.*

EXTRACTUM CROCI.

AD eundem planè modum præcedentis Extracti de Caſtoreo etiam hoc legitimè parari poteſt: Quamvis etiam cum Aqua aliqua Cordiali Extractio, tanquam è re non reſinoſa, quæque in quemlibet liquorem aquoſum ſuam liberè deponit Eſſentiam atque Tinctu-

ram,

ram, facili negotio perfici poſſit. *Eſt Cordiale Medicamentum, mitigativum, affectibus quoq; Cerebri, Uterinis, item Epilepticis atque Hyſtericis proficuum. Lætitiam excitat, Cordiq; robur confert. Doſis aliquot grana in vehiculo convenienti ſunto.*

EXTRACTUM ANTIFEBRILE.

℞. Corticis Chinæ Chinæ paucis abhinc annis ex India Orientali ad nos translatæ uncias duas,
Rad. Calami Aromatici unciam unam,
Gentianæ,
Flor. Centaurii minoris ana uncias duas,
ex inciſis & craſſiuſculè contuſis, eliciatur cum ſuffic. quant. Spiritus Vini repetitis vicibus affuſi, virtus tota, quousque Spiritus Vini colore rubro inficiatur: Spiritus tincti omnes filtrati in Alembico vitreo per M. B. ad Extracti ſpiſſioris conſiſtentiam deſtillando leniter abſtrahantur. Servetur Extractum reſiduum ad uſum: *Quod præſentaneum eſt remedium in Febribus Tertianis & Quartanis, cum Intermittentibus tum Continuis, inſtante Paroxyſmo, vel hora una aut altera antea exhibitum. Doſis ſcrupulus unus aut drachma ſemis, ſive in forma Pilularum, ſive in liquore appropriato ſolutum.*

Nota: Ex ſolâ coctione Chinæ Chinæ (quæ Romæ & Venetiis venalis proſtat) Extractum ſimpliciter confectum, easdem obtinet virtutes, *Paroxyſmos, fermentumque febrile extinguendi, & diſſipandi, quò certè præſentius Remedium aut Febrifugum hucusque non eſt inventum, vel rarò vel nunquam fallens Medicum aut ægrum modò debito tempore, opportune ac præmiſſis præmittendis exhibeatur,*

EXTRACTUM HYDRAGOGUM.

℞. Radic. Aſari,
Ebuli ana uncias tres,
Calami Aromatici,
Enulæ ana unciam unam,
Gialappæ,
Mechoacannæ,
Vincetoxici ana uncias quatuor,
Rhabarb. optimi unciam unam ſemis,
Herbar. Soldanellæ,
Grotiolæ,
Scolopendr. an. unc. duas,
Agrimon. uncias duas ſem.
Semin. Apii,
Bardanæ majoris,
Naſturtii,
Ebuli,
Urticæ,
Thlaſpios noſtr. ana unciam unam.

Inciſa & contuſa immittantur Cucurbitæ Vitreæ, ac cum ſ. q. Spiritus Vini, repetitis vicibus affuſi, extrahantur virtutes omnes, quousque nimirum Spiritus Vini tingatur; Extractiones omnes in Alembico Vitreo ad libram unam circiter abſtrahantur; Reſina, quæ

reſiduo liquori innatabit, ſtudioſè ſeparetur, exſiccetur que leniter, &, ut ſæpius monui, vel Amygdal. dulc. benè ſubacta, & in pulverem converſa, vel Spiritu Vini recenti rectificatiſſimo denuò ſoluta; ultimò tandem Extracto jam ſufficienter & ad conſiſtentiam debitam abſtracto admiſceatur

Porrò

℞. Succor. depurat. Rad. Bryoniæ,
Iridis noſtr. ana unc. dec.
Hepat. nobilis,
Matriſylv.
Mercurial. ana unc. octo,

ac cum ſuperiori jam Extracto liquido, à quo innatans ejus reſina ſeparata eſt, in leni calore, vel ſupra lenem ignem in vaſe duplici, ad competentem Extracti conſiſtentiam unita evaporent, cui Extracto ultimò jungantur,

Superior ſeparata & aſſervata Reſina,
Amygdalis probè ſubacta, vel Spiritus Vini particulâ denuò ſoluta,
item,
Magiſterii, ſeu Reſinæ Scammoneæ,
Amygdalis pariter probè ſubacti drachmæ duæ,
Extracti Gummi Guttæ uncia ſemis,

& uſui reponatur. *Hydropicis proficuũ. Doſis drachma ſemis ad drachmam unam in vehiculo convenienti.*

EXTRACTUM MECHOACÆ.

HArum Radicum reſinoſarum extractiones in *Appendice noſtra ad Animadverſiones* in *Pharmacop. Auguſt. pag. 26. & 27.* non obſcurè indigitatæ, nec non earum Magiſteria dextrè conficienda, in *Animadverſionibus* iisdem pag. 612. ſeqq expoſita reperies. Verum enim verò, ne quidquam mancum opuſculo videatur, ſequentes ſuperpondii loco addo præparationes.

℞. Radic. Mechoacæ albæ
vel
Rad. Gialapp. libram unam,

Utram harum volueris: & ex his Inciſis & contuſis, nec non cucurbitæ vitreæ immiſſis, extrahatur cum ſufficienti quantitate *Spiritus Vini rectificati*, repetitis vicibus affuſi, & depleti, tota earum Eſſentia, virtus ac reſinoſa ſubſtantia, usque dum *Spiritus* non amplius colore imbuatur; *Spiritus tincti omnes* prius filtrati per Alembicum deſtillando leniter abſtrahantur, ad pauci liquoris remanentiam (libræ unius circiter) *reſiduo in Alembico liquori* aliquot unciæ *Aquæ Roſarum* affundantur, pro exactiori *reſinæ* præcipitatione, relicto à deſtillatione liquori innatantis, quam deinceps à liquore reſtante exactè ſeparatam, *& Aqua Roſarum fragrante* ſæpius lotam, in ſcutellâ leniter retrò fornacem, vel in cineribus; & quidem ſi ex *Galappa* fuerit, totaliter exſicca, ut in pulverem queat redigi, & *Gialappæ Magiſterii ſeu Reſinæ* nomen mereatur: ſin verò à *Mechoacanna* extracta fuerit *Reſina*, eandem non ad ſiccitatem totaliter, ſed ad ſolidam ſatis, nec tamen planè *ſiccam Reſinam*, mediante leni calore, ſimiliter redige, idque

idque in ſcutellâ pariter vitreâ vel terreâ. Jam verò *reſiduum liquorem ſeu liquidum Extractum*, à quo *Reſina* ſeparata fuit, in diplomate, vaſe nimirum duplicato, ad conſiſtentiam Extracti ſpiſſiorem, ſive Electuarii, evaporare ſine, cui Extracto ſpiſſo, dum adhuc calet, uniatur jam legitimè *ſua reſina ſuperius ab eo ſeparata & exſiccata* ut ſolubile Extractum ex ambobus efficiatur. Sed cum hæ Radices, ſcil. *Galappæ & Mechoacæ*, copioſam in extractione præbeant *Reſinam*, pauxillum verò extracti in aqua ſolubilis (prout hîc loci Extractum accipimus) idcircò ambæ totaliter, quemadmodum extractæ ſunt, uniri verè nequeunt, ita ut in quolibet liquore poſtea ſint ſolubilia, & veri Extracti nomen meriti poſſint; Neceſſum igitur eſt, ut unio ſive mixtura horum duorum, abſtracti videlicet Extracti & Reſinæ, competenti quantitate ac pondere hujus atque alterius inſtituatur. Verbi gratia ſint

Extracti abſtracti unciæ quatuor, vel Gialapp. vel Mechoacæ,

admiſceantur vel aduniantur his quatuor unciis,

Reſinæ vel Gialapp. vel Mechoacæ unciæ duæ,

ſequenti modo: nimirum,

Pro Extracto *Gialappæ*, ejus *Reſinam* totaliter exſiccatam, & in pulverem redactam ſubtilem, pondere ſupradicto, prius cum

Amygdal. dulc. decort. unciâ unâ vel unâ ſemis,

probè ſubactam, Extracto, jam tùm ad juſtam conſiſtentiam abſtracto, ſtudiosè commiſce, addita nec non

Eſſentiæ Arantiorum ſaccharinæ è recent. Cortic. parat. uncia una,

fiat Extractum Gialappæ.

Pro Extracto verò Mechoacæ albæ, hunc ſequere modum videlicet.

Reſinæ Mechoacæ aliqualiter & quantum fieri poteſt ſiccatæ, unciæ duæ,

ſolvantur denuò in

Spiritus Vini rectificatiſſimi, ut ſine omni phlegmate aquoſo ſit, unciis tribus vel quatuor,

ac tandem

Extracti ad ſatis craſſam ſpiſſitudinem abſtracti unciis quatuor,

commiſce,

fiat Extractum Mechoacæ albæ.

De *Spiritu* nonnihil leni calore exhalare ſinendo, cum promptè leni caloris pulſu æthera petat, ut juſta Extracti conſiſtentia emergat, addatur ultimò

Eſſent. Arantiorum ſaccharinæ ex recent. Cort. uncia una.

Hæc dextrè deſcripta Extracta ferè unius ejusdemque ſunt virtutis, quamvis *Gialappæ Extractum* quodammodo efficacius ſit altero: *ambo evacuant aquoſas ac ſuperfluas totius corporis humiditates, unà cum flava bile. In Cachexia, Hydrope, Aſcite & Anaſarca, aliisque Morbis, in quibus purgatione opus, feliciter adhibentur, à ſcrupulo ſemis, ſcrupulo uno, & drachmæ ſemis, prius quidem Syrupis ſolvendâ, tan-*

da, tandem etiam liquoribus permiſcenda.

EXTRACTUM RHABARBARI, ET EXTRAACTUM FOLIORUM SENÆ.

HÆc Extracta ut debitè conficiantur, præcedentes modi ſimplicium Extractorum obſervandi & imitandi ſunt: Et cum *Rhabarbarum* Radix ſit, cujus eſſentia cum aqua aliqua ſimpliciter deſtillata elici quoque poteſt, poterit illa, ſi *Spiritus Vini* ſuſpectus, & nimis calidum exindè futurum Extractum quiſpiam præſumeret, cum *Aqua Cichorii vel Endiviæ* extrahi, & uſui ſuo accommodari.

Par ratio eſt & idem modus in extractione *Foliorum Senæ* obſervandus: hoc tamen certò certius quod extractiones cum *Spiritu Vini* peractæ, multò ſubtiliores & penetrantiores ſunt, quàm illæ, quæ cum aquis peraguntur. Exemplo nobis ſint præmiſſa *Hellebori atque Aſari Extracta*: quarum *Radicum Eſſentia & Tinctura* etſi primum cum *Aq. ſimplici* prolectæ & evocatæ ſint coquendo, poſteâ tamen cum *Spiritu Vini* inſtitutâ repetitâque extractione, apparet craſſities prioris fœculenti extracti *cum Aqua* facti; Sic, ſi mihi res tota committeretur, hæc duo Extracta duplici modo parata in Pharmacopoliis proſtare præciperem, *cum Aqua* ſcilicet ſimpliciter parata, & *cum Spiritu Vini*; quorum illa nonnihil efficaciora, hæc verò blandiora in operationibus eſſent futura.

Et ſi Pharmacopœi, laboribus, tempori, ut & *Spiritui Vini* parcere vellent, cujus non exigua copia deſideratur, præſertim *ad Folia Senæ* extrahenda, præſtaret modum imitari in extractione *Radicum Hellebori nigri* edoctum, ita facilliori negotio, minorive pretio hæc ipſa Extracta conficerent. Quorum uſus & doſes patent: ſuperfluum igitur eſſet multa de his addere.

EXTRACTUM PANCHYMAGOGUM, SEU MAGISTRALE, AD POTIONES.

℞. Rhabarbari optimi uncias duas,
Radic. Gialappæ uncias tres,
Hermodactylorum,
Hellebori nigri,
Turbith albi Gum. ana uncias duas,
Fol. Senæ elect. ſine ſtipitibus uncias tres,
Sem. Ebuli unciam unam ſemis.

Inciſa & contuſa extrahantur cum *Spiritu Vini*, repetitis vicibus affuſo, quousque tota vis Cathartica extracta ſit; Extractiones autem filtratæ omnes in Cucurbita vitrea per B. M. abſtrahantur ad remanentiam libræ unius circiter, poſtea à liquore ſive extracto liquido *innatans reſina* ſeparetur; quo facto, liquor dictus leniter in diplomate ad conſiſtentiam Extracti debitam evaporet, cui demum admiſceatur *Reſina ab ipſo ſeparata*, prius *rectificatiſſimi Vini Spiritus ſ. q.* ſoluta, fiatque Extractum debitæ conſiſtentiæ.

Eſt univerſale purgans, omnes humores excrementitios educens; ideoq;

ubicunque

ubicunque purgatione opus, Extractum hoc loco plurimorum aliorum servire potest. Dosis scrupulus unus ad drachmam semis vel scrupulos duos.

EXTRACTUM PANCHYMAGOGUM SEU MAGISTRALE PRO PILULIS.

℞. Rhabarbari optimi unc. unam,
Agarici albi uncias duas,
Gialappæ uncias tres,
Turbith gummosi uncias duas,
Colocynthid. unc. unam semis,
Hellebori nigri unc. duas,
Fol. Senæ elect. uncias quatuor,
Sem. Ebuli,
Scammonii electi ana unciam unam.

Incisa & contusa extrahantur cum *s. q. Spiritus Vini*, quousque tota vis Cathartica sit extracta. Colaturæ & extractiones omnes in M. B. ad remanent. libræ unius circiter abstrahantur, à quo residuo liquore *innatans Resina* separetur, & interim asservetur: Liquor verò sive Extractum liquidum fundatur super

Aloës Rosatæ uncias sex,

& in calore leni simul exsiccentur, admiscendo ultimò *Resinam separatam, & recentis Spiritus Vini rectificati s. q.* solutam: atque ita fiat Extractum satis spissum, in forma Massæ Pilularum.

Hoc Extractum ob saporis amaritudinem utplurimum Pilulis destinatur: Purgat cæterum omnes humores excrementitios, in universum ex corpore. Ad universalem igitur Purgationem, si hâc nimirum opus, conferet hoc Extractum; Cujus dosis scrupulus semis ad scrupulum unum esse poterit.

EXTRACTUM MAGISTRALE LENITIVUM.

℞. Rhabarbari electi uncias tres,
Rhapontici veri uncias duas,
Myrobalan. Chebularum
Citrinarum ana drach. sex.
Flor. Rosar. rubrar.
Santali rubri ana unciam semis,
Radic. Acetosæ,
Cichorii sylvestr. an. drachm. sex,
Cortic. Arantiorum recent. unciam unam.

Ex incisis & contusis fiat cum s. q. Spiritus Vini, repetitis vicibus affusi, colati, filtrati, & ejusdem denuò leni in balneo abstractione, Extractum justæ consistentiæ.

Mitissimum est Laxativum in plurimis Affectibus Hepatis, Lienis & Mesenterii, fluxu Alvi diuturno ac cruento, salutariter exhibendum à drachma una, ad unam semis.

EXTRACTUM ANTEPILEPTICUM.

℞. Radic. Pœoniæ debito temp. coll.
Doronici veri ana unc. duas,
Zedoariæ unciam unam,
Ligni Visci Quercini unciam unam semis,
Aloës ponderosi,
Rhodii,
Santali citrini ana unciam unam.

Croci Auſtriaci unciam ſemis,
Flor. Paralyſeos,
Pœoniæ,
Tiliæ an. drachmas ſex,
Sem. Pœoniæ unciam unam,
Bardanæ major. unciam ſemis,
Citri drachmas ſex,
Succini albi unciam unam,
Cortic. Arantiorum extim.
Raſuræ Ungulæ alcis ana unciam ſemis,
Cranii Humani unc. unam.

Inciſa craſſiuſculè & contuſa immittantur Cucurbitæ vitreæ, ſuper quæ fundatur *Spiritus Vini rectificati libra ſemis*, ut ſpecies parum ſaltem humectentur: Factâ autem maceratione per diem unum atque alterum, abſtrahantur deſtillando in balneo *unciæ tres circiter*, *ſpiritus fragrantis*: quo interim curiosè aſſervato in vitro ſatis clauſo, fiat *ſpecierum reſiduarum cum ſq. Spiritus vini rectificati* extractio, & quidem repetitis vicibus ad virtutum earum plenariam extractionem; *Colaturæ ſeu ſpiritus omnes tincti & filtrati* in M. B. abſtrahantur, ad remanentiam circiter libræ unius, vel unciarum decem. Hic liquor, cui pauxillum *Reſinæ* inhærebit, coletur per linteum. *Reſina in colatorio reſidua* leni calore nonnihil exſiccetur, quâ interim ſervatâ, *liquor colatus* in diplomate ſeu vaſe duplicato ad conſiſtentiam ſpiſſam Extracti evaporet, cui Extracto tandem jungatur *ſua Reſina*, cum *ſuperiori primitus deſtillato & aſſervato ſpiritu* ſoluta, additisque porrò ſubſequentibus, utpotè

Ol. Nuc. Moſchat. expreſſi drachmæ ſemis,
Stillat. Cinamomi,
Ligni Rhodii ana ſcrupulo uno,
Lavendulæ,
Coriandri,
Succini ana ſcrupulo ſem.
prius cum
Pulv. Sacchari albiſſimi uncia una ſemis,
in Elæoſaccharum converſorum.

Item:

Magiſt. ſolub. Matris perlarum cum Spiritu n. Veneris parat. drachmis tribus,
Magiſter. ſolub. Carpion. lapid. ſublunari itidem cum Spir. Veneris parat. drachmis duabus,

fiat Extractum juſtæ conſiſtentiæ. *Præſtans eſt in Affectibus Cerebri remedium; ut ſunt Apoplexia, Epilepſia: item in Morbis Uterinis & Hyſtericis, Vertigine, maximè ſi hi ſint complicati Morbi, fructuosè uſurpabitur; à ſcrupulo uno ad drachmam ſemis. Caſtoreum ab hoc Extracto ſtudiosè abeſſe volui, ne forte fœmineo ſexui intra corpus ſumptum plus obſit quàm proſit, quemadmodum in Pilulis de Cynogloſſo monui: Cui tamen libuerit, Caſtorei Extractum huic jungere, ejus intentioni facilè indulgeo, eo ipſo enim nomine iſtud ſeparatim juxta leges Artis conficere docui, ut per ſe in Pharmacopolio proſtet, & in promptu ſit.*

EXTRA-

EXTRACTUM ANTIPESTILENTIALE.

℞. Rad Zedoariæ,
Contrajervæ ana uncias duas,
Angelicæ,
Imperatoriæ,
Succisæ, ana unc. duas semis,
Herb. Scordii noſtrat. unc. tres,
Rutæ hortensis unc. duas,
Baccar. Juniper. unc. duas semis,
Cortic. Arantior. recent. unc. unam,
Citri recent. extim. unc. duas,
Croci optimi drachmas sex,
Sem. Citri unciam unam,
Aquilegiæ,
Napi ana drachm. sex,
Myrrhæ rubræ elect. unc. duas,
Succini albi unciam unam semis.

Incisa & contusa immittantur Cucurbitæ vitreæ, quibus superaffundantur
Spiritus Vini rectificati unciæ sex, vel octo,
ut saltem nonnihil species humectentur: Factâ maceratione unius diei, abstrahantur in M. B. unciæ tres circiter *spiritus affusi*, quo interim asservato, *species prænominatæ* cum l. q. *Spiritus Vini* extrahantur, & quidem repetitis affusionibus & decantationibus ad totalem virtutum prolectionem. Colaturæ postea omnes filtratæ, destillando in M. B. abstrahantur, ad libram unam circiter: *Qui liquor*, cui nonnihil *Resinæ* inhærebit, coletur per linteum, & in diplomate vel vase duplicato ad Extracti spissitudinem evaporet, huic tandem *superior separata Resina*, parumper prius in vitro largo exsiccata & denuò *cum superiori primitus abstracto spiritu à speciebus* soluta, adjungatur & probè commisceatur, superadditis quoque sequentibus: utpotè
Ol. Sillat. Rutæ,
Baccar. Juniperi ana drachma semis,
Cinamomi,
Citri ex recent. Cort. ana scrupulo uno,
Nuc. Moschat. expr. drachma una,
prius cum
Pulv. Sacchari Citrati unciis duabus permistor.
fiatque Extractum justæ consistentiæ.

Præstans in Peste & Febribus malignis, ad sudores proliciendos, malignitatemq; superandam; Corroborat, ac à vaporibus malignis præservat; Dosis scrupul. ad drachmam semis.

EXTRACTUM ANTIPESTILENTIALE ALIUD.

℞. Rad. Angelicæ,
Cotrajervæ,
Enulæ Campanæ,
Imperatoriæ,
Leviſtici,
Morsus diaboli,
Scorzoneræ,
Zedoariæ ana uncias duas,
Herb. Scordii noſtrat.
Rutæ hort. ana recent. uncias tres,
Flor. Calendulæ,
Croci Austriaci an. unciam unam,

Cortic. Citri recent. extim. unc. duas,
Baccar. Juniperi uncias tres,
Herbæ Paridis unc. unam,
Semin. Citri,
Rutæ, ana unciam semis,
Myrrhæ rubræ unciam unam semis.
Incisa & contusa crassiusculè ac Cucurbitæ Vitreæ immissa, extrahantur *cum s. q. Spiritus Vini*, repetitis vicibus affusi, quousque omnes virtutes evocatæ sint, *nec Spiritus Vini* Tincturam amplius eliciat: Extractiones omnes filtratæ per Alembicum, ad Extracti consistentiam destillando abstrahantur: cui adde
Olei stillat. Rutæ hortens.
Succini an. drach. unam,
prius cum
Sacchari Citrati unciis duabus permixtor.
fiatque Extractum, usui asservandum.

Nota: *Resinosa substantia* uti in aliis superioribus Extractis, studiosè separanda, nonnihil exsiccanda, *cum particula Spiritus Vini* primitus abstracti, denuò solvenda, & jam spisso Extracto dextrè unienda est.

Usus & dosis cum superiori coincidit, exindeq; patet.

LAUDANUM OPIATUM.

℞. Extracti Opii priùs correcti per exhalationem sui Narcotici Sulphuris unciam unam,
Extracti Croci drachmas sex,
Sulphuris Vitrioli Narcotici rubicundi per præcipitationem, edulcorationem & calcinationem dextrè parati unciam unam,
Pulv. Succini albi præpar.
Ligni Aloës ponder. ana drach. sex,
Sem. Citri excortic. drach duas,
Magist. solub. Perlarum Orientalium,
Matris Perlarum,
Coralliorum rubrorũ,
ana drachm. tres,
Ol. Nuc. Moschat. expressi drachm. unam semis,
Stillatit. Cinamomi,
Ligni Rhodii an. scrup. unũ,
prius cum
Essentiæ Citri Sacchar. n. unciâ una permixtor.

Misceantur & cum modico Mellis Anthosati redigantur in massam bonæ consistentiæ; Cui, si placuerit, Ambra & Moschus admisceri possunt.

Est singulare Remediorum Genus in mitigandis doloribus acutissimis totius corporis Microcosmi: Cor roborat, Cerebrum confortat, & sudorem promovet. Dosis scrupulus semis in forma Pilularum vel cum liquore quodam solutum.

Nota: Hyosciamus tanquam violentissimum Narcoticum mihi semper fuit suspectus, ob pessimos, quos in usu ejus animadverti, effectus; quâ de re Laudanum hoc Hyosciamo carere consultum esse duxi.

LAUDANUM CÆSAREUM SINE OPIO.

℞. Auri sclopetici ritè per præcipitationem parati, vel ejus loco
Croci

Croci noſtri Solis unciam ſemis,
ſui Cucurbitæ parvæ immiſſo ſuper-
affundatur,
Tincturæ n. Antimonii *Appendice*
n. ad *Animadverſionibus pag. 84.*
edoctæ uncia una,
fiat Digeſtio aliquot dierum ſpatio in
cineribus, ac tandem fixatio, humidi-
tate appoſito capitello parvo leniter
prius abſtracta: reſiduo pulveri porrò
tantundem
Tincturæ Antimonii
ſuperaffundatur & uti antea in cineri-
ribus digerendo & tandem humidita-
tem leniter abſtrahendo, nonnihil fi-
gatur.
Huic Auro eſſentificato
inſtilla
Olei Cinamomi optimi & non adul-
terati drachmas duas,
diù multumque in mortario vitreo ſub-
igendo & terendo, anteq. reliqua adji-
ciantur & immiſceantur ingredientia,
utpotè
Extracti Ligni Aloës ſeu Reſinæ e-
jus juxta n. deſcript. parati uncia
ſemis,
prius cum
Sem. Citri excortic. drachmis tribus
probè ſubacti,
Extracti Croci Auſtriaci drachmæ
duæ,
Ambræ gryſeæ opt. drachma una
ſemis, vel duæ,
prius cum
Sem. Citri etiam excort. drach. ſemis,
probè ſubactæ
Moſch. opt. Oriental. drachm. ſemis
cum ſuffi. q.
Aquæ Flor. Arantiorum ad pultis
formam ſoluti &
Eſſentiæ Citri Sacchar. n. uncia una
permiſtorum,
Ol. Nucis Moſchat. expreſſi drachm.
una ſemis,
cum
Eſſentia Arantiorum Sacch. n. drach.
ſex,
etiam permiſti,
Magiſt. ſolub. n. Perlarum Oriental.
Coralliorum ana
drachm. tres,
Mellis noſtr. Citrati quant. ſuffic. pro
Maſſa efformanda,

fiatque Laudanum non ſatis laudan-
dum: nec diffido, quin omnes, qui
arte componendi ac præparandi Medi-
camenta imbuti, ſuum huic Medica-
mento ſint contributuri calculum. *In
omnibus Infirmitatibus Cordis & Cere-
bri, ubi confortationis neceſſitas id
poſtulat, longè eſt ſaluberrimum.*

Nota: Si quis particulam Laudani
hujus opiatam reddere voluerit, addito
nempè *Opii Extracto* pondere propor-
tionevè competente, illi liberum erit.
Ego quidem *ſine Opio* iſtud proſtare
conſultius eſſe duxi, ut & in iis, ut-
plurimum ſoporiferis Affectibus, qui-
bus *Opium* inimicum, & adhiberi, uſui-
que eſſe poſſit. Similem ferè huic Lau-
dano noſtro Medicinam Regiam in
Appendice ad *Pharmacopœiam Regiam*
priorem appoſui, quæ, licet non mul-
tum diſcrepet ab hoc præmiſſo Lauda-
no Cæſareo, nihilo tamen minus, ne
legitima ejus eaque pulcherrima de-
ſcriptio unà cum illa *Appendice*, quæ

majori ſui parte huic *Pharmacopœiæ Regiæ* locupletatæ inſerta eſt, peſſum eat & pereat, hîc loci denuò adſcribere haud piguit.

ESSENTIA OPII LIQUIDA ANODINA.

℞. Opii Thebaici opt. unciam unam, quod teſſellatim conſciſſum ſolvatur in calore leni

Aquæ Cinamom. cum Vino ſtillat. libr. unâ ſemis,

Solutio filtretur per Chartam, & cum

Salis Tartari albi unciâ unâ,

pededentim injectâ præcipitetur, ac die unâ vel alterâ poſt digerantur, & porrò filtrentur, Eſſentiæ filtratæ denuò adde

Salis Armen. cum Chalybe ſublimati drachmas duas ſemis,

Extracti Croci opt. drachm. ſemis,

Eſſentiæ liquid. Cortic Arantiorum, Citri ana unciam ſemis,

Digerantur in vitro benè clauſo leniſſimo calore, per triduum, filtretur denuò eſſentia, & uſui ſervetur.

Hanc Opii Eſſentiam Anodinam & Antifebrilem inter ſecretiora habui: Nullam enim reperies exactionem huusque Opii præparationem, aut correctionem, quâ narcoſis Opii violenta & maligna verè temperetur, ut exindè benignum & celebre evadat medicamen, plurimis morbis ſecurè opponendum, quod occaſione præmiſſorum Laudanorum heîc pro Coronide hujus Claſſis, Tibi L. B. ſincerè communicare volui, quo fruere, & ad ſanitatem proximi Tui adhibe, cum ſummâ tamen ſemper prudentiâ, quemadmodum expertum decet Medicum, omni temeritate liberum.

Præſtat in Febribus Tertianis & Quartanis horâ una vel altera ante Paroxyſmum propinanda: Item in Epilepſia tùm infantum tùm adultorum, doloribus Colicis, Dyſenteria & fluxibus alvi immoderatis, cum emolumento exhibetur, drachma una ad drachmas duas & tres, in vehiculis convenientibus

Cœterum, plura addere huic Claſſi Extracta ſuperfluum exiſtimavi: Accepiſti enim L. B. hîc profectò ea, quibus nî fallor abundè Tibi ſatisfactum ipſemet confiteberis: ſi tamen ex ſimplicium ordine adhuc neceſſaria quædam putes, eorum præparationes ex præmiſſis facillimum erit colligere, quam ob rem huic quoque Septimæ Claſſi manum imponens ultimam, ad ipſam octavam cum DEO pro-

gredior.

PHARMA-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS OCTAVA, DECOCTORUM STRUCTURAM EXPONENS.

DEcocta in Pharmacopoliis, & Praxi Medica in frequenti sunt usu: eo autem nomine in hac Classe varia occurrunt: Et primò quidem species diversæ grosso modo incisæ Decocta appellantur, ex Radicibus, Herbis, Floribus, Fructibus &c. quæ species jam tum paratæ ad Decoctiones futuras in promptu prostare solent, è quibus ex tempore illæ parari queant. Deinde Decocta propriè, ex præfatis speciebus, cum Aqua, Vino, Sero Lactis &c. jam tum parata: Item Apozemata, Infusiones, Vina Medicata, Clareta & similia sub hoc titulo comprehenduntur, quæ sola vel per se, usui Medico inserviunt, vel saltem vehiculi loco ad pharmaca alia dextrè dissolvenda & propinanda adsunt. Quòd autem locum in Medicina & Officinis Pharmacevticis invenerint, id ideò factum est, ut virtutes & ipsæ quasi Essentiæ è rebus crudis

atq; crassis per Menstrua extrahentia, sive Aqua simplex, aut destillata, sive Vinum, sive Serum Lactis sit, vel aliqui alii Liquores, eliciantur & evocentur, ne cruda planè infirmis infundantur simplicia, in largâ insuper dosi, ingrata, ac tarda prorsus in Operationibus suis Ventriculum potius aggravent, quàm ut subigi facilè vel in actum ipsa deduci possint: per Decoctiones verò illa veluti extracta ac præparata, tandemq; debiliori stomacho immissa, facilius subigi, & ad effectum promoveri, possunt. Quod autem compositiones eorum ac præparationes concernit, in iis, etiamsi paratu facillimæ videantur, observandum tamen est, atq; sedulò curandum, ut ea saltem simplicia Decoctionibus ejusmodi destinentur, quæ sine virium suarum jacturâ aut exhalatione, coctionem sustinere valeant, aut paulò artificiosiori quàm communi modo (in Alembico scilicet vitreo suo capitello munito, ut spirituosum illud, quod ebulliendo transit, excipi, residuoque tandem affundi, & reduniri possit) Decoctiones nonnullas aggrediantur, tritumque illud Axioma pro norma semper sit: non quodlibet ex quolibet fieri; adeoq; nec quævis simplicia simplici Decoctioni aptæ esse. Quare pro majori dilucidatione hâc, facient ea, quæ in Animadversionibus n. ad Decoctum Carminativum & super alia adhuc studiosè annotavimus; unde, quæ hic fusius exponenda essent, ex illis satis clarè eluceſcent. De reliquo plura in ipsis subsequentium Decoctionum compositionibus & præparationibus studiosus Lector animadvertet, quorum describendorum copiam in me suscipiam, eo, qui sequitur, ordine.

DECOCTUM APERITIVUM
Tempore Verno & Æstivo.

℞. Olei Tartari per deliquium facti libras duas,
à quo destillando abstrahantur
Vini albi boni libræ sex: vel
ejus loco
(si vinum ob phlogosin Viscerum suspectum foret)
Aquæ Cherefolii sine addit. stillat. tantundem.
ad totalem siccitatem Salis Tartari (quod Sal Tartari denuò calcinandum & ad alios usus aptandum est) liquori vero prolecto immergantur
Radic. recent. Apii uncia semis,
Cichorii sylv. unc. duæ
Acetosæ,
Fœniculi,
Pimpinellæ ana uncia una semis,
Rubiæ Tinctor. unc. una
Herbar. recent. Hepaticæ nobilis,
Agrimoniæ,
Chamædryos,
Cichorii sylvestr.
Endiviæ,
Scolopendrii,
Nasturtii hort.
Cherefolii an. uncia una semis,
Flor. Rosarum rubr. recent, unciæ duæ,
Sem. Nasturtii,

Sem.

Sem. Urticæ,
Fœniculi, an. uncia ſemis,
Cremoris Tartari uncia una,
Santali rubri,
Cinamomi optimi acuti ana unc. ſemis

Factâ maceratione brevi, fiat in Alembico vitreo, ſeu capitello munito, (ut id, quod bulliendo tranſit, licet tantillum ſit, liquori colato reaffundi poſſit) una vel altera ebullitio, dùm refrixerint, colentur, exprimanturque ſpecies fortiter; Decoctum hoc colatum additis

Sacchari Canarii albi unciis ſex,
cum alb. ovorum probè clarificetur, ſuper addendo
Spiritus Vitrioli vel Salis q. ſ.
pro grato ſapore,
fiatque Decoctum & potus jucundus, *ad Hepatis, aliorumque Viſcerum obſtructorum reſerationem efficax: Doſis unciæ tres vel quatuor, bis, tervè de die ſumendo.*

SPECIES PRO DECOCTO APERITIVO HEPATICO ET Splenetico Tempore Hyemali.

℞. Radic. Apii unciam ſemis,
Acetoſæ unciam unam,
Cichorii ſylv. uncias duas,
Fœniculi,
Rubiæ Tinctorum,
Pimpinellæ,
Caryophyllatæ ana unciam unam ſemis,
Aſari drachmas ſex, vel unciam unam,
Herb. Agrimoniæ,
Cichorii ſylveſtr.
Cherefolii,
Hederæ terreſtris
Scolopendr.
Ceterach,
Naſturt. hort ana unc. unam,
Flor. Roſarum rub. unc. unam ſemis,
Santali rubri,
Sem. Naſturtii,
Fœniculi, ana drachm. ſex,
Cremoris Tartari, ſeu Tartari albi Veneti, unc. unam ſemis.

Inciſa & contuſa craſſiuſculè uſui reponantur, è quibus tempore hyberno, urgente neceſſitate Decoctiones parandæ, ſaccharo edulcorandæ; nec non Spiritibus Salis vel Vitrioli acuendæ ſunt. Vires & doſis ex ſuperiori patent.

DECOCTUM SEU GALREDA AUT GELATINA CAPONIS, pro Phthiſicis & Maraſmo conſumptis.

℞. Caponem recentem more ſolito mactatum,
(non crudeliter, ne, juxta Scripturam, creaturæ innocentes hominum crudelitatem gemebundè deteſtari neceſſum habeant: Exiſtimo enim, majores virtutes ab animali innocente ſimpliciter & repentè mactato ſperari poſſe, quàm in iram & odium ac quaſi in rabiem prius concitato) quem à plumis & interaneis repurgatum & eviſceratum conſcinde in fruſtula minutiſſima, oſſiculis omnibus etiam conquaſſatis, cui poſtmodum adde

Cancros fluviatiles recent. conquaſſatos Numero xx.

Pulmonis vituli recenter mactati dimidiam partem,

item,

Perdicem etiam recenter mactatam & in fruſtula parva diſſectam & conquaſſatam, unam.

Cuncta hæc immittantur in lagenam ſtanneam amplam, ut tertia vel dimidia pars vacua maneat. Hiſce autem carnibus dictis ſtratum veluti ſuper ſtratum immiſceantur ſequentia non minus conciſa ſcilicet

Radic. Ireos Florent. drachmæ ſex,
Enulæ campanæ recentis,
Symphyti majoris recent. ana uncica una ſemis,
Maceris drachmæ tres,
Croc. opt. Orient. vel Auſtr. drachm. una.

Porrò his omnibus, lagenæ immiſſis, ſuperinfundantur,

Succi Tuſſilaginis recent. expreſſi & depurati unciæ octo,

vel ſi conſultius videtur, loco *ſucci Tuſſilaginis*, *ſuccus Sempervivi*, *Hyſſopi*, *Veronicæ*, *vel alius aliquis conveniens liquor*, aut *Vinum Cydoniorum* ſubſtituatur; claudatur poſteà lagena proprio ſuo operculo cochleato, ac inſuper etiam veſicâ; deinde immergatur illa ultra medietatem ſui in Balneum Mariæ, vel aquam, coquendo continuò ad horas ſex; abſolutâ Decoctione, aperiatur lagena, contentaque excutiantur, ad ſacculum linteum, & prælo ſubjiciantur; *expreſſus liquor ſale* nonnihil condiendus, & in frigidum collocetur locum, qui, *in gelatinam concretus delicatiſſimam ægrotantibus Phthiſicis ſummo cum ſucceſſu propinari poteſt*, *in juſculis hordeaceis*, *Panatellis*, *Pulpis Amygdalinis*, *aliisque ſimilibus ferculis*. Hæc *Gelatina* majores ſanè habebit virtutes, quàm *Aqua Caponis*, vel etiam *Aqua ex hepate & pulmonibus Vituli deſtillata*, cum virtutes omnes illorum in reſiduo maneant, ac parum, quod operæ pretium eſſet aſſervare, vapore teneus deſtillando illa per Alembicum tranſeat. Conſulantur *Animadverſiones* noſtræ ſuper *Aquam Caponis & Balſamum Embryonum*, ubi plura hâc de re reperientur.

SPECIES DECOCTI CARMINATIVI.

℞ Radic. Liquiritiæ raſæ unc. unam,
Cichorii ſylv. unciam unam ſemis,
Enulæ Campanæ,
Calami aromatici ana drach. ſex,
Galangæ,
Ireos Florent. ana unc. ſemis,
Herb. Meliſſæ,
Menthæ,
Rorismarini an. manip. duos,
Flor. Chamillæ Romanæ manip. duos ſemis,
Geniſtæ manipulum unum,
Sem. Aniſi,
Fœniculi,
Dauci,
Carui,
Coriandri,

Aneth

Anethi ana unciam ſemis,
Baccarum Lauri unciam unam,
Cortic. Arantiorum,
Citri ana recent. ſiccat. drach. ſex.

Craſſiuſculè contuſa & conſciſſa, reponantur uſui, tùm pro interno, Decoctiones ex iis conficiendo, easque ultimò aromatizando Cinamomo, Aniſo, Fœniculo, ac Syrupo quodam appropriato; vel Saccharo Citrato edulcorando, tùm pro Clyſteribus gutturi inferiori injiciendis.

Porrò, in quemcunque finem ex hiſce ſpeciebus Decoctiones ſint conficiendæ, ſuadeo, ne in aperto fiant vaſe, niſi velis virtutes earum Carminativas inter initia ſtatim Coctionis in auras inutiliter pellere, relictis partibus terreſtrioribus virtute carminativa maximâ ex parte deſtitutis: quare vel in Alembico vitreo & arena, aut balneo n. vaporoſo inſtituantur, ut ea, quæ paucis etiam ebullitionibus ſursùm petit aquoſitas, virtute carminativa ſpecierum uberrimè imbuta Alembico & præpoſito recipiente vitro excepta, reſiduo decocto reſtitui poſſit. Quod ſi verò juſcula Carminativa ex iis conficere animus ſit, illa ſimiliter non ſunt coquenda, ſed ſpecies dictæ illis ſaltem per noctem infundendæ. Vires & doſis cuicunque Medico experto patebunt.

DECOCTUM VEL VINUM CARMINATIVUM CONTRA FLATUS.

℞. Vini albi boni libras ſex.
Ferveſiat in olla benè cooperta, cui quamprimum incipit bullire injiciantur
Cortic. Arantiorum recent. & extim. duorum vel trium pomorum Limon. recent. & extim. unius pomi,
Rad. Cichor. Sylveſtr. unciæ tres,
Cinamomi opt. ſaltem inciſi drach. ſex:
Factâ unicâ ebullitione ſuperinjiciantur etiam
Sacchari Canarii albi unciæ quatuor vel quinque,
& ſtatim removeantur ab igne, cùm verò refrixerint, vaſe probè tecto & clauſo, coletur vinum per linteolum aut pannum purum, alieno odore vel ſapore non infectum, fiatque potus jucundus. *Cujus uſus eſt, ut ii, qui flatibus torquentur, tum in prandio, tùm etiam in cœna primum de illo hauſtum accipiant: Confortat nimirum Ventriculum & Hepar, Inteſtina ita roborat, ut ſeipſa juvare flatus, q. expellere queant.*

DECOCTUM CONTRA CALCULUM NEPHRITICUM.

℞. Ligni Nephritici unciam ſemis,
Rad. Petroſelini recent. cum toto uncias tres vel quatuor,
Cicerum rubeorum parùm confractorum uncias tres,
Granorum Alkekengi unciam ſem.
Tartari albi Veneti, vel Cremoris Tartari unciam ſemis.
Inciſa nonnihil quæ incidenda ſunt, co-

quantur terreo in vaſe cum Aq. ſimpl. libris ſeptem, ad remanentiam librarum ſex, ſub finem decoctionis injiciendo

Cinamomi acuti unciam ſemis,
Sacchari Canarii albi uncias quatuor,
Succi Limoniorum quatuor pomorum recenter expreſſi,

ab igne protinus remoto, cum refrixerit, coletur ſæpius, fiatque potus jucundus, *in expellendo ſabulo & calculo præſtans.*

SPECIES DECOCTI CONTRA CALCULUM.

℞. Radic. Liquiritiæ raſæ,
Ireos Flor an. unc. unam ſem.
Aſparagi,
Apii ana unciam unam,
Ononidis uncias duas,
Petroſelini uncias tres,
Herb. Rutæ murariæ manip. tres,
Anethi manip. unum.
Baccar. Juniperi uncias duas,
Alkekengi unc. unam ſemis,
Semin. Dauci,
Naſturtii,
Thlaſpios,
Urticæ,
Fœniculi ana unc. unam,
Milii Solis drachm. ſex,
Cicerum rubeor. confract. unc. tres,
Ligni Nephritici unciam unam,
Tartari albi Venet. ſeu Cremoris Tartari unciam unam ſemis.

Inciſa & contuſa craſſiuſculè ſerventur pro uſu. Ex illis vel Decocta, ſaccharo ultimò edulcoranda & aromatizanda, vel juſcula veluti alterantia ex tempore confici poſſunt. *Pellunt calculum & ſabuloſam materiam in renibus & veſica contentam; Menſes retentos promovent, & multa heterogenea unà cum urina educunt.*

DECOCTUM CONTRA DYSENTERIAM.

℞. Conſerv. Roſar. rubr. antiquæ unc. tres,
Papaveris errat. unc. duas,
Santali rubri,
Rad. Tormentillæ ana unc ſemis,
Cortic. Arantiorum recent. extim.
Limonior. recent. & extim. ana drachmas tres,
Granorum Maſtichis drachm ſem.

His inciſis quæ incidenda ſunt, ac oſſæ vitreatæ immiſſis, ſuperaffundantur Aq. ferventis & bullientis libræ octo, Vaſe benè cooperto refrigerari permittito, fiat poſt colatura ſæpius repetita pro Potu. *In Dyſenteria, Diarrhœa immoderata, Lienteria, Fluxu hepatico, & ſimilibus Affectibus ſummo cum fructu offerendo.*

SPECIES DECOCTI AD DYSENTERIAM.

℞. Rad. Liquiritiæ unciam unam,
Ireos Flor. unc. unam ſemis,
Cichor. Sylveſtr. uncias duas,
Tormentillæ,
Biſtortæ ana drachm. ſex,
Acori unciam unam,
Flor. Roſar. rubear. unc. unam ſemis,
Balauſtior. unciam unam,
Papaver. erratic. unc. unã ſem.

Capit.

Capit. Papav. albi cum seminib. num. v.
Baccarum Myrtillorum unc. duas,
Santali rubri unciam unam semis,
Ligni Sassafras unciam unam,
Cortic. recent. Arantiorum extim. Citri recent. & extim. ana drachm. sex,
Nuc. Moschat. unciam unam.

Incisa & contusa crassiusculè serventur ad usum. *Præstantes in Affectibus supradictis Dysentericis, Fluxu hepatico, Diarrhœa immoderata, ex quibus vel decocta vel jusculà parari possunt, infirmis & salutariter propinari.*

DECOCTUM HEPATICUM.

℞. Seri lactis caprini recenter facti & depurati libras quatuor vel quinque, cui immergantur,
Tamarindor. recent.
Radic. recent. Cichor. sylvestr.
Herb. recent. Cichor. sylvest. Endiviæ, Hepaticæ nobil. ana uncia una,
Flor. Rosar. recent. uncia una semis,
Santali rubri drachm. tres,
Cremoris Tartari uncia semis.

Factâ macerat ione horis aliquot, ac unica saltem ebullitione (omnia tamen in vase terreo) fiat Colatura cum expressione, expressum probè clarificetur, superaddendo

Syrup. de Papav. errat. uncias quatuor,
Spirit. Vitrioli q.s. pro gratissimo sapore,
Essent. Citri Sacchar. ex recent. Cortic. paratæ drachm. sex.

fiat Decoctum aut Tinctura hepatica rubicunda & jucunda sapore ac odore: *Quæ insignes obtinet vires Hepar calidum refrigerandi, obstructum reserandi, & debilitatum confortandi, singulis matutinis ac vespertinis horis, uncias tres vel quatuor sumendo.*

Nota: Quòd cum tempore Autumnali & Hyemali *recentes Herbæ & Radices* in promptu haberi nequeant, idcircò aliud Decoctum hepaticum quocunque tempore paratu facile addo, nimirum:

℞. Seri lactis caprini recenter facti & depurati libras quatuor vel quinque,
cui immergantur, dum adhuc fervet
Tamarindorum recent. unc. una semis,
Conf. Rosar. rubr. recent. unciæ tres,
Cichorii sylvestris,
Hepaticæ nobilis,
Acredinis Citri,
Papaveris Erratici an. unciæ duæ, vel saltem uncia una semis:

factâ digestione per diem vel noctem loco calido, coletur: Colaturæ filtratæ adde

Spir. Vitrioli q.s. pro grato sapore,

Fiat potus gratus & præstans *pro Hepate refrigerando & confortando.*

SPECIES PRO DECOCTO FORESTI, CORRECTÆ.

℞. Radic. Liquiritiæ unciam unam semis,

Petroſelini,
Fœniculi ana uncias duas,
Ireos Florent. unciam unam ſemis,
Florum Malvæ,
Biſmalvæ ana drachm. ſex,
Semin. quatuor frigid. majorum excortic. an. drachm. quinque.
Fœniculi,
Saxifragiæ an. drachm. ſex,
Cicerum rubr. confractor. unc. ſex,
Sebeſten,
Ficuum ana Num. xxx.
Hordei mund. & prius loti unc. tres.

Inciſa & contuſa craſſiuſculè ſerventur pro uſu, *ad dolores ex Calculo leniendos; decocta ex iis paranda, quæ abſtergunt, leniunt, calculumque pellunt, ac urinam promovent.*

SPECIES DECOCTI FLORUM ET FRUCTUUM PECTORALIS.

℞. Radic. Liquiritiæ unciam unam ſemis,
Enulæ Campanæ,
Ireos Florent.
Pimpinellæ ana uncias duas,
Symphyti major. unciam unam,
Herbar. Hyſſopi,
Hederæ terreſtris,
Conſolid. Saracen.
Veronicæ,
Pulmonariæ maculoſæ ana manip. duos,
Flor. Roſar. rubrar.
Papaveris erratici,
Borraginis,
Bugloſſæ,
Violarum Martial. an. manip. unum ſemis,
Dactylorum,
Ficuum pingu. ana numero xx.
Jujubarum num. xxx.
Paſſular. major. exacinat. uncias quatuor,
Siliquarum dulcium uncias tres,
Sem. Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam;

Craſſiuſculè inciſa & contuſa ſerventur pro uſu; è quibus vel Decocta vel juſcula pectoralia confici poſſunt.

DECOCTUM HYDRAGOGUM.

℞. Olei Tartari per deliquium facti libras duas,
Vini albi generoſi libras quatuor,

abſtrahatur deſtillando in Alembico vitreo tota humiditas ad ſiccitatem Salis Tartari, proboſcidi Alembici immiſſis

Cinamomi acuti,
Cortic. Arantiorum recent ana uncia ſemis,

Huic vino jam deſtillato lixiviali immergantur

Rad. recent. Leviſtici in taleolos conſciſſarum unciæ octo,
Cichorii ſylveſtr. uncia una ſemis.

Factâ maceratione in Alembico vitreo capitello ſuo munito per diem unum, deinde ebulliant ad horam circiter mediam, excipiendo humiditatem, quæ bulliendo tranſit, in vitrum præpoſitum recipiens, ut tandem reſiduo colato reaſ-

to reaffundi poſſit; refrigeratis poſtea omnibus, fiat colatura & filtrato adde Eſſent. Arantiorum Sacchar.
Citri Sacchar. ana ex recent. Corticib. paratæ uncias duas,
fiat potus gratus.

Præſtantiſſimus in omnibus Hydropis ſpeciebus, præſertim in Tympanite, de quo infirmus, præmiſſis tamen præmittendis, ſingulis diebus ter quaterve uncias duas circiter bibat.

SPECIES DECOCTI, AD MENS. MULIEBR. OBSTRUCTIONES.

℞. Radic. Aſparagi,
Apii,
Graminis,
Pimpinellæ ana uncias duas,
Calami aromat.
Ononidis,
Liquiritiæ ana unc. unam ſem.
Petroſelini uncias duas,
Raphani ſylveſtr. unc. unam,
Herb. Roriſmarini,
Artemiſiæ,
Meliſſæ,
Pulegii,
Sabinæ, ana manip. duos.
Flor. Malvæ hortenſ. rub. manip. duos ſemis,
Boleti Cervini unciam unam,
Flavedinis ex Liliis albis, anthoræ dictæ drachm. ſex,
Caſſiæ ligneæ veræ unc. duas ſem.
Cinamomi acuti uncias duas,
Maceris unciam unam,
Croci optimi drachmas duas,
Boracis Venetæ unciam unam ſemis.
Inciſa & contuſa craſſiuſculè reponantur pro uſu. Ex his ſpeciebus juſcula vel vina reſolventia ſolâ infuſione in vaſe benè tecto conficere præſtat; ſi verò illa per coctionem conficere animus ſit, illa in Alembico vitreo ſuo capitello munito paretur, ut ea, quæ bulliendo tranſit magis ſpirituoſa humiditas, relicto reaffundi poſſit.

Præſtantes cæterum ſunt ſpecies in reſerandis Menſibus retentis, pellendo fœtu, urinâ & calculo.

DECOCTUM ANTIPHTHISICUM.

℞. Rad. recent. Cichorii ſylv. unc. duas,
Enulæ unciam unam ſemis,
Symphyt. major. unciam unam,
Pimpinellæ,
Saniculæ an. unc. unam ſemis,
Ireos Flor.
Liquiririæ ana unciam unam,
Herb. recent. Conſolidæ Sarac.
Veronicæ,
Hederæ terreſtr.
Milleſolii,
Naſturtii aquar.
Farfaræ,
Pulmonar. macul. ana manip. unum ſem.
Flor. recent. Papaveris erratic.
Roſar. rub. an. manip. duos.

Inciſa

Inciſa coquantur in libris decem Seri Lactis Caprini, vel Vaccini, recenter facti, & probè depurati, ad remanentiam librarum octo, fiat pòſt colatura cum forti expreſſione, colatum cum alb.ovi optimè clarificetur : clarificato vero Decocto adhuc ferventi injiciantur

Conſerv.Roſarum rubr.
Papaveris erratic.ana unciæ duæ,
Violarum Martialium unciæ quatuor,

cum refrixerint, denuò colentur, addaturque

Mellis puri virginei nunq.cocti libra una,
Spiritus Sulphuris ſcrup. ſemis,
M fiat Potus gratus.

In affectibus Pectoris, Exulcerationibus Pulmonum, eorumq; Vulneribus & Vomica, nec non in Sputo ſanguinis ſalutare remedium eſt ; Cujus ſingulis horis matutinis & veſpertinis unciæ ſex calidè & interdiu tantundem potandæ.

DECOCTUM ALIUD ANTIPHTHISICUM.

℞. Seri Lactis Caprini depurati libras tres,
in hoc ebulliant parum
Limacum recent. ſale benè lotor. & parum confractor. num. xx.
Radic. Enulæ,
Ireos Flor. ana uncia una,
Herbar.recent.Roriſmar.manip.duo.

Factâ unâ atque alterâ ebullitione fiat colatura,cui adhuc ferventi injiciantur

Conſ. Roſar. rubrarum,
Papaveris erratici,
Veronicæ,
Farfaræ,
Violar. Martial.ana unc.duæ :

Factâ digeſtione per noctem, coletur & clarificetur,addaturque aliquot guttulæ ſaltem Spiritus Sulphuris. Fiatque Decoctum Pectorale & Anti-Phthiſicum præſtans.

ALIUD AD IDEM.

℞. Aquæ Oculorum Populi arboris
Summitat. Abietis arboris ana tempore veris ex balneo n. vaporoſo ſine addit. ſtill. libras duas,
Quibus immergantur
Conſerv. Roſar. rub.
Veronicæ,
Farfaræ,
Violar. Martial.
Papav. erratic. ana unciæ tres.

Factâ maceratione calido in loco per diem, fiat colatura repetita, ut fiat liquor clarus rubicundus, ad uſus ſupradictos efficax.

DECOCTUM SPLENETICUM ET ANTISCORBUTICUM.

℞. Seri Lactis caprini recenter facti & probè depur. libras quinque,
Cui immergantur
Rad.Cichorii ſylveſtr.recent. unciæ duæ,
Pimpinellæ recent. uncia una,
ſemis,

Herb.

Herb. recent. Cochleariæ,
Naſturtii hortenſis,
Chærefolii, ana unciæ duæ,
Capparum aceto conditor. unciæ duæ ſemis,
Tamarindor. recent. uncia una,
Cremoris Tartari drachmæ duæ:
Factâ digeſtione & unicâ ebullitione fiat colatura & clarificatio, addendo
Sacchari albiſſimi Canarii uncias quatuor,
Spir. Salis Armen. acidi Chalybeati q.ſ. pro grato ſapore.
fiat Decoctum clarum.

Quod in Affectibus Hypochondriacis & Scorbuticis emolumento eſt: reſerat obſtructiones Lienis, & Scorbuto medetur.

DECOCTUM CONTRA SPUTUM SANGUINIS.

℞. Radic. Acetoſæ,
Bardanæ maj.
Papaver. erratic.
Pentaphyl i
Plantagin. min.
Tormentillæ ana unc. unam,
Cichorii ſylveſtr. unciam unam ſemis.
Herbar. Hederæ terreſtris,
Equiſeti,
Plantaginis min.
Portulacæ,
Sanguiſorbæ,
Virgæ aureæ ana manip. unum ſemis,
Flor. Roſarum rubearum,
Verbaſci ana manip. unum,
Papaveris erratici manip. unum ſemis,
Baccar. Myrtillorum unciam ſemis,
Capit. Papav. alb. cum ſeminibus numero V.
Ligni Santali rubri drachm. ſex,
Maſtiches el.
Olibani ana drachmas duas,
Inciſa & contuſa craſſiuſculè coquantur in Aq. ſimpl. ſ.q. ad remanentiam librarum ſex; Colaturæ clarificatæ, dum adhuc fervet, injiciantur
Conſerv. Roſar. rubr. unciæ tres,
Papav. erratic unciæ duæ,
Flor. Cichorii uncia una,
Spiritus Vitrioli gutt. xv. vel xx.
factaque digeſtione horis aliquot, denuò coletur, colaturæ adde
Syr. Corallini noſtr. uncias duas vel tres,
miſceantur pro Potu *ſanguinem Spuentibus & Dyſenteria laborantibus.*

EPITHEMA AD ERYSIPELATA ET ALIAS INFLAMMATIONES.

℞. Flor. Sambuci recenter ſiccatorum,
Roſar. albar. ana manip. tres,
Fol. Tuſſilaginis manip. duos,
Pul. Lithargyri,
Ceruſſæ ana uncias quatuor,
Olibani,
Maſtichis ana ſubtiliſs. trit. drachmas ſex,
coquantur in Vini albi & Aceti ex Vino ana libris duabus, Aquæ ſimplicis libra una, ad conſumptionem quartæ partis, coletur per linteum rarum, ut potior pars pulverum transfluat, fiatque in-

que inſtar Lactis virginis. *Eſt Epithema egregium, cunctis Inflammationibus externis, ad Gangrænam etiam inclinantibus, proficuum, quod linteolis deplicatis vel triplicatis in eo calidè madefactis ſæpius citò, tutò & ſecurè applicari poteſt.*

SERUM LACTIS LAXATIVUM.

℞. Seri Lactis recenter facti & depurati libras quatuor,

Huic ferventi adhuc immergantur

Fol. Senæ elect. uncia una,

Rhabarbari electi drachmæ ſex,

ambobus parùm conſciſſis & in ſacculo ligatis.

Tamarindorum recent. unc. una ſemis,

Roſarum rubearum drachmæ duæ,

Santali rubri drachma una ſemis,

Cinamomi optimi, drachmæ tres,

Cremoris Tartari ſeu Tartari Veneti albi uncia ſemis.

Factâ maceratione per noctem loco moderatè calido, manè, fiat colatura & filtratio, addendo

Sacchari Canarii albi uncias duas, vel uncias tres,

Aq. Flor. Arantiorum drachmas ſex,

fiat Serum Laxativum gratum.

Cujus unciæ tres pro doſi leniter alvum laxant, Phlogoſin Hepatis ac Dyſcraſian viſcerum contemperant ac corrigunt.

TINCTURA ROSARUM.

℞. Seri lactis recenter facti & depurati libras ſex,

huic ferventi & quaſi bullienti immergantur

Flor. Roſar. rubr. drachmæ ſex,

Tamarindor. recent. uncia una ſemis,

Spiritus Vitrioli ſcrupulus unus;

His, dum parumper à fervore remiſerint, adhuc tamen calida ſint, ſuperinjiciantur:

Conſerv. Roſar. rubr. recent. unciæ tres,

Papaveris erratic.

Violarum Mart. ana unc. una ſemis,

Factâ maceratione in loco calido per aliquot horas, & cum refrixerint colatur, & filtretur ſuperaddendo

Aq. Roſar. fragr. ſine addit. ſtillat. uncias tres,

fiatque Serum gratum & rubicundum; *In Inflammationibus internis, Hepatis intemperie corrigenda, & Pleuritide ſiſtendæ perutile.*

Nota: Quod Tinctura hæc & ſine *Sero Lactis*, cum *Aqua ſimpl. vel deſtillata appropriata* confici poſſit: *Tamarindi* pariter juxta ægrotantis vel ſumentis conſtitutionem & intentionem Medici, aut addi aut omitti poſſunt.

HYDRO-

HYDROMEL PURGANS.

℞. Fol. Senæ el. & ſine ſtipitib. unciam unam ſemis,
in petia ligatorum vel ſacculo incluſorum,
Tartari albi puri Venet. uncias ſemis,
Rad. Aſari drachm. duas,
Caryophyllorum ſcrup. unum,
Cinamomi opt. & acuti drachmas duas,
Coriandri drachm. ſemis.
Inciſa infundantur cum
Hydromellis ferventis libra una ſemis,
addendo
Liquoris ſeu olei Tartari per deliquium drachm. unam ſemis.

Fiat digeſtio per diem, ſacculum cum foliis Senæ quandoque exprimendo, poſtea coletur ſaltem ſæpius, aut filtretur, & ſervetur uſui. *Ejus Doſis unciæ tres circiter ſunto.*

VINUM HIPPOCRATICUM.

℞. Cinamomi acuti unciam unam,
Cardamomi min. drachmas duas,
Cayophyllorum drachmam unam,
Santali rubri drachmas duas.

His craſſiuſculè ſaltem conſciſſis, quibusdam parumper conquaſſatis, atque interea aſſervatis, accipe
Vini albi libras decem,
Sacchari Canarii albi uncias xij.
item album. ovorum num. ij.
Conquaſſata cum particula
Aquæ Cinamomi.

Collocentur ſuper ignem Carbonum recentem, in vaſe terreo, vel ſartagine ſtanno obducta, & quamprimùm incipit ſervefieri, injiciantur ſpecies ſuperiores Aromaticæ; factaque unicâ ebullitione tantum, ſtatim removeantur ab igne, & per Manicam Hippocratis aliquoties coletur Vinum.

CLARETUM SEU VINUM HIPPOCRATICUM ALIUD.

℞. Cinamomi acuti unciam unam ſemis,
Nuc. Moſchatar. drachmas duas ſemis,
Caryophyllorum drachmam unam ſemis,
Cardamomi min. drachmas duas,
Galangæ drachmam unam ſemis,
Cortic. Arantiorum,
Citri ana recent. extimorumque drachmas duas.

His inciſis & conquaſſatis interimque aſſervatis, accipe
Vini albi boni libras decem,
Sacchari albi libram unam vel uncias xv.

Album. Ovorum cum pauca Aq. Roſarum conquaſſat. num. duo.

Collocentur in ſartagine ſtanno obducta ſupra ignem recentem carbonum, ne diu ſuper illo hæreant, & quamprimum incipit fervefieri, ſuperinjiciantur

Species ſuperiores Aromaticæ,

Factaque protinus unâ atque altera ebullitione, ſtatim removeantur ab igne, & per Manicam Hippocratis puram, alieno odore non infectam, ſæpius colentur, ut fiat Vinum clarum, tàm guſtu quàm odore gratum. *Hæc vina Ventriculum (moderatè ſumpta) pariter ac Cerebrum confortant, facultates vitales fulciunt, & debili concoctioni opem ferunt.*

CLARETA ET POTUS HIPPOCRATICI PURGANTES præſcripti ſunt in Claſſe ſecunda, Syruporum Purgantium, quorſum ideoque Lectorem Benevolum ablego atque remitto, & finem huic quoque Claſſi impono.

(o)

PHARMA-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS NONA,

PULVERUM MEDICATORUM COMPOSITIONES EXHIBENS.

Classem de Pulveribus meritò quædam ad dilucidandam eorum Theoriam præcedere dignum & æquum foret, non sólum præcautionis loco, ne tanta rerum farrago ad pulverum compositionem admitteretur, sed etiam ut animo sibi soli reddito & attento, talia in unam Compositionem unirentur, quæ homogenea ac symbolica virtute ad unum eundemque scopum ac Indicationem collimarent, cujus contrarium magnū in Medicina Aphoniam suscitat. Verum cum hæc, quoad eorum componendi modum nimirum, sæpius inculcata sint, peritus vero Pharmacopœus in præparatione aut trituratione illorum, me etiam neque Duce, nec Consule facilè dispicere possit, quid expe-

diat, an simùl, an seorsim ingredientia comminuenda sint; Vulgaria ac nota non tracto, sed propriæ solertiæ committo: si quæ tamen forent abdita, illa notis illustrabo.

PULVIS SENÆ SOLUTIVUS GROSSUS.

℞. Fol. Senæ el. sine stipit. unciam unam,
conscindantur saltem forcipe crassiusculè, quibus addantur
Cremoris Tartari drachmæ duæ semis,
Pulv. Rad. Bryoniæ drachm. duæ,
Maceris grosso modo conquass. drachm. una,
misceantur, fiat pulvis grossus.

Hic Pulvis in substantia cum jusculo vel panatella assumi, aut quotiescunque volueris, cum Vino sive Aqua infundi potest, Infusum postmodum colatum usurpari in plurimis infirmitatibus, quibus purgatione aut saltem alvi apertione opus: sufficiet a. pro dosi scrupulus unus in substantia sumptus, vel drachma semis; pro Infusione verò, drachma una, drachma una semis, vel drachmæ duæ, si uncias tres vel quatuor Vini vel Aquæ, additis nonnullis guttulis Olei seu liquoris Tartari, affuderis.

PULVIS SOLUTIVUS TARTARISATUS.

℞. Tartari Vitriolati Crystallizati unciam unam,
Cremoris Tartari unciam semis,
Magisterii Gialappæ Amygdalis probè subacti scrupul. quatuor,
Pulv. Gialappæ Rad. unciam semis,
Maceris drachmam unam.
Misceantur; Fiat Pulvis omnium subtilis, servetur.

Est Cathartieum celebre ad omnes fere humores excrementitios expellendos, præsertim biliosos aut aquosos, à quorum copia hypochondria & universum nonnunquam corpus gravatum est; viscerum Obstructiones pariter solvit. Mirum cœterum, quàm parva dosi operetur, cum cathartico-rum minima huic pulveri insit quantitas; nihilominus in pondere pro una dosi, vix ultra drachmam semis vel scrupulos duos ascendere licet. Hoc tamen etiam expertus sum, quòd recenter paratus, sive mixtus, multò validius operetur, quàm si diutius asservetur. Qui igitur hoc pulvere uti voluerit, dosin quamlibet separatim commiscere curet, quæ sequens esse potest.

℞. Tartari Vitriolati scrupul. unum,
Cremoris Tartari scrupul. semis,
Magister. Gialapp. Amygd. probè subacti gr. tria vel quatuor,
Pulv. R. Gialapp. grana octo,
Maceris gr. tria vel quatuor.

PULVIS SOLUTIVUS DE TRIBUS.

℞. Fol. Senæ el. sine stipit. unciam unam,
Rhabarb. optimi

Radic.

Radic. Gialapp. ana unciam ſemis,
Maceris drachmam unam ſemis,
Cremoris Tartari drachm. tres.
Fiat omnium Pulvis.

Purgat pariter pituitam & bilem; ſuccumque Melancholicum, à drachma ſemis ad drachmam unam.

PULVIS ALIUS DE TRIBUS.

℞. Rhabarb. el. drachmas ſex,
Mechoacæ albæ,
Turbith gummoſi ana unciam ſemi,
Cremoris Tartari drachm. tres,
Macis drachmam unam ſemis.
Fiat omnium Pulvis purgans.

PULVIS SOLUTIVUS MAGISTRALIS.

℞. Rhabarb. el. drachmas ſex,
Rad. Mechoacæ albæ,
Gialappæ,
Aſari,
Turbith, ana unciam ſemis,
Cremoris Tartari drachm. ſex,
Cinamomi acuti,
Macis ana drachm. unam ſemis.
Fiat Pulvis ſubtilis.

Aduſtos & retorridos humores cum ſeroſa earum colluvie expurgat, à drachma ſemis ad drachmam unam exhibitus. Poterit tamen quælibet doſis, ſi volupe fuerit, nonnihil acui; accipiendo v. g. hujus Pulveris drachmam ſemis, Tartari Vitriolati gr. vj. & Magiſterii Gialapp. gr. iij, vel loco hujus Mag. Gummi de Peru.

PULVIS HYDRAGOGUS.

℞. Cremoris Tartari unciam unam,
Mechoacæ albæ,
Gialapp. ana drachmas ſex,
Sem. Ebuli unciam ſemis,
Gummi Gamandræ drachm. unam ſemis,
Nucis Moſchat. drachm. duas.
Fiat omnium Pulvis.

Hydropicis ac Veteri Ictero fœdatis opitulatur; namque Pituitam, bilem & aquoſas educit humiditates à drachm. ſemis, ad drachmam unam.

PULVIS HYDRAGOGUS ALIUS.

℞. Radic. Aſari,
Mechoacæ albæ,
Gialappæ,
Hermodactyl.
Calami aromatic. ana drach. duas,
Herb. Gratiolæ,
Soldanellæ ana drachm. duas ſemis.
Sem. Ebuli unciam ſemis,
Elaterii ſcrupulos duos,
Diagridii Roſati n. ſeu ſcammon. Roſati n. drach. unam ſemis,
Millepedum n. m. præparat. drach. unam ſemis,
Gummi Gamandræ drachmam unam,
Caryophyllorum,
Macis ana drachmam unam ſemis.
Fiat ex omnibus pulvis ſubtiliſſimus *cujus doſis drachma ſemis ad drachmam*

nam unam, singulis quaternis diebus in Hydrope exhibendus.

PULVIS COMITIS DE WARWICH, seu Cornachinus dictus.

HUjus pulveris præparationem superius in *Pharmacopœia Augustana pag. 212.* ejusdemque *Animadversionibus, pag. 226.* reperies. In cujus præparatione porrò de Antimonio *præparato notandum*, quod præparatio ejusdem non solum ritè & dextrè instituenda, sed & *præparatum ac Diaphoreticum Antimonium* non ad longum tempus sit asservandum: Tametsi enim per repetitam *Nitri* admixtionem & detonationem, (uti loquuntur Chymici,) *Antimonii Sulphur crudum & Emeticum violentum* potiori ex parte figatur, aut expellatur, redit tamen *Antimonium hoc* ad Genium ac feroces magis induit qualitates, ubi aëri commissum & expositum fuerit, aut diu asservatum: adeò quidem, ut parvâ dosi exhibitum, pro diaphoresi concilianda Cor potius afficiat, Cardialgias, Vomitus excessivos ac immites accersat, præsertim in Malignis Febribus propinatum, quorum non paucæ extant Tragœdiæ & funesta Catastrophe, me vel arbitro vel nonnunquam spectatore. Hortor proinde omnes, quibus Medicinam facere indultum est, ut cum eis talia dispensare proprio Marte concessum non sit, similes tamen eligant Magistros, quos scientia & conscientia instituit, ne sibi maculam & infamiam inurant, Artem verò, quæ omnium telis expositа est, profituant, cum nemo sit, qui Chymicos impetere non studeat, nihil tam invisum multis, quàm audire Spagyros.

Quodsi tamen L. B. Pulveres alios hunc Cornachinum æmulantes magis tamen quoad componendi rationem concinnos, exoptares, cum Diagridium in illo ipso pulvere Cornachino superet duæ reliqua Ingredientia in pondere, adeoque etiam in virtute operandi, ut omnes ejusdem operationes Diagridio, nequaquam vero Antimonio adscribenda aut Tartaro) en! Tibi communico sequentes.

PULVIS CATHARTICUS ANTIMONIALIS primus.

℞. Scammonii Sulphurati & postea cum Tinctura Rosarum per Spir. Vini & Spirit. Sulphuris parati, aliquoties insuccati seu imprægnati, tandemq; Amygdalis dulcibus probè subacti uncias duas,

Antimonii per trinam detonationem, cum tertia semper parte Nitri parati, & non edulcorati uncias tres,

Cremoris Tartari, cum Decocto Rad. Mechoacæ alb. ultimò soluti & crystallisati unciam unam semis.

Misce fiat Pulvis *Cathartico præstans in operationibus. Cujus Dosis scrupulus unus, drachma semis, ad scrupul. duos.*

PULVIS

PULVIS CATHARTICUS ANTIMONIALIS secundus.

℞. Tartari Antimoniati & Vitriolati in Mantiſſa Spagyrica edocti unciam unam,
Magiſterii Scammonii Amygd. probè ſubacti unciam ſemis,
Cremoris Tartari drachmas ſex.
Miſceantur in pulverem: *Cujus Doſis ſcrupulus ſemis, unus, ad drachmam ſemis, pro ſaburra humorum vitioſorum etiam per ſuperiora exturbanda.*

PULVIS CONTRA VERMES SEU LUMBRICOS.

℞. Sem. Sancti ſeu Cynæ unciam unam,
Corallinæ,
Mechoacæ albæ ana drachm. duas,
Mercurii dulcis ritè & dextrè parati drachmas duas ſemis,
Magiſterii Galappæ Amygdalis probè ſubacti drachmam unam,
Sem. Aniſi drachmam unam ſemis,
Sacchari albiſſimi unciam ſemis.
Fiat ex omnibus Pulvis,
In Vermibus & Lumbricis expellendis tùm puerorum tùm adultorum efficax, mediante doſi ſcrupuli unius, drachmæ ſemis, ad drachmam unam, in Lacte vel Mulſo exhibendus.

PULVIS ALIUS CONTRA VERMES.

℞. Sem. Cynæ unciam unam,
Corallinæ unciam ſemis,
Myrrhæ rubræ drachm. unam,
Mercurii dulcis legitimè parati unciam ſemis,
Raſuræ Cornu Cervi,
Turbith albi ana drachmas duas,
Sacchari albi unciam unam,
Macis drachmam unam.
Fiat Pulvis,
Cujus doſis drachma ſemis ad drachmam unam in vermibus expellendis.

PULVIS AD SUPPOSITORIA.

℞. Trochiſcorum Alhandal. drachmas duas,
Aloës Epaticæ drachm. tres,
Salis Gemmæ unciam ſemis vel drachm. ſex,
Ol. Ceræ ſtillat. drachmam ſemis,
Miſce, Fiat Pulvis.

ALIUS SINE ALOE.

℞. Fellis Tauri exſiccati drachm. ſex,
Trochiſcor. Alhandal. drachm. tres,
Croci Metallorum drachmas duas,
Salis Gemmæ unciam unam,
Fiat omnium Pulvis.

Ex hoc pulvere, additis Farinæ hordei uncia circiter una, vitell. ovor. num. ij. & Fellis Tauri recentis q. ſ. ac Ol. ſtill. Ceræ drachma unâ, Suppoſitoria ſicca formari poſſunt ſ. a.

Finitis Purgantibus & Catharticis Pulveribus, ſequuntur hos pulveres etiam Bezoardici, cum aliis ad diverſas & varias humani corporis Affectiones morboſas directis; Et ſunt tales:

PULVIS CONTRA ABORTUM.

℞. Granorum Kermes legitim. unciam semis,
Margaritar. Orient. drachmas duas,
Coralliorum rubr. præpar.
Lapid. Corneoli præpar. ana drachmas tres,
Ligni Aloës gum. unciam semis,
Nucis Moschatæ drachmas sex,
Santali rubri,
Radic. Tormentillæ, ana drachmas tres,
Ireos Florent.
Cyperi rotundi,
Succini albi præpar. ana drachmas duas,
Essentiæ Citri Saccharinæ
Arantior. sacchar. ana ex recentibus Cortic. par. unciam unam,
Ol. Nuc. Moschat. expres. drachmam unam,
Fiat omnium Pulvis.

Datur gravidis sæpius, ubi Abortus timetur, in jusculo horis matutinis & vespertinis à drachma semis ad drachmam unam.

PULVIS ALEXIPHARMACUS SEU ANTIPESTILENTIALIS.

℞. Rad. Contrajervæ drachmas sex,
Zedoariæ unciam unam,
Doronici veri drachm. sex,
Sem. Citri excorticati,
Rutæ,
Aquilegiæ ana drachm. duas,
Cortic. Arantiorum,
Citri ana extim. & recenter siccat. unciam semis,
Myrrhæ translucidæ,
Succini albi, ana drachm. tres,
Croci Austriaci drachm. duas,
Maceris drachm. unam semis.
Fiat omnium Pulvis subtilis: *qui adversus pestiferæ luis insultus efficax est, & contagiosis quibuslibet morbis adversatur. Dosis drachma semis ad drachmam unam.*

PULVIS ALEXIPHARMACUS SECUNDUS.

℞. Sulphuris crudi sed puri unc. unam,
Nitri cum succo Scordii soluti, & denuò crystallisati unciam unam semis,
Terræ Sigillatæ vel boli Armenæ n. m. paratæ unciam unam semis,
Myrrhæ rubræ translucidæ,
Succini albi præpar. ana unciam semis,
Croci Austriaci drachmas duas,
Nuc. Moschatar. unciam semis.
Misceantur, fiatque pulvis omnium subtilis: *in Febribus malignis & peste ipsa validus; à drachma semis ad drachmam unam pro sudore eliciendo.*

PULVIS ALEXIPHARMACUS TERTIUS, Communis.

℞. Rad. Angelicæ,
Imperatoriæ,
Contrajervæ,
Zedoariæ ana unciam semis,
Sem.

Sem. Citri exorticati,
Aquilegiæ ana drachmas duas,
Myrrhæ rubræ drachmas tres,
Terræ ſigillatæ n. m. paratæ,
Nitri cum ſucco Scordii ſoluti ac denuò cryſtallizati ana unciam ſemis,
Croci optim. drachm. unam ſemis,
Nucis Moſchatæ drachmas duas.

Fiat ex his omnibus Pulvis ſubtilis, cui imprimatur ſuccus oleaginoſus Corticum trium pomorum Limoniorum: ſervetur uſui.

Non minoribus cæteris hic pulvis pollet virtutibus Alexipharmacis. Febribus enim malignis, peſtiferis & contagioſis reſiſtit, earumq; inſultus reprimit.

PULVIS ASTHMATICUS.

℞. Rad. Aaronis cum vino exſiccat. & n. m. præparat. unciam unam ſemis,
Cremoris Tartari unciam ſemis,
Eſſentiæ Arantiorum ſaccharinæ ex recent. Corticib. parat. drachmas ſex,

Fiat ex omnibus Pulvis, pro uſu quotidiano.

PULVIS BEZOARDICUS PRIMUS.

℞. Bezoar Occidental. drachm. tres,
Unicornu veri Marini,
Unicornu foſſilis albiſs. ana drachm. ſex,
Boli Armeni ſeu Terræ Sigill. n. m. par. unciam unam,
Croci Auſtriaci drachmas duas,
Sem. Citri excorticati drachm. unam ſemis,
Nuc. Moſchat. drachmas duas.

His omnibus mixtis & in Pulverem redactis imprimatur ſuccus oleaginoſus quatuor Pomorum Limoniorum Corticum; & denuò per ſe in aëre exſiccentur: fiatque Pulvis Bezoardicus *præſtans in Febribus malignis & peſtilentialibus, à drachma ſemis, ad drachmam unam.*

PULVIS BEZOARDICUS SECUNDUS SOLARIS ET CORDIALIS.

℞. Croci noſtri Solis in Mantiſſa edocti drachm. duas,
Bezoardici mineralis n. m. legitimè & recenter parati unciam unam,

His mixtis & leniter invicem ſub tegula (vulgò Muffel) per horam unam calcinatis & ſpatula continuò commotis, adde, cùm refrixerint,

Ol. Stillat. Cinamomi drachm. ſemis, levigentur denuò hora una ſuper porphyrite lapide, tandem ſupperadde
Boli Armenæ n. m. parat. drach. ſex,
Croci opt. Auſtriaci drachmam unam ſemis,

quibus omnibus probè mixtis imprimatur ſuccus oleaginoſus Corticum trium vel quatuor pomorum Limoniorum, & leniter tandem ſiccata ſerventur pro uſu in vitro probè clauſo, *tanq. ſaluberrimum Alexipharmacum & Cordiale Medicamentum, cujus doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis, pro ſudore eliciendo.*

PULVIS BEZOARDICUS AUREUS.

Primò paretur Bezoardicum Solare hoc pacto:

℞. Auri puri per Antimonium purgati unciam ſemis,
ſolvatur in
Spiritus Salis optimi vel aq. Regis ſ. q.
porrò accipe
Butyri Antimonii unciam unam ſemis,
cui ſuperaffundatur in Alembico parvo
Spiritus Nitri legit. deſtill. q. ſ.
pro diſſolutione, quousque nimirum nulla ebullitio vel ſtrepitus ampliùs percipiatur; quo facto, conjungantur & commiſceantur hæ duæ ſolutiones Auri & Butyri Antimonii, ac in arena igne leni abſtrahantur ſpiritus ad ſiccitatem: Materia flava in fundo Cucurbitæ relicta excipiatur, inque mortario vitreo teratur, cui porrò cucurbitulæ vitreæ immiſſæ
Recentis Spiritus Nitri unciæ tres, vel quatuor,
ſuperaffundantur, factaque aliquali digeſtione, rurſus per arenam fortiter abſtrahantur. Hæc operatio, nimirum recentis Spiritus Nitri affuſio, ejusdemque abſtractio bis terve repetatur, materia relicta calcinetur leniter ad horas duas ſub tegula (unter der Muffel) uſuique reponatur.
Jam
℞. Bezoardici hujus aurei,
Unicornu foſſilis albiſſimi,
Bezoar occidental. ana unciam ſemis,
ſatque omnium pulvis ſubtiliſſimus, *cujus doſis drachma ſemis in peſte, morbisque contagioſis.*

Nota: Plures pulveres Bezoardici præſtantes deſcripti ſunt in *Animadverſionibus* n. ſuper *Cornu Cervi philoſophicum pag. 634.* Item pulveres Alexipharmaci Viperarum ſimplices & compoſiti pag. 289. & 290. *Animadverſ.* quæ cuncta huc referri poſſunt.

PULVIS CACHECTICUS.

℞. Vitrioli Martis ſeu Chalybis dextrè parati cum Spiritu Sulphuris & nonnihil ſupra fornacem ad albedinem calcinati unciam unam ſemis,
Magiſt. noſtr. ſolubil. Corallior. rubr. Matris perlarū, Oculorū Cancror. ana unciæ ſemis.
Cremoris Tartari unc. unam ſemis,
Elæoſacchari Cinamomi unc. unam,
Croci Auſtriaci drachmam unam ſemis.

Fiat omnium Pulvis in vitro cuſtodiendus.

In reſeratione Hypochondriorum Obſtructorum, in curanda Cachexia & depravatorum humorum colluvie praparanda, præſens eſt remedium; Leucophlegmatiam & morbum virgineū curat, pallorem & vitioſum colorem tollit; ſumendus in vehiculis appropriatis à drachma ſemis ad ſcrupulos duos.

PULVIS

PULVIS CONTRA CALCULUM.

℞. Rad. Liquiritiæ raſæ,
Doronici veri ana drachm. ſex,
Sem. Dauci,
Naſturtii,
Petroſelini,
Thlaſpios,
Urticæ,
Fœniculi ana drachm. duas,
Succini albi præparati,
Oculor. Cancror. præpar. an. drach. ſex,
Ligni Nephritici drachmas duas.

His omnibus mixtis, & in pulverem redactis inprimatur ſuccus oleaginoſus Corticum trium pomorum Arantiorum: ſervetur uſui.

Nephriticis & Calculoſis ad renum arenulas exturbandas præſtat, à drachma ſemis ad drachm. unam.

PULVIS ALIUS AD CALCULUM.

℞. Oculor. Cancror. præparatorum,
Succini albi præparati,
Cremoris Tartari an. unciam ſemis,
Lapid. Nephritici præpar. drach. tres,
Millepedum præpar. drachm. unam ſemis,
Nucum Moſchatar. drachm. duas.
Fiat omnium pulvis.

Calculum tum Renum, tum Veſicæ unica ſua proprietate atterit, & propellit, urinam movet, ac Ventriculi nauſeam compeſcit. Doſis ſcrupulus, drachma ſemis, ad ſcrupulos duos.

PULVIS ALIUS CONTRA CALCULUM.

℞. Oculor. Cancror. præparat.
Matris perlarum præparat. ana unc. ſemis,
Clauſularum Limacum drachm. duas
Millepedum præparat. drach. unam,
Salis ſuccini voſatilis drachmam unam ſemis,
Nuc. Moſchat. drachm. duas.

fiat pulvis ex omnibus: *cujus Virtutes ex ſuperioribus eluceſcunt; Hydropicis inſuper in educendo ſero per urinam, & Mulieribus, in pellendis Menſtruis ſalutaris eſt. Doſis drachma ſemis ad ſcrupulos duos.*

PULVIS CEPHALICUS SEU ANTAPOPLECTICUS.

℞. Rad. Doronici veri recent. coll. & ſiccat. unciam unam,
Coſti dulcis,
Ligni Aloës ponder.
Cardamom. min. ana drachmas tres,
Cubebarum,
Coriandri,
Aniſi ana drachmas duas,
Nucis Moſchatæ,
Succini albi ana unciam ſemis,
Caryophyllorum drach. unam ſemis, prius cum
Semin. Citri excort. ſcrupulo uno ſubactæ,
Ol. Stillatit. Cinamom. ſcrupul. unum.
Fiat ex omnibus pulvis.

Mira ejus est in Affectibus Cerebri & Capitis efficacia; Intemperiem enim ejus humidam corrigit: ideoque Apoplecticis, Epilepticis & Vertiginosis est emolumento. Detur à scrupulo uno ad drachm. semis & scrupul. duos.

PULVIS CEPHALICUS ALIUS PRETIOSUS CONTRA VERTIGINEM.

℞. Ambræ gryseæ opt. drachm. unam,
subigatur opt. cum
Sem. Pœoniæ excort drachma una,
Citri excort drachma semis,
Moschi optimi Orient. scrup. unum,
cum
Spirit. Rosar. particula ad pultis formam, contundendo in mortario, redacti:
His adde
Pulv. Ligni Aloës ponderosi unciam semis,
Radic. Doronici veri unciam unam,
Cardamomi min.
Nuc. Moschat. ana unciam semis,
Essent. Rosar. saccharinæ n. uncias tres,
cui instillentur prius
Ol. Stillatit. Cinamom. drachmas semis,
Caryophyll. scrup. sem.
Majoranæ,
Ligni Rhodii an. scrup. unus.
Fiat pulvis præstantissimus, imò Regius, *qui salutaris est ad omnes frigidas Cerebri affectiones, Vertiginem præcipuè, Apoplexiam, & Epilepsiam juvans; Dosis à scrupulo uno ad drachmam semis.*

PULVIS AD CASUM.

℞. Sanguinis Draconis opt. unciam semis,
Sanguinis Hirci modo supra edocto parati,
Oculorum Cancrorum præparat.
Terræ sigillatæ seu Boli Armenæ ana drachmas sex,
Myrrhæ rubræ unciam semis,
Nuc. Moschatar. drachmas tres,
fiat Pulvis.

Prodest præcipitatis ab alto, & quibus sanguis in corpore coagulatus hæret; ruptis item, contusis, fractis: vel in vino, vel jusculo aut aqua Cheresolii vel Card. Mariæ propinatus. Dosis, drachma semis ad drachmam unam.

PULVIS CYPRIUS PRETIOSUS.

℞. Musci vel Usneæ quercinæ electæ & ab omnibus impuritatibus lignosis mundatæ libras duas:
Immittatur sacculo, & per horæ quadrantem baculo discutiatur, ut ab omni pulvere & sordibus adhærentibus penitus liberetur: Hinc ollæ immittatur, sæpius aquâ simplici superfusa lavetur, per duos dies, donec aqua limpida & pura, prout affusa fuit, effundatur; siccetur deinde in Sole supra linteum collocata, ut eò magis suo colore, odore & sapore, vi nimirum attractrice Solis privetur.

privetur. Porrò hæc eadem uſnea ſuo colore viridi & omni odore jam privata, ac probè ſiccata, cum floribus Roſarum & Jaſmini (vel floribus Arantiorum & Citri, ubi illorum eſt proventus, recentibus & integris ſexies vel octies ſtratificetur, & junctim pondere aliquo in cribro comprimantur, ſingulis diebus floribus ab uſnea ſeparatis, & recentibus ſubſtitutis, donec fragrantiſſimo imbuatur odore. Poſt, leniter exſiccata uſnea, & in pulverem ſubtiliſſimum redacta, denuò, (ſi forte odorem in leni exſiccatione, quæ tamen nunc in ſole fieri non debet, ſed alio in loco tepido) linteo ſubtili vel ſacculo largo impoſita, infra ſupraque floribus ſupradictis recentibus conſpergatur, ac pondere aliquo in cribro nonnihil aggravetur. Huic pulveri tandem fragrantiſſimo pro quavis libra una adde

Moſchi ſcrupulum vel drachmam ſemis,
ſoluti in
Spirit. Roſar. fragr. ſ. q. ad pulticulæ formam,
Ambræ gryſeæ itidem drachmam ſemis,
ſolutæ in
Ol. Stillat. Roſar. veri ſcrupulo;
vel in
Ol. Jaſmini aut Arantiorum, (prout ex Italia affertur) drachm. ſemis,
item, ſi libet,
Pulv. Rad. Ireos Flor. albiſſ. unciam unam ſemis,
Cyperi rotund. unciam unam ſemis,

fiat Pulvis fragrantiſſimus Regius, *qui quando capiti inſpergitur, odore ſuo grato inſigniter illud roborat, ſuaq; adſtrictione, ſiccitate atque vi attractrice omnes ejus ſordes exſiccat: & cum nulla viſcoſitate polleat, nec cuti, neque capillis firmiter adhæreat, facilè à capite & ejus capillis avelli poterit.*

PULVIS AD DENTIFRICIA.

℞. Cremoris Tartari ſ. Tartari albiſſimi Veneti uncias duas,
Rad. Ireos Florent unciam ſemis,
Aſumin. uſti,
Nuc. Moſchat. ana drachmas duas,
Fiat omnium Pulvis non admodum ſubtilis, Cui adde
Moſchi opt. ſcrupulum unum, cum
Spiritu Roſarum vel Aq. Arantiorum nonnihil ſoluti,
ſervetur Pulvis ad uſum.

Dentes mucoſos & Tartaro veluti obductos à ſordibus purgat, eosq; dealbat, mundificat, & gingivas adſtringit, & ſic vacillantes firmos reddit.

Nota: Quod Dentifricia è *Lapidibus duris & aſperis*, utpotè *ſilicibus, pumice & Coralliis* aliisque parari ſolita, (uti etiam eſt farina Virginea Mynſichto laudata,) dentes quidem abſtergant, ſordibusve liberent; verùm quia unà gingivas cum dentibus abradunt & quàm maximè ſuâ aſperitate afficiunt, carneque quaſi denudant, vim è contra nullam habent dentes roborandi, carnem augendi, aut vacillantes

tes firmandi; Tartarus verò utrumque præstare est aptus, eò quod non solum adhærentem ac agglutinatum tenaciter mucorem induratum abstergat, sed sua etiam acrimonia & vi adstringente vacillantes dentes firmet, gingivas roboret, confortet, & augeat: fit hactenus, ut *Tartaro* præstantius nihil ad hos pulveres accommodari possit.

PULVIS DYSENTERICUS.

℞. Flor. ferri præparat. unciam unam,
Oculorum Cancror. præpar.
Nuc. Moschatar.
Rad. Tormentill. ana unciam semis,
Flor. Rosar. rubr.
Balaustior.
Croci Austriaci ana drachm. duas,
Fiat omnium Pulvis.

Ad omnes Alvi fluxus immoderatos, Diarrhœam, Lienteriam, præcipuè vero Dysenteriam, sistendos, præsentaneum est remedium, atque virtutis efficacissimæ. Dosis, drachma semis ad drachmam unam.

ALIUS AD IDEM.

℞. Boli Armenæ n. m. præparat. drachmas sex,
Lapid. Bezoar. occid. drachm. duas,
Rad. Tormentillæ drachm. sex,
Contrajervæ,
Nuc. Moschatar. ana drachm. tres,
Croci Austriaci drachm. duas,
Cortic. Arantiorum,
Citri ana extim. & recenter siccat. drachm. duas.
Fiat Pulvis ex omnibus.

Usus ejus est in Dysenteriis & Diarrhœis malignis, uti superioris.

PULVIS ANTEPILEPTICUS.

℞. Pulv. ex Typhis Cervi ritè juxta n. descriptionem in *Animadvers. pag. 634. parati* unciam semis,
Unicornu veri marini,
Cranii hominis suspensi raspati,
Bezoar. occidental.
Lapid. Carpion. sublunar. supra eorum oculos reperibil. an. drachm. duas,
Vermicul. in Spongiis Cynosbat. inventorum drachm. semis,
Ol. Stillat. Cinamom. scrup. unum,
Caryophyllor. scr. semis,
Magister. solub. Martis perlarum unciam semis.
Fiat omnium pulvis subtilis.

Prodest Epilepticis & Apoplecticis. Dosis scrupulus unus, ad drachmam semis.

PULVIS ANTEPILEPTICUS ALIUS.

℞. Nucl. Cerasorum nigror unciam semis,
Sem. Pœoniæ excort. drachm. duas,
Citri excort.
Bardanæ ana drachmam unam semis,
contundantur subtilissimè in mortario addita semper particula Aquæ flor. Arantiorum, ad pultis formam, ut per setaceum transmitti possit: Cui adde parum etiam conquassata sequentia: nempè

Rad.

Rad. Pœoniæ i.t. collect.
Doronici veri an. drachm. tres,
Viſci Quercini,
Nuc. Moſchat.
Cardamom. min.
Croci Auſtriac. ana drachmas duas,
Succini albi præparat. drachm. tres,
Magiſt. ſolub. Corallior. rubr. drachm. duas,
Cranii humani raſpati drachm. tres,
Ol. Stillatit. Cinamomi ſcr. unum,
Ligni Rhodii ſcrupulum unum.
Fiat omnium Pulvis ſubtilis.

Efficax in Epilepſia & aliis Cerebri affectibus. Datur à drachmâ ſemis ad ſcrupulos duos.

PULVIS ALIUS EPILEPTICUS AUREUS SEU SOLARIS.

℞. Croci Auri cum Tinctura Antimonii fermentati drachm. duas,
Unicornu foſſilis albiſſimi,
Unicornu Marini ſcil. quod pro vero Unicornu habitum fuit, nunc vero levi pretio venale proſtat tanquam Maris ſoboles, an. unciam ſemis,
Cranii hominis ſtrangulati raſpati drachm duas,
Pulv. ex Typhis vel ſaltem junioribus lanuginoſis & mollibus adhuc Cervorum Cornubus, n.m. edocto parati unciam ſemis,
Magiſter. ſolub. n. Perlarum Oriental. Matris perlarum, Corallior. rubr. ana drach. unam ſemis,
Nuc Moſchatar. unciam ſemis,
Ol. Cinamomi ſtillat. ſcrupul. unum vel drachmam ſemis.
Fiat omnium pulv. ſubtilis.

Remedium contra Inſultus Epilepticos præſtans eſt, reſiſtit enim Malignitati & Cor inſigniter roborat. Dofis ſcrupulus ad drachmam ſemis & ſcrupulos duos.

Pluresinvenies præſtantes Pulveres Antepilepticos in *Animadverſionibus* n. p. 635 & ibi delectum Elegantiſſimarum Deſcriptionum quoque habebis.

PULVIS GROSSUS AD SACCULOS PRO EPITHEMATE CORDIS, ET PULSUUM.

℞. Herbar. recent. Roriſmarini, Majoranæ, Baſilici, Meliſſæ citratæ ana unciam unam,
Flor. recent. Arantiorum, Roſar. pallid. ana unc. unam ſemis, Cheiri, Tunicæ an. unc. unã, Lavendulæ unciam unam ſemis,
Cortic. recent. Arantiorum, Citri ana extim. flav. unc. unam ſemis,
Croci Auſtriaci vel Or. drachm. ſex,
Cinamomi optimi unciam unam ſemis,
Macis,
Nuc. Moſchatar. ana unciam unam,

Ligni Rhodii,

Aloës ana unciam semis.

Omnia ac singula probè commixta, tàm herbæ recentes, Flores, ac Cortices, quàm desiccata Aromata & Ligna (quæ tamen prius incidi separatim suaserim) minutim incisa, exsiccentur in umbra cum cautela & charta desuper operta: Ex quibus sic paratis speciebus sacculi poterunt formari, formâ ac magnitudine competenti, ac filo serico intersui; qui postmodum *Cordis regioni ac pulsibus* superligantur, prius tamen *aquâ Cordiali*, quæ arriserit illi humectandi: idque toties repetendum, quoties etiam calor exæstuans eos exsiccaverit. Perelegans sanè atque efficax modus hic est & Cor tuendi, & Spiritus vitales instaurandi. Namque, dum speciebus siccis, flores recentes, & fragrantissimos addimus, supinos quasi ac latentes siccorum spiritus excitamus, accessione novæ fragrantiæ intendimus, & multò efficacius temperamentum ac compositum suscitamus, cum alioquin pronum esset, leviſſima exsiccatione etiam solutas hasce Atomos spiritu & odore turgidas exhalare. Ulterius sacculi ex Zendalo consuti, grossioribus hisce speciebus oppleti ac cordiali quodam liquore imbuti insigne robur Cardiacum addere possunt, cum hîc virtus unita fortior, species etiam proximius cordi adstent, viresque earum diutius perdurent, neque protinus, uti aliàs pulveres vel species Cordiales aquâ aliquâ dilutæ solent, diffluant & dissipentur, sed diutius viribus collectis conserventur & integris, sæpius etiam, si deficcentur, madefactis sacculis. Unde demirari satis non possum Amethodum eorum, qui regione cordis & pulsificis partibus, lapides & gemmas, Corallia & Margaritas, ut ab his naturæ subsidium feratur, ridiculè applicant; an ignorent, quod ejusmodi ad Cordis & Corporis penetralia & abdita nequaquam admittantur, nisi ab acidulo nostrate fermento actuentur & veluti solvantur: quid deforis amabo præstabunt, dura & cruda, inodora, & omnibus ossibus aridiora?

PULVIS CONTRA HÆMORRAGIAM, ET SPUTUM CRUENTUM.

℞. Radic. Tormentill. drach. sex,
Papaveris erratici,
Terræ sigillatæ seu Boli Armen.
Lapidis Ætitis nuclei interioris,
Hæmatitis præpar.
Corneoli præparati,
Magist. solub. Coralliorum,
Nuc. Moschat. ana drachm. duas,
Sang. Draconis,
Olibani in granis an. drachm. tres,
Nitri purissimi crystall. drachm. sex.
Fiat Pulvis.

Valet ad Sputum cruentum & fluxus sanguinis Narium sistendos, & ad Menstruorum Mulierum superfluum Fluxum, Dysenteriam, Diarrhœam, Alvi ac Uteri profluvia alba & cruenta curanda singularis est efficacia.

PULVIS HEPATICUS RUBEUS.

℞. Cremoris Tartari uncias duas,

Tartari

Tartari Vitriolati ſed cryſtalliſati, ne in humido liquefiat, unciam unam ſemis;

Fæculæ ſeu ſalis eſſentialis acetoſellæ unciam unam,

Hæc mixta & in pulverem redacta humectentur ter quaterve cum Tinctura ex roſis ſiccis rubris & ſantalo rubro, beneficio aquæ Roſarum & Spiritus Vitrioli parata, & toties leni in calore exſiccentur. Quibus tandem in pulverem denuò converſis ſuperadde

Sacchari n. Citrati unciam unam ſemis.

Fiat Pulvis: ſervetur in Vitro benè clauſo.

SIMPLICIORI MODO SIC PARARI POTERIT:

℞. Cremoris Tartari uncias duas,
Tartari Vitriolati cryſtalliſati unc. unam ſemis,
Fæculæ ſeu ſalis eſſentialis Acetoſellæ unciam unam,
Pulv. Roſar. rubrar. unciam ſemis,
Santali rubri drachm. duas,
Sacchari citrati n. unciam unam.
Miſce, Fiat Pulvis.

In calida Hepatis Intemperie ejusdemque obſtructione & labefactatione perutile eſt remedium.

PULVIS HYSTERICUS.

℞. Rad. Pœoniæ l. decr. collectæ unciam ſemis,
Doronici veri,
Zedoariæ ana drachm. duas,
Cardopatiæ drachm. unam ſemis,
Anthophyllorum,
Croc. Auſtr. vel Oriental.
Cortic. Arantiorum,
Citri ana extim. recent.
Sem. Citri excortic. ana drach. duas,
Salis Jovis ſeu Stanni Anglici unciam ſemis,
Magiſt. Solub. Coralliorum,
Matris Perlarum, ana drachm. duas,
Ol. Stillat. Cinamomi,
Meliſſæ an. ſcrup. ſemis.
Fiat Pulvis.

Placat hic pulvis dolores uterinos, atque vapores ab utero aſcendentes reprimit, imò Matris ſuffocationem abigit. Doſis drachma ſemis ad ſcrupul. duos.

PULVIS AD GENERANDUM LAC.

℞. Carnis Uberis Vaccæ juvenculæ uncias ſex,
Rad. recent. Rapunculorum,
Cardui lactei,
Barbæ hirci ana unciam unam,
Ireos Florent. unciam unam ſemis,
Liquiritiæ drachm. ſex,
Semin. Lactucæ,
Pœoniæ excort. ana drach. ſex,
Lapid. Lactei præparati, (eſt lapis mollis inſtar Saponis tactu,) unciam unam ſemis,
Corallior. alb. præpar.
Oculor. Cancror. præpar. ana drachmas ſex,

Magiſt. ſolub. Matris Perlarum unciam ſemis,
Caro mammillarum, radices etiam recentes conſcindantur teſſellatim, accum reliquis pulveribus & præparatis conſperſa, immittantur Alembico vitreo, quibus ſuperaffundantur
Succi Cydoniorum recenter expreſſi unciæ quatuor,
ac illicò in M. B. totaliter exſiccentur, (baculo quandoque illa in Alembico commovendo) ut in pulverem ſubtilem redigi poſſint, cui pulveri adde
Pulv. Sem. Erucæ,
Fœniculi ana drach. ſex,
Cardamomi min.
Macis ana unciam ſemis,
Piperis longi unciam unam,
Miſceantur exactè, fiatque Pulvis ſubtiliſſimus. *Hujus detur pro doſi drachma una vel duæ in juſculo Gallinæ, ſæpius in die.*

PULVIS AD NASALIA.

Videatur in prægreſſa *Pharmacopœia Auguſtana.*

PULVIS PARTUM PROVOCANS.

℞. Pulv. Glaciei Mariæ fixæ, quæ eſt ſpecies Talci, unciam ſemis,
Caſſiæ ligneæ veræ,
Boracis Venetæ ana drachmas duas,
Croci Auſtriaci,
Pilæ capræ ſylv.
Macis ana drachm. unam,
Ol. Cinamom. gutt. xij,
Fiat Pulvis.

Item Jecur & fel angvillæ ſiccata & pulveriſata expertum remedium eſt, nec fallit, niſi pingvedo quædam vel fruſtum carnis aut Mola, (*experientia teſte,*) impedimento exituro fœtui fuerit.

Cæterum *pulvis hic ad partum facilitandum, ut & fœtum mortuum excludendum, ſalubriter exhibetur; pellit nec non potenter ſecundinas, à drachma ſemis ad drachmam unam & unam ſemis.*

PULVIS PLEURITICUS.

℞. Sanguinis Hirci juxta mod. edoct. parati unciam unam,
Raſuræ dentium Apri unciam ſemis,
Oculorum Cancror. præp. drachmas duas,
Rad Papav. errat. drachm. unam ſemis,
Croci Auſtriac. vel Oriental. drachm. unam.
Fiat omnium Pulvis.

Confert omnibus laterum punctturis atque doloribus, adeoq; Pleuritidi tàm veræ & legitimæ, quam ſpuriæ & nothæ medetur. Doſis drachma ſemis ad drachmam unam.

PULVIS STERNUTATORIUS CEPHALICUS.

℞. Radic. Doronici veri,
Pyrethri,
Hellebori alb. ana drachmam unam,
Herb. Majoranæ,
Thymi,

Roriſma-

Roriſmarini,
Flor. Liliorum convallium, ana drachm. unam ſemis,
Sem. Aniſi,
Coriandri,
Nigellæ,
Cardamomi,
Macis ana drachm. ſemis,
Caryophyll. ſcrupul. unum,
Ambræ gryſeæ ſcrup. ſemis,
Moſchi Orientalis grana octo,
Ol. Ligni Rhodii ſcrup. unum.
Fiat ex omnibus Pulvis ſubtilis.

PULVIS CONTRA TUSSIM INFANTUM ET SENUM, SEU CATARRHALIS.

℞. Sem. Papaveris albi unciam unam,
Melonum excortic. unc. ſemis,
Pœoniæ excort. drachm. duas,
Pinearum mundatarum,
Piſtach. decortic. ana unciam ſemis,
Benzoes pulveriſ. drachm. ſemis.
Contundantur probè in mortario ad pultis formam, cum ſ. q. aquæ Roſarum.
Huic pulpæ adde
Pulv. Rad. Ireos Florent. unciam unam ſemis,
Pœoniæ unciam ſemis,
Croci Oriental. vel Auſtriaci drachm. duas,
Florum Sulphuris drachm. unam ſemis,
Sacchari penidii uncias ſex,
exſiccentur in leni calore, fiatque omnium denuò Pulvis ſubtilis: adde
Olei ſtill. Aniſi drachm. unam vel drachm. unam ſemis,
Præſtans in Tuſſi & Defluxionibus à capite ad pectus tenuioribus incraſſandis & maturandis remedium, ſæpius lambendo uſitatum.

PULVIS ALIUS CATARRHALIS ANTIPHTHISICUS.

℞. Sulphuris vivi translucidi & ſplendidi, vel, ſi hoc deſit,
Florum Sulphuris unciam unam,
Sacchari Saturni reſolubilis ex Minio vel ipſo Plumbo facti drachm. ſex,
Croci Auſtriaci drachm. duas,
Radic. Ireos Florent.
Liquiritiæ,
Fungorum arbori ſalicis adnaſcentium ana drachmas ſex,
Thuris in granis,
Gummi Animæ ana unciam ſemis,
Sacchari Canarii albi uncias duas.
Fiat ſ. a. Pulvis ſubtilis, *in Decocto quodam pectorali, vel in ovo ſorbili, manè & veſperi à drachma ſemis ad drachmam unam propinandus.*

PULVIS STOMACHALIS.

℞. Radic. Calami Aromatici,
Galangæ,
Pimpinellæ,
Liquiritiæ,
Zinziberis,
Piperis longi,
Caryophyll. ana unciam ſemis,
Radic. Doronici veri unc. unam,
Nuc. Moſchatarum,
Cardamom. min. ana drachm. ſex,
Macis drachmas duas,
Sem. Aniſi,
Carui,

Sem. Fœniculi, ana unc. ſemis,
Cortic. Arantiorum,
Citri ana extim. & recent. ſiccat. drachm. tres,
Ol. Cinamomi ſtill. drachm. ſemis,
Sacchari Canarii albi ad pondus omnium,
M. Fiat Pulvis.

Præſtans ad varia Stomachi & Cerebri vitia emendanda, Vomitum, Nauſeam, Cardialgiam & Concoctionem læſam, Ventriculo item refrigerato cum emolumento exhibetur.

PULVIS AD STRUMAS.

Videatur ejus Compoſitio in *Pharmacopœia Auguſtana.*

PULVERES VIPERARUM SIMPLICES ET COMPOSITI.

EOrum Confectiones legitimas, unà cum uſu & doſibus, *Animadverſiones noſtræ* ſuper Claſſem de *Trochiſcis* factæ luculenter edocent pag. 289 & ſeq. quas Lector Benevolus evolvat.

PULVIS VULNERARIUS.

℞. Maſticis electæ,
Myrrhæ,
Olibani,
Sang. Draconis,
Oculor. Cancror. præparat.
Nuc. Moſchatar. ana drachm. duas,
Boli Armenæ n. m. parat.
Radic. Tormentill. ana unciam ſemis,
Croci Auſtriaci drachm. unam ſem.
Fiat omnium Pulvis.

In Vulneribus Internis & Externis, nervorum, præcipuè ubi Meliceria (vulgò das Glied-Waſſer*) è vulneribus ſtillat, opem præſtat, à drachmâ ſemis ad drachmam unam.*

Vides, Amice Lector, quàm amplam & divitem penum Medicatorum Pulverum & Specierum longa ſerie in hac Claſſe in Tui ſolius emolumentum ſolertiſſimo ſtudio adduxerim, adeò, ut vix morbi cujusdam ſpecies ſeu Typus ſuperſit, cui non objicias Medicamentum quodpiam dextera parandi ratione, viribus & efficacia elegantiſſimum ac unicè expetendum, queis feliciter utere, Tuo & Proximorum ſubſidio.

PHARMA-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS DECIMA,

ECLEGMATUM DIACODIORUM, ET LOHOCH FORMULAS COMPREHENDENS.

BArbaro ac peregrino etymo hæc proferuntur, mutuato à Græcis & Arabibus Idiomate, quo varia notantur medicamina, unius tamen consistentiæ, Electuarii formam propemodum æmulantis, paulò tamen liquidiora, crassiora & viscida magis ipsis Syrupis; quanquam nonnunquam accidat, ut solidam formam nanciscantur, id vel usu, ægrorum affectu, & gratiâ, quâ patientibus illicio sint, nos hortante. Parantur utplurimum ex Decoctis, Succis nonnihil mucilaginosis, ex instituto, ut materiam peccantem, quæ de consveto acris, salsa, cum impetu asperam arteriam, pectus ac pulmones feriens, nonnihil inhibeant, solident, condensent, ac ad expectorandum facilius disponant.

diſponant. Ex quorum cenſu ſequentia habeto:

DIACODION SIMPLEX GALENI.

PAretur ad normam, ac juxta exactã n. deſcriptionem in *Appendice ad Animadverſiones pag. 29.* propoſitam. *Uſus ejus eſt in deſtillationibus tenuibus è capite in aſperam arteriam labentibus, abſtergit potenter, & ſomnum moderatè conciliat; cavendum tamen, ne, lambendo de illo ſæpius totoq; die ſomnus nimioperè, præſertim infantibus, concilietur.*

DIACODION JO. BAPTISTÆ MONTANI.

PAretur & illud juxta normam in *Appendice* n. ad *Animadverſiones* præſcriptam. *Utuntur illo in tenuibus & acribus rheumatiſmis, pulmones & aſperam arteriam fluxione tentantibus, & continua tuſſi ſomnum prohibentibus.*

DIACODIUM ASTHMATICUM CONTRA TUSSIM DIUTURNAM.

℞. Rad. Aronis,
Helenii,
Glycyrrhizæ,
Ireos Flor.
Pimpinellæ ana recent. unciam unam,
Herb. Hyſſopi,
Hederæ terreſt.
Veronicæ,
Porr. ſeu Cæparum cann. vulgò Lauch/ ana recent. unciam unam ſemis,
Scillæ præparatæ drachmas ſex.

Inciſa coquantur in ſ. q. Aquæ ſimpl. repetitis vicibus affuſæ, ad omnium virtutum prolectionem: colaturæ omnes clarificatæ ad libram unam ſemis circiter evaporent, in vaſe terreo vitreato, interimque aſſervetur.

Jam verò:

℞. Sem. Erucæ,
Naſturtii,
Urticæ ana drachmas ſex,
Gummi Ammoniaci,
Animæ ana drachm. unam ſemis,
Maſtichis drachmas duas,
Camporæ drachm. ſemis,
Amygdalarum dulcium,
amararum ana drachmas ſex,

contundantur probè in mortario, affusâ portiunculâ Aquæ Flor. Arantiorum, ad formam pultis mollioris, quæ per ſetaceum transmiſſa, quantum fieri poteſt, interim etiam ſervetur.

Porrò:

℞. Superius aſſervatum & abſtractum decoctum,
additaque
Sacchari Canarii albi libra una ſemis,

redigantur leniter coquendo in Syrupi craſſam ſeu mucilaginoſam conſiſtentiam, cui ſtatim immittatur,

aſſervata Pulpa ex ſeminibus ſuperius & Gum. facta.

Item

Pulv. Cardamomi min.

Pulv.

Pulv. Nuc. Moſchatarum ana drachmas tres,
Macis drachmam unam,
Sem. Aniſi unciam ſemis,
Croci opt. drach. unam ſemis,
Elæoſacchari Cinamomi unciam ſemis,
Fœniculi unciam ſemis,
fiatque omnibus exactè mixtis Diacodion. *In Aſthmate & difficili reſpiratione cum ſucceſſu exhibetur.*

DIACODION ACTUARII CORRECTUM.

PArari poterit & illud, juxta præſcriptam normam in *Appendice ad Animadverſiones pag. 30. Et egregiis pollebit virtutibus in Hæmorrhagia quacunque, & Dyſenteriis ſiſtendis. Cujus doſis uncia ſemis, ad unam.*

DIACODION DYSENTERICUM.

℞. Rad. Tormentillæ unciam unam,
Biſtortæ unciam ſemis,
Flor. Roſarum rub. ſiccat. drachmas ſex,
Balauſtiorum unciam ſemis,
Succi Hypocyſtid drachmas duas,
coquantur in ſ. q. Aquæ ſimplicis ad duarum librarum remanentiam; Decoctum colatum & propè clarificatum interim aſſervetur.

Tum;

℞. Sem. Papaveris albi unc. unam ſem.
Melonum,
Cucurbitæ,
Amygd. dulcium ana decorticat. unciam unam,
Contundantur diu multumque in mortario: additâ pedetentim portiunculâ ſuperioris aſſervati Decocti, ad formam pulticulæ, ut per ſetaceum trajici poſſit, quæ interim aſſervetur.

Jam verò accipe
Decoctum ſuperius aſſervatum,
& additâ
Sacchari Canar. albi libra unâ ſemis,
percoquantur ad Conſiſtentiam ferè tabulati, cui ab igne remoto addantur
Emulſio ſuperius facta & aſſervata,
deinde
Reliqui ſubſequentes Pulveres, utpotè,
Croci Auſtriaci drachma una ſemis,
Oculorum Cancror. præparat.
Corall. rub. præparat.
Rad. Liquiritiæ raſæ,
Ireos Florent.
Nucum Moſchatarum ana unc. ſem.
M. Fiat Diacodion.

In Dyſenteriis & Diarrhœis, Exulcerationibus inteſtinorum & Meſenterii utiliter exhibetur.

DIACODION SEU ECLEGMA PECTORALE PAPAVERINUM.

℞. Siliquarum dulcium uncias tres,
Glycyrrhizæ raſæ unciam unam,
Capitum Papav. albi cum ſemin. num. v.
Inciſa coquantur in ſ. q. Aquæ ſimplicis ad remanentiam librarum duarum: Decoctum clarificetur & interim aſſervetur. Poſtea:

℞. Hujus Decocti jam facti libram ſem.
& cum

Sem. Papav. albi unciis duabus,
Melonum,
Cucurbitæ,
Amygd. dulc decortic. ana uncia una, diù in mortario contuſorum fiat Emulſio craſſa, per panum linteum rarum colanda & exprimenda: Hac pariter & pauliſper aſſervatâ, accipiatur reliqua aſſervati decocti libra una ſem. & additis

Sacchari Can. albi unciis xx. coquantur ad conſiſtentiam quaſi tabulati, cui junge Emulſionem craſſam ſuperiùs factam, & ſine ulteriore coctione repone.

Valet in Tuſſi diuturna, ubi humores tenues & acres à capite ad pectus & aſperam arteriam delabentes, periculum læſionis & eroſionis venularum cauſare poſſent; Somnum inſuper conciliat, & pectus lenit.

DIACODION PECTORALE SOLIDUM.

℞. Rad. Ireos. Florent. drachmas ſex,
Tuſſilaginis unciam ſemis.

Inciſa coquantur in ſ. q. Aquæ ſimpl. ad libræ unius remanentiam, decoctum coletur & debitè clarificetur, quo interim ſervato, accipe

Sem. Papav. albi,
Melon. excort. ana drachm. ſex,
Pœoniæ excort. drachm. duas,

Pinearum mundat. drachm. ſex, contundantur minutiſſimè in mortario ad formam pultis, additâ portiunculâ Aquæ Roſarum fragr. & per cribrum ſetaceum trajiciantur, quâ interim etiam aſſervatâ, ſolvatur in ſuperiori decocto radicum

Sacchari Canarii albi libra una, coquanturque ad conſiſtentiam Tabulati paulò ſolidiorem, addendo, ab igne remotis

Pulpam ſuperiorem Seminum & Pinearum,
item:
Pulv. Rad. Ireos Flor. drachm. ſex,
Amyli albi unciam unam,
Et, (ſi lubet,) pro roborando Corde,
Margarit. Oriental. præpar. vel loco harum,

Matris perlarum præp. drachm duas, fiat Diacodion ſolidum, in forma Rotularum aut Morſellorum.

Valet in omnibus pectoris affectibus morboſis, Tuſſi diuturnâ & recenti Aſthmate, difficili reſpiratione, & Phthiſi ipſa; in Pleuritide pro expectoratione præſens eſt remedium.

DIACODION CONTRA SPUTUM SANGVINIS.

℞. Rad. recent. Acetoſæ unciam unam,
Cichorii ſylv. unciam unam ſemis,
Lapathi acuti,
Papav. erratici,
Pentaphylli,
Plantag. min.
Tormentillæ ana unciam,
Herb. recent Auriculæ muris,
Burſæ paſtoris,
Cichorii ſylveſtris,
Plantag. min.
Virgæ aureæ,
Vincæ pervincæ, ana manip. duos,

Flor.

Flor recent. Roſarum rub. unc. duas,
Papav. errat. unciam unam ſemis,
Santali rubri drachmas ſex.
Inciſa coquantur in ſ. q. Aq. ſimplicis, repetitis vicibus affuſæ, quoad tota eorum virtus extracta ſit; colaturæ omnes album. ovorum clarificatæ ad libram unam circiter evaporent, &, additis ſuccis ſequentibus, utpotè:

Succor. Cichorii ſylv.
Millefolii,
Plantag. minoris,
Sempervivi majoris, ana depurator. unciis ſex.

Interim aſſerventur: Tum

℞. Sem. Papav. albi,
Melonum excort. ana unciam unam,
Pœoniæ excort.
Portulacæ ana unciam ſemis; contundantur minutiſſimè in mortario ad formam pulticulæ, additâ portiuncula ſuperioris Decocti, vel Aquæ Roſarum, & per ſetaceum transmittantur ad inſtar pulpæ, quâ interim etiam ſervatâ, accipe Decoctum ſuperius cum ſuccis expreſſis aſſervatum, ac cum

Sacchari Canar. albi libris duabus, ad Syrupi conſiſtentiam, paulò tamen craſſiorem, percoque; cui Syrupo tandem immiſce,

Pulpam ſeminum ſuperius aſſervatam, item:

Pulv. Boli Armen. præp.
Corall. rub. præp.
Lapid. Hæmatit.
Sangvin. Draconis,
Olibani ana unciam ſemis,
Pulv. Lapid. Corneol. præpar. drachmas duas,
Croci opt. Auſtr. drachm. unam ſemis,
Elæoſacch. Nuc. Moſchat. cum Ol. expr. facti unc. duas.

Fiat omnibus probè mixtis ſ. a. Diacodion.

Præſtans in Sputo ſanguinis, à quacunque cauſa ortum duxerit; abſtergit, conglutinat, & oſcula venarum claudit. Doſis drachmæ duæ ad unciam ſemis.

LOHOCH PECTORALE.

℞. Rad. Ireos Florent. unciam unam ſemis,
Liquiritiæ unciam unam,
Paſſularum majorum uncias duas,
Dactylorum num. xij.
Jujubarum num. xxx.
Seliquarum dulc. uncias duas.

Coquantur minutim inciſa in ſ. q. Aquæ ſimplicis ad remanentiam librarũ duarum: Decoctum coletur & probè clarificetur; cujus accipe libras ſemis,

Item:

Nucleor. Pinear. mundat.
Amygd. dulc. decort. ana unciam unam ſemis,
Semin. Melon. excortic.
Papav. albi ana drachmas ſex; fiat ex iis ſ. a. Emulſio craſſiſſima per cribrum ſetaceum cogenda & transmittenda, quâ interim ſervatâ, accipiatur reſiduum decoctum, & cum

Sacchari Can. albi libra una ſemis, coquantur ad conſiſtentiam ferè tabulati; cui tandem ab igne remoto adde

Emulsionem superius factam, item:

Pulv. Rad. Ireos unciam unam sem.
Liquiritiæ unciam semis,
Amyli drachmas sex,
fiatque Lohoch.

Salubre Medicamentum est in Tussi recenti & antiqua, nec minus etiam in Phthisi fructuosè exhibendum.

LOHOCH DE PULMONE VULPIS.

℞. Rad. Liquiritiæ,
Ireos Florent. ana drachm. sex,
Herb. Capill. Veneris,
Pulmon. maculosæ ana manip. duos.

Coquantur incisa in Aquæ simpl. suffic. quantitate ad remanentiam circiter duarum librarum: Decoctum coletur & clarificetur, additaque Sacchari Can albi librâ unâ, porrò ad Syrupi consistentiam coquantur, addendo tandem

Pulv. Pulmon. Vulpis siccat. & n. m. præparat. unc. unam semis,
Rad. Ireos Flor. unciam unam,
Liquiritiæ,
Sem. Anisi,
Fœniculi ana unciam sem.

Misce fiat Lohoch.

Ad easdem pectoris affectiones catharrosas & Phthisin ipsam, longo usu receptum Medicamentum.

LOHOCH SANUM ET EXPERTUM.

℞. Rad. Ireos Florent. unciam unam,
Liquiritiæ rasæ,
Tussilaginis ana unciam semis,
Herb. Hyssopi,
Millefolii,
Hederæ terrest.
Pulmonar. macul.
Tussilaginis,
Veronicæ ana recent. manip. duos,
Passularum majorum,
Dactylorum,
Ficuum ana unciam unam semis,
Jujubarum num. xx.

Conscindantur & coquantur in s. q. Aquæ simplicis ad remanentiam librarum duarum circiter: Decoctum coletur, ac album ovorum probè clarificetur. Hinc ex

Pinearum mundat. unciis duabus,
Amygd dulc. decort. unciâ unâ,
Sem. Melonum,
Cucurb. ana excort. unciâ sem.

in mortario subtilissimè contusorum, affusâ paulatim s. q. aquæ Rosarum fragr. confice pulpam, per cribrum setaceum transmittendam, quâ factâ & interim paulisper asservatâ, cum superiori & residuo Decocto clarificato, dissolve

Sacchari albissimi libram unam sem. & ad spissitudinem Mellis crassioris coque, cui, dum adhuc calet, commisceantur

Pulpa Seminum, Amygd. & Pinearum superius parata & asservata:

Item:

Pulveres subsequentes, nimirum
Liquiritiæ rasæ uncia semis,
Ireos Florent. drachmæ sex,
Amyli albis. uncia una semis,

Elæosac-

Elæoſacchari Aniſi,
Fœniculi, ana drach. ſex,
Cinamomi uncia ſemis,
Fiat Eclegma præſtans.

Pectorale Medicamentum eſt, ſalubre in affectibus etiam pectoris Catarrhoſis, Tuſſi, Sputo purulento, & Pleuritide.

Nota: Aliud & ſimile Lohoch ſanum, deſcriptum eſt in *Appendice n. ad Animadverſiones pag. 31.* unà cum notis neceſſariis, quæ revolvendæ.

LOHOCH DE SCILLA.

℞. Scillæ præparatæ unc. unam ſemis,
Cæparum noſtr. recent. unc. unam,
Hæc immergantur in
Aceti florum Tunicæ,
Sambuci ana uncias quatuor,
Factâ per biduum maceratione, colentur: colaturæ adde
Sacchari albi Can. libram unam ſem. ac unicâ ebullitione confice Syrupum ſpiſſioris conſiſtentiæ, addendo
Mellis puriſſimi nunquam cocti aut deſpumati uncias tres,
Elæoſacchari Cinamomi unciam unam.
Fiat Lohoch.

Incidit & attenuat materiam craſſam, quæ in thorace atq; pulmonibus continetur, aſthmaticis ac difficulter ſpirantibus, magnaq; puris & lentæ pituitæ copiæ externenda emolumento eſt.

Cæterùm cum hæc Claſſis ut plurimum Pectoralia tantum contineat Medicamenta, in eorundem autem Compoſitionibus reliquorum viſcerũ principaliorum habita quoque fuerit ratio, eapropter ſuperfluum arbitrati ſumus, plura, eaque tam numeroſa addere, hujus farinæ & conſiſtentiæ Compoſita, quippe quod præcedentium & ſubſequentium Claſſium præſcripta Medicamina abundè ſufficiant, quibus non ſolùm cunctis morbis, ſigillatim verò internis viſceribus, quocunque affectu morboſo obſeſſa ſint, conſuli queat.

Tandem, ne Officinas noſtras Pharmacevticas, adaucto in infinitum propemodum numero Compoſitorum medicaminum, velut inutili ſarcinâ gravarem, expenſas & peculium in apparandis ejusmodi emulgerem, quæ labentibus annis effœta & pervetuſta, aliud nobis intereſſe non pendant, quàm ut foràs mittantur, pedibus viatorum atterenda: Quamobrem eò hactenus cogitatûs & mentem intendi, ut talem eorum parandi & dextrè diſpenſandi Methodum dictarem, quæ omni tempore anni, neceſſitate expoſtulante, nullo habito diſcrimine, ver, num æſtas, inſtet, in uſum & praxin duci poſſet: Et hæc apprimè neceſſaria commonenda duxi.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS UNDECIMA, SPECIERUM SEU PULVERUM Aromaticorum dextram conficiendi Normam Demonstrans.

QUantumvis *in superiori Classe nona, ubi de Pulveribus medicatis actum est, contra plurimos humani corporis affectus, non pauci Pulveres Compositi traditi sint, ut tantoperè necessum non foret, plures Pulveres, sive Species Aromaticas compositas addere, nihilominus pauças adjiciam Compositiones, sed selectiores, quas abundè sufficere existimo: Consulantur tamen Animadversiones nostræ super eandem citatam Classem, in quibus veritatis partes strenuè tuitus sum, ac multarum Compositionum ineptias in scenam dedi, & his deinceps reprobatis, sequentes, ceu illis in operando efficaciores, gustu & effectu superiores commendavi. At verò non solas Species, seu Pulveres aroma-*

aromaticos hæc Claſſis proponit, ſed & quamplurima alia formâ & conſiſtentiâ diſparia, ut puta; Morſellos oblongâ partim, partim quadratâ figurâ, Rotulas aut Tabulas in orbem ductas, quæ omnia & ſingula multo & crebro uſu familiaria & domeſtica nobis facta, guſtum ægrotantium & appetitum mirè demulcent, quoniam Species ſic ſaccharo incorporare manu ducunt, ut ex omnibus ſpeciebus, ſeu pulveribus, adjecto ſaccharo in conveniente quantitate (libra videlicet Sacchari una, ad uncias duas, vel plures dictarum ſpecierum) confici poſſint: Uti etiam Electuaria, ſi Mellis, vel ſacchari ad debitam Syrupi Conſiſtentiam appropriatâ quapiam aquâ cocti, proportione duplum vel triplum addas: Paſtas præterea Regias, Paſtillos, Species inciſas tantùm & groſſas, Tragcas ſcilicet aromaticas, ac ultimò demum Confectiones propriè dictas, Seminum, Fructuum, Radicum, Corticum, ac Aromatum, ſaccharo obductas, quæ alio fine adinventa non ſunt, quàm ut proſtratam ægrorum apperentiam hoc velut illicio revocantes, factâ tam Medico quàm Patientibus copiâ, quidvis eorum pro arbitrio & guſtu deligendi, morbo detentis paremus.

SPECIES CONTRA APOPLEXIAM.

℞. Rad. Doronici veri unciam unam,
Pœoniæ mund. Mar. deb. t. coll. drachmas ſex,
Cyperi rotundi unciam ſemis,
Coſti veri drachmas duas,
Florum Paralyſeos,
Tiliæ,
Tunicæ ana recent. (ſi tempore verno parentur) drach. ſex,
Piperis longi drachmas duas,
Sem. Erucæ,
Sileris montani ana unciam ſemis,
craſſiuſculè inciſa & conquaſſata coquantur in ſ. q. Aquæ ſimplicis ad remanentiam circiter unciarum ſex; decoctum colatur & alb. ovi probè clarificetur, quo cum ſolvantur
Sacchari Canarii unciæ tres;
iterum ad conſiſtentiam tabulati leniter coquantur, ac retrò fornacem tandem, chartæ incluſum, leni calore penitus hoc ſaccharum exſiccetur, ut in pulverem redigi queat, Huic in pulverem redacto adde
Ambræ gryſeæ drachmam ſemis, vel unam,
prius cum
Sem. Citri excort. drachmâ ſemis, probè ſubactæ,
Pul. Bezoard. Cervini, ſeu Pulveris ex Typhis Cervi pag. 637. *Animadv. n.* edocti drachmas ſex,
Ligni Aloës opt. ponder.
Rad. Doronici veri,
Cardamomi minoris ana unciam ſemis,
Sem. Coriandri,
Pœoniæ excort. an. drachmas duas,
Caryophyllorum drachm. tres,
Pul.

Pul. Nucum Moſchatarum,
Succini albi præparati ana unciam ſemis,
Ol. Still. Cinamomi,
Ligni Rhodii, ana ſcrupulum unum,
Miſceantur exactè, fiatque Pulvis ſubtiliſſimus in vitro cuſtodiendus.

Præſtans in Apoplexia & Hæmiplexia, diuturnis capitis affectibus aliis frigidis opitulatur; Spiritus vitales & animales reficit, Apoplecticos & Epilepticos Paroxyſmos antevertit. Doſis drachma ſemis, ad unam.

SPECIES CONTRA APOPLEXIAM ALIÆ SIMPLICIORES.

℞. Rad. Doronici veri unciam ſemis,
Pœoniæ Mar. d.t.coll. drachm. duas,
Coſti veri dulcis,
Flor. Anthos ſeu Roriſmarini,
Lavendulæ ana drachm. unam ſemis,
Sem. Sileris montani,
Ocymi Caryophillati ana drachm. unam,
Pœoniæ excort.
Aniſi,
Coriandri ana drachm. unam ſemis,
Cardamomi min.
Cinamomi acuti,
Nuc. Moſchatarum ana drachm. duas,
Caryophillorum,
Cubebarum,
Ligni Aloës pond. opt. ana drachm. unam ſemis,
Succini albi præpar. drachmas duas,
Ol. Still. Ligni Rhodii ſcrupulum unum.
Fiat omnium Pulvis ſubtilis.

Qui cum prioribus ſpeciebus antapoplecticis in effectu & operationibus coincidit, adeoque omnibus Cerebri affectibus frigidis opitulatur. Doſis drachma ſemis ad unam.

SPECIES CARMINATIVÆ.

℞. Rad. Pimpinellæ,
Enulæ Cam.
Zedoariæ ana drachm. unam ſemis,
Galangæ drachmam unam,
Cort. Arantiorum,
Citri ana extim. & recenter ſiccat. drachm. unam ſemis,
Florum Chamomillæ Rom.
Cinamomi acuti ana drachm. duas,
Caryophyllorum,
Macis,
Croci Auſtriaci ana drachm. unam,
Nuc. Moſchatarum,
Cardamomi minoris,
Sem. Aniſi,
Apii,
Carui,
Fœniculi,
Cumini ana drachmam unam ſemis,
Fiant Species ſeu Pulvis ſubtilis.

Ventriculi inflationi, ructibus acidis, flatibus & inflationibus auxiliatur, concoctionemque promovet. Doſis drachma ſemis, ad unam.

SPECIES

SPECIES CEPHALICÆ.

℞. Ambræ gryſeæ drachmam unam,
ſubigatur probè cum
Sem. Citri excortic.
Pœoniæ excort. ana drachmâ
ſemis,
Moſchi opt. Orient. ſcrupul. unum,
ſoluti ad pulticulam cum
Aquæ florum Arantiorum particula,
in mortario ſubigendo,
Ol. Stil. Cinamomi ſcrupul. unum,
Caryophyll. ſcrupul. ſemis,
Ligni Rhodii ſcrupul. unum,
prius cum
Sacchari albi s. pulv. unciâ unâ
commixtorum,
Pul. Ligni Aloës opt. gum.
Rad. Doronici veri,
Nuc. Moſchatarum,
Cardamomi min.
Succini albi præpar. ana unciam
ſemis.

Fiat Pulvis ſubtilis, in vitro probè clauſo cuſtodiendus.

In virtute & doſi cum aliis ſpeciebus Apoplecticis & Cephalicis coincidit.

SPECIES CORDIALES TEMPERATÆ PRETIOSÆ.

℞. Sacchari albi Canar. uncias duas,
ſolvantur ſuper igne leni cum ſ. q.
Succi ex Corticibus Citri extimis
radulâ comminutis expreſſi,
ſine ebullitione, ac ſi tabulæ ex ſuccis acidis confici deberent; cui ab igne remoto adde, ut in eo liqueſcant,
Ambræ gryſeæ drachm. ſemis vel unam,
prius cum
Seminis Citri excort drachma ſemis
probè ſubactam,
Reſinæ Storacis calamitæ drachm. ſemis;
& cùm nonnihil refrixerint, ſequentes pulveres ſupperaddantur, utpotè
Pulv. Ligni Aloës gum. uncia ſemis,
Rad. Doronici veri,
Croci Auſtriaci ana drachmæ
duæ,
Nuc. Moſchatarum,
Macis ana drachma una ſemis,
Sem. Chermes legitim. drachmæ duæ,
Magiſt. ſolub. Perlarum Orient. drachma ſemis,
Corallorum rub.
Matris perlarum ana
ſcrupuli duo,
Ol. Still. Cinamomi ſcrupulus unus,
Roſarum veri gutt. xij.
prius cum
Eſſentiæ Citri Sacchar. n. uncia ſemis
permixtorum.

Fiat Pulvis ſubtilis in vitro probè clauſo cuſtodiendus.

Præſtantes ſunt Species, ad omnes corporis imbecillitates, Spiritus cùm vitales tùm animales adaugent, recreant, concoctionem adjuvant, & vertiginem abolent, ſalubre ſenibus medicamentum. Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis.

SPECIES CORDIALES SOLARES, ET ALEXIPHARMACÆ.

℞. Bezoardici aurei noſtri, ſupra *in Claſſe de Pulveribus* trad. unciam ſemis,
Lapid. Bezoar. Orient. veri non factitii,
Occident. an. drachmas duas,
Unicornu mineralis ſeu foſſilis,
Unicornu veri Marini,
Cort. Arantiorum,
Citri ana extim. & recenter ſiccatorum drachmas duas,
Ligni Aloës gum. drachmas tres,
Granorum Chermes legitim.
Cinamomi acuti ana drachm. duas,
Croci Auſtriaci drachm. unam ſem.
Sem. Citri excorticat. drachm. duas,
Magiſt. ſolub. Margarit. Oriental.
Corall. rub. ana drach. unam ſemis:

His omnibus in pulverem redactis & probè mixtis imprimatur manibus ſaltem
Succus Oleaginoſus fragrans & ſubtilis
Corticum quatuor pomorum Limoniorum:
Servetur pòſt uſui in Vitro arctè clauſo.

Sunt Species præſtantiſſimæ in Peſte & Febribus malignis, Cor inſigniter roborantes, ſpiritusque vitales in omnibus infirmitatibus egregriè reficientes. Doſis ſcrupulus ad drachm. ſemis.

SPECIES ANTEPILEPTICÆ.

℞. Sem. Pœoniæ excoricat. unciam ſemis
Bardanæ drachmas duas:
contundantur minutiſſimè in mortario ad pultis formam, additâ ſ. q. Aquæ florum & radicum Pœoniæ ſine addit. ſtillatæ, ac per cribrum ſetaceum cogantur: Huic Pulpæ adde
Bezoard. n. Cervini ſimpl. *pag. 634. Animadverſion. n. deſcr.* unciam ſemis,
Rad. Pœoniæ d. t. coll.
Doronici veri,
Nucum Moſchatarum ana drachmas duas,
Cranii humani ſubtiliter raſpati,
Succini albi præpar. ana drachm. tres,
Margaritar. præpar. drachmam unam ſemis,
Viſci quercini,
Cardamomi ana drachmas duas.
Quæ omnia leni calore denuò exſiccentur, & in Pulverem tandem ſubtilem redigantur: *Qui ad inſultus Epilepticos inhibendos efficax eſt, à ſcrupulo uno ad drachmam ſemis.*

SPECIES ANTEPILEPTICÆ ALIÆ.

℞. Bezoard. Cervini ſimpl. ſeu Pulv. ex Typhis Cervi *pag. 634. Animadverſ. n.* deſcripti drachmas ſex,
Cranii humani ſubtiliter raſpati unciam ſemis,
Raſuræ Ungulæ Alcis drachmas duas,

Rad.

Rad. Pœoniæ Mar. d. t. coll.
Doronici veri ana unciam semis,
Sem. Pœoniæ excort.
Bardanæ,
Nuc. Moschat. ana drachmas duas,
Magist. solub. Margarit. Orient.
Corall. rub. ana drach. unam.
Fiat ex omnibus Pulvis subtilis,

Ad supra dictos insultus Epilepticos inhibendos efficax. Dosis scrupulus unus, ad drachmam semis.

Nota: Quod huic intentioni, aut contra hunc affectum, diversæ Compositiones, vel Pulveres antepileptici, ex rebus, quas Authores passim commendant, concinnari possent: Utpotè, ex Cinnabari nativa, vel Antimonii, Magisterio & Bezoardico Lunari; Jecinoribus Ranarum viridium paluſtrium; Secundinis exsiccatis mulieris primiparæ filium enixæ; Item ex Mercurio dulci, si Vermium suspicio subesset: Verùm hæc sunt penes arbitrium cujusque Medici Practici. Si quem verò amica rerum & naturæ unitas alliciat, ut solam quampiam ex appropriatis, ac jam recensitis Compositis rebus deligat; hujus conatum probo & suffragabor.

Sub titulo Cornu Cervi Philosophici *in fine Mantissæ præcedentis Pharmacopœiæ reform.* plura Antepileptica Medicamenta extant, quæ huc referenda.

SPECIES DE GEMMIS CALIDÆ ALEXIPHARMACÆ.

℞. Bezoar Orient. veri non factitii Lusitanici drachm. unam.
Occident. drachmas duas,
Boli Armenæ cum succo Scordii n. modo præpar. & sæpius insuccatæ unciam semis,
Unicornu fossilis albis.
veri Marini,
Rad Contrayervæ,
Zedoariæ,
Cort. Limon. extim. recenter siccatorum,
Nucum Moschatarum,
Cinamomi acuti ana drachmas duas,
Croci Austr. vel Orient. drachm. unam semis,
Magist. solub. n. Margarit. Or.
Corall. rub. ana drach. semis.
Fiant, omnibus dextrè commixtis, quibusdam per se, nonnullis verò junctim pulverisatis, Species Compositæ pretiosæ & confortantes: *quæ Epidemicis & Contagiosis morbis, Cor præcipuè à labe venenata tuendo, opitulantur. In dosi harum & similium specierum error facilè non committitur, etiamsi à drachma semis, ad drachmas duas, tempore necessitatis, dosis extendatur.*

SPECIES DE GEMMIS FRIGIDÆ, ALEXIPHARMACÆ USUALES.

℞. Pulv. ex Typhis Cervi ritè parati unciam unam,
Bezoar Occidentalis,
Unicornu veri Marini,
fossilis albis. ana unciam semis,
Cort. Citri extim. & recenter siccatorum unciam unam,

Pulv. Rad. Contrayervæ drachm. ſex,
Sem. Citri excorticat.
Aquilegiæ,
Raparum alb. ana drachm. duas,
Croci Auſtriaci vel Orient. drachmam unam ſemis,
Macis drachmas duas,
Magiſt. ſolub. n. Margarit. orient. drach. unam ſemis,
Coral. rub. drach. duas,
Nitri cryſtallini puriſs. unciam unam.

Cuncta in pulverem redacta miſceantur exactè, fiantque Species pretioſæ, *Febribus malignis, Variolis, Morbillis, & Exanthematibus aliis expellendis, efficaciſſimæ. Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam ſemis & ſcrup. duos.*

SPECIES DE GEMMIS FRIGIDÆ, ALEXIPHARMACÆ VILIORES.

℞ Margaritarum Orient. præpar. drachmas duas,
Corall. rubr. præpar. drachm. tres,
Bezoar Occident drachmas duas,
Rad. Contrayervæ,
Zedoariæ,
Scorzoneræ,
Sem. Citri excortic.
Aquilegiæ ana drach. duas ſem.
Cort. Limon. extim. recenter ſiccatorum,
Pulv. ex Typhis Cervi ana unciam ſemis.
Fiat pulvis ſubtilis.

Præſtans eſt in ſubitaneis alterationibus Infantum & Senum; Febribus porrò Malignis, Exanthematibus, Variolis & Morbillis expellendis non minus efficax. Doſis ſcrupulus ad drachmam ſemis.

SPECIES HEPATICÆ.

℞ Succorum concretorum ſeu inſpiſſatorum
Agrimoniæ,
Cichorii ſylv. ex toto,
Hepaticæ nobilis,
Abſinthii noſtr. ana drachm. tres.

His ſuccis concretis impræegnentur & commiſceantur,

Pulv. Roſarum rub. uncia una ſemis.
Croci Auſtriaci drachmæ duæ,
Rad. Pimpinellæ uncia ſemis,
Calami Aromat.
Doronici veri,
Galangæ ana drach. duæ,
Ligni Aloës opt.
Santali citrini,
Santali rubri ana drachmæ duæ ſemis,
Nuc. Moſchatarum,
Cinamomi ana uncia ſemis.

Exſiccentur leni calore, chartæ incluſa, ac denuò in pulverem ſubtilem conterendo redigantur, quibus adde

Fœculæ Acetoſellæ, ſeu Salis eſſentialis, prout appellare malueris, drachmas tres,
Cremoris Tartari unciam ſemis:

Fiat ex omnibus Pulvis ſubtiliſſimus, uſui aſſervandus.

Hepar & Ventriculum roborat: proindè

inde in Cachexia, Hydrope, Icteritia salutariter exhibetur, à scrupulo uno, drachmâ semis, ad unam.

SPECIES IMPERATORIS GROSSÆ.

℞. Cinamomi acuti unciam unam semis,
Caryophyllorum,
Zinziberis,
Nuc. Mofchat. ana drachmas sex,
Macis,
Galangæ ana drachmas tres.

Conscindantur singula seorsim crassiuscule & quadratè, pro Morsellis Stomachicis & Cephalicis conficiendis; quibus tamen Amygdalæ, Pineæ, Pistachiæ, & Nuces Indicæ, conditæ, pariter quadrato vel oblongo modo incisæ, addi possunt.

SPECIES DIAIREOS.

℞. Rad. Ireos Florent. drachmas sex,
Liquiritiæ rasæ drachm. duas.

Incisæ parum coquantur in s. q. Aquæ simplicis, decoctum colatum & probè clarificatum ad uncias duas circiter evaporet: cum decocti hujus suffic. quantitate, &

Sem. Melonum,
Cucurbitæ ana excort. unciam semis,
Papav. albi drachmis quinque,
Pœoniæ excort. drach. duabus,
Pinearum mundat. drachmis sex,

fiat, probè contundendo in mortario, Pulpa, per setaceum cogenda & transmittenda; cui pulticulæ adde

Pulv. Sacchari Canar. alb. uncias tres, exsiccentur leni calore, chartæ inclusæ; quibus exsiccatis & in pulverem denuò conversis sequentia superinjiciantur, utpotè:

Pulv. Rad Ireos Flor. albis. unciæ duæ,
Amyli albi uncia una semis,
Liquiritiæ rasæ uncia una,
Camphoræ scrupulus unus,
Ol. Fœniculi still. drachma semis,

Fiant Species, & Pulvis subtilis.

Præstant in destillationibus ad fauces & asperam arteriam ruentibus; expectorationem promovent, nec non acrimoniam humorum contemperant.

SPECIES ANTIPPESTILENTIALES.

LIcet plurimæ Compositiones Pulverum Alexipharmacorum in hoc Opere præmissæ sint, *in fine* item *Mantissæ prægressæ Pharmacopœiæ* ubi de Cornu Cervi Philosophico, nec non in *Animadversionibus Classis duodecimæ* Trochiscorum, ubi de Viperis, & medicamentis ex iis parandis, actum est, Pulveres egregios alexipharmacos & antipestilentiales adstruxerim; addam nihilominus Auctarii loco unicam Compositionem haud spernendam, quæ talis:

℞. Succi Scordii recenter expressi, depurati, & ad consistentiam Mellis inspissati, drachm. sex,
Decocti ex partibus æqual.
Rad. Angelicæ,
Morsus Diaboli,
Scorzoneræ,

Imperatoriæ, parati, atque ad Extracti ſpiſſitudinem leniter exhalando abſtracti, drachmas ſex;

His mixtis imprægnentur ſequentes Pulveres, nimirum,

Pulv. Boli Armenæ cum ſucco Scordii paratæ uncia una,
ex Typhis Cervi ritè parati,
Rad. Contrayervæ,
Zedoariæ ana uncia ſemis,
Bezoar Occidentalis,
Croci Auſtriaci vel Orient.
Sem. Citri excorticat.
Rutæ hortenſ. ana drachmæ duæ ſemis,
Cort. Citri recenter ſiccator. & ext.
Nuc. Moſchatarum,
Myrrhæ rubræ translucidæ ana uncia ſemis,

Et leniſſimo calore, chartæ incluſa, exſiccentur, ut in Pulverem ſubtiliſſimum denuò conteri queant; qui aſſervetur.

Præſtant hæ Species in Febribus malignis, contagioſis, ipſaque Peſte, & à Peſtilentis luis contagione præſervant. Doſis drachma ſemis, ad unam.

SPECIES DEOPPILATIVÆ SPLENETICÆ.

℞. Gum. Ammoniaci in granis,
Myrrhæ rubræ translucidæ,
Rad. Pimpinellæ,
Enulæ,
Galangæ,
Cinamomi acuti,
Nuc. Moſchatarum ana drachmas duas,
Sem. Apii,
Sem. Fœniculi,
Naſturtii,
Petroſelini,
Urticæ ana drachm. unam ſemis,
Crem. Tartari,
Tartari Vitriolati cryſtalliſati,
Salis eſſentialis Naſturtii ex ſucco ritè parati,
Magiſt. n. ſolub. Ocul. Cancrorum ana drachm. duas ſemis.

Fiant Species, ſ. Pulvis ſubtilis.

Valent ad Lienis affectiones morboſas: in hypochondriaca igitur affectione diuturna, Obſtructionibus Hypochondriorum & Meſenterii emolumento ſunt, Menſesque Mulierum retentos promovent. Doſis drachma ſemis, ad unam.

SPECIES STOMACHICÆ.

℞. Cremoris Tartari unciam unam,
Salis Acetoſellæ eſſentialis acidi, quem fæculam appellant, ritè in terreis ſeu vitreatis vaſis parati unciam ſemis,
Nucum Moſchatarum,
Cinamomi acuti ana drachm. quinque,
Cardamomi min.
Caryophyllorum,
Calami Aromatici,
Galangæ,
Zedoariæ ana drachmas duas,
Piperis longi drachmam unam,
Mixta & in pulverem redacta reponantur uſui.

Valent hæ Species in Ventriculi debilitatibus, depravatam ejus concoctionem

ctionem emendant, crudos viſcoſos, humores incidendo, attenuando, & robur illi addendo, efficaces ſunt. Doſis ſcrupulus unus ad drachmam ſemis, & ultra.

Nota: In Medicamentis ſtomachalibus, calidioribus nonnihil, diſpenſandis & conficiendis, Regiones, Plagæ & Climata vel maximè ſunt obſervanda, ut in Aquilonaribus plus de calidioribus aromatibus, utpotè *Pipere, Zinzibere & Caryophyllis* illis adſtruatur, quàm in Auſtralibus: Quod Medicorum prudentiæ & obſervationi committimus.

SACHARUM CITRATUM SEU ESSENTIA CITRI SACCHARINA.

EX Corticibus Citriorum ſeu Limoniorum extimis, radulâ comminutis, exprimatur ſuccus prælo; cum hoc ſucco ſolvatur ſuper igne leni

Pul. Sacchari Canar. albiſs. libra una, ac ſi tabulæ ſine ebullitione (cum ſucco alias acido ſolitæ,) fieri deberent, & totaliter iterum exſiccetur, chartâ incluſum: Hoc exſiccatum ſaccharum, cum illo priori ſucco expreſſo denuò humectetur aut ſaltem irroretur, atque iterum charta incluſum exſiccetur: Tandem eidem Saccharo citrato, ex decem vel duodecim pomorum Limoniorum Corticibus recentibus, imprimatur ſuccus eorum Oleaginoſus, digitis ſaltem, & efficietur fragrantiſſimum odore, & virtute efficaciſſimum Sacharum Citratum, quod in vitro probè clauſo uſu aſſervandum.

Cordiale & Alexipharmacum eſt nobile, plurimis aliis medicamentis, pro odore & ſapore grato conciliando, admiſcendum.

ESSENTIA ARANTIORUM SACCHARINA.

PAretur ad eandem normam, quâ præcedens Saccharum Citratum, ſeu Eſſentia Citri Saccharina dextrè deſcripta eſt: Serveturque in vitro etiam clauſo.

Cordiale pariter & Carminativum, variis uſibus celebre & aptum medicamentum.

SACCHARUM ROSATUM SEU ESSENTIA ROSATA SACCHARINA.

AQua Roſarum fragrantiſſima, ſine additione, ex balneo n. vaporoſo deſtillata, denuò bis, terve, à Roſis recentibus rectificetur, vel abſtrahatur: Huic Aquæ fragranti ſpirituoſæ Roſæ recentes rubræ largiter immergantur, & in ea aliquandiu macerentur, vaſe vel vitro perquàm opt. clauſo, factâ pòſt colaturâ cum expreſſione Roſarum, ſolvatur hâc ipsâ Roſarum aquâ ſpirituoſâ & eſſentificatâ

Sacchari Canarii albi libra una, ſine ebullitione, ac ſi tabulæ ex ſuccis acidis confici deberent, ab igne pòſt protinus remotum Saccharum totaliter iterum

terum exsiccetur, chartâ inclusum, leniſſimo, ac tepido calore: Hoc ſemel exſiccatum Saccharum porrò bis, ter, quaterve, cum eâdem aquâ Roſarum eſſentificata & tinctâ nonnihil irroretur, ac toties chartâ albâ incluſum leni in calore exſiccetur. Servetur in vitro probè clauſo, tanquam ſummè Cordiale & fragrantiſſimum Saccharum, variis uſi us accommodabile. Quod ſi verò Oleum Roſarum verum deſtillatum in promptu foret, poſſet ejusdem ſcrupulus, vel drachma ſemis, eidem Saccharo Roſato adhuc immiſceri, quò multò præſtantius efficeretur.

SACCHARUM CITRATUM TABULATUM.

℞. Sacchari Can. albi uncias ſex. Solvantur in ſ. q. ſucci Citri ſeu Limon. recenter expreſſi (cui tamen Cortices Citri vel Limon. recentes & extimi prius inſuſi aliquandiu fuerint) ſine ebullitione, in patellâ ferreâ vel terrea; cui ab igne remoto adde

Corticum Citri ſeu Limon. recent. & extimorum radulâ prius comminutorum, ac ſubtiliſſimè in lapideo mortario contuſorum unciam unam, vel unam ſemis,

Item

Eſſentiæ Citri Saccharinæ paulò ante edoctæ unciam unam.

Fiant lege artis Tabulæ vel Morſelli, *Cor, & vitales ſpiritus inſigniter roborantes.*

Nota: Quòd ſi fortè nonnemo *Eſſentiæ Citri ſaccharinæ, ſuperius edoctæ, Elæoſaccharum Citri*, ex *recentium horum Corticum Oleo ſtillato* paratum, ſurrogari vellet, cum eodem non pugnabo, ſed neceſſum eſt, hoc, de eodem *Oleo ſtillato Citri* notatu ac ſcitu dignum, obſervet. Nimirum, ſi illud ex *recentiſſimis, & nullo modo, nec unicâ die, putrefactis aut fermentatis Corticibus*, ſolâ aquâ affusâ, illicò deſtillatum fuerit, illud odore ſummè fragranti & naturali Citrio gaudere, neque, in multos annos aſſervatum, rancorem aut viſcoſitatem contrahere, verùm incorruptum proſtare ſemper. Si verò id ipſum ex *fermentatis & velleviter putrefactis Corticibus* deſtilletur, odorem ingratum, â Citrio naturali planè alienum, contrahere, nec non tractu temporis ad inſtar Therebinthinæ vel ſpiritus Therebinthinæ olere, quandoque etiam viſcidum craſſumque evadere, certiſſimum, ac experientiâ confirmatum eſt. Hinc Pharmacopolis ſvadeo, ut potius pauco Oleo, eoque fragranti & odore naturali Citrio gaudente, contenti ſint, quàm ejus paulò largiori quantitate, odorem verò ingratum & Therebinthinatum ſpirante; eò magis ſi illud in longum tempus aſſervandum ſit. Etenim guttula una, noſtro ſvaſu ex recentiſſimis Corticibus legitimè ſtillati Olei Citri tantum efficiet, cùm odore tùm operatione naturali, quàm plures ejusdem guttulæ ex fermentatis aut putrefactis Corticibus deſtillatæ, cujus Olei quò plus medicamento cuidam immiſceas, eò ingratiore & magis Therebinthinato odore illud

illud inquinatur: proindè non absre, quotiescunque *Oleum Citri* præscribo, illud, quod *ex recentibus eorundem Corticibus*, sine prægressa fermentatione aut putrefactione, destillatum fuerit, surrogandum esse præcipio; quamvis surdis, quia levia hæc habent, & nauci pendunt has admonitiones, fabulam narrare videar. Non equidem me latet, quod uberius *prædictum Oleum ex Corticibus fermentatis & putrefactis* proliciatur, quàm ex *recentibus illicò, sine præmissa fermentatione*, destillationi commissis; verùm præstantia Olei illius legitimè stillati, effectu propriò & naturali Citriò omnia insigniter compensabit. Etenim sicuti ex *fermentatis quibusdam*, *frigidioribus naturâ suâ*, *Plantis*, *& vegetabilibus*, utpotè *Rosis*, *Liliis convallium &c.* *Spiritus* eliciuntur *ardentes*, qui revera non refrigerante Rosarum, vel adstringente aut laxante virtute, sed potius calefaciente & inflammante pollent, à natura rosarum primæva alieni; pari ratione & hoc *Oleum Citri*, de quo nobis in præsentia sermo est, si ex *fermentatis aut putrefactis Citriorum Corticibus* destillatum fuerit, longè alias & peregrinas fortè edet operationes, ac si ex *recentibus*, *sine prægressa fermentatione aut putrefactione*, prolectum sit; quippè quod odor & sapor, qualitatum primarum & secundarum Ideæ confirmant. Indies proinde magis perspicio, quàm arduum sit, Medicinam facere illi, qui insignes medicaminum differentias & virtutes, solâ sæpius siniſtra & differenti præparatione emergentes, non perspexerit, sed cuncta fidei alienæ & peregrinæ committere necessum habet.

Notetur præterea: Quod ex *Corticibus Citriorum recentibus præstantissimum Oleum, odore & virtute Citrio naturali ac proprio* efficacissimum, per balneũ nostrum vaporosum, *in Classe XV. de Aquis destillandis ari incisa figurâ* expressum, destillando, sine ulla liquoris aut aquæ affusione, elici possit, exiguâ licet in copiâ, quam tamen effectus & præstantia, prout superius dictum, insigniter supplebit. Cum enim hoc *Oleum nullo Corticibus affuso liquore*, sed per se, absque ullo additamento, destillatum sit, procul dubio etiam majoribus præ reliquis, simpliciter largâ copia aquæ simplicis affusâ, *destillatis Oleis*, virtutibus pollebit, siquidem *Aqua, quâ Citrii aut Limoniorum Cortices* ad veterum normam & institutum prius macerati, destillantur, magnam virium portionem, fragrantiæ pariter & energiæ partem *Oleo Citri destillatione* parando ut subtrahat, necessum est. Nisi enim sic usu veniret, unde suam fragrantiam, & Citrium odorem, quô pollet, hæc larga aquæ destillatæ copia mutuaret, nisi sulphureo ac subtilissimo Citri Spiritui, qui per minima illi uniri potest, sociata, eique indissolubili nexu colligata, secum arriperet, *ac Oleo* eundem suffuraretur? Quippe quod manifestè, repetita similium *Oleorum essentialium* destillatione, aut rectificatione, beneficio *novæ aquæ* affusione peragendæ, comprobari potest, ubi patebit, quod vix dimidia pars *Olei rectificandi*, *in Oleaginosa sua substantia vel forma* transitura

sit, reliquâ verò pars dimidia, *aquæ*, cum qua destillatur, in rapinam cedat; quam etiam odore & fragrantia imbuit. Notent hanc quam ficcissimè suggero Theorematis loco cautelam Pharmacopœi, ac juxta hanc normam & Idæam alia quædam ex recentibus rebus destillent Olea, præsertim Terebinthinæ, cujus Spiritus Oleaginosus efficacissimus & æthereus futurus, si nullam affundant aquam, sed solâ & leni destillatione per alembicum, absque ullo additamento, propellant. Cum enim aqua per destillationem exstillans, Terebinthinam odore & fragrantiâ per omnia æmuletur, consentaneum est, illam à spirituali portione & subtiliore Terebinthinæ indole imbui ac imprægnari, facto notabili dispendio Oleaginositatis.

SACCHARUM ROSATUM TABULATUM.

℞. Pul. Florum Rosarum rubicundiss. uncias duas vel amplius, quibus superaffundatur.

Succi Citri vel Berberum q. s. ut fiat instar pulmenti.

Jam

℞. Sacchari Can. albi pulverisati libram unam,

quod in patella supra ignem cum prædicti Rosarum pulmenti suffic. quant. liquefac & dissolve, in modum, ac si Tabulæ ex succo aliquo acido efformari animus esset; remoto post ab igne, nullâ factâ ebullitione aut coctione, fiant Morsuli vel Rotulæ; cavendo tamen, ne nimium succi Citri Pulveri Rosarum affundatur, quo ambæ unciæ Rosarum Saccharo destinato imprimi queant: pro odore tamen grato eidem Saccharo conciliando, præstaret, nonnihil de Essentia Rosata Saccharina, *paulo ante edocta*, ultimò ipsi ante fusionem adjecisse.

MANUS CHRISTI, SIVE TABULÆ PERLATÆ CONFORTANTES.

℞. Magist. solub. n. Perlarum Orient. & si lubet etiam,

Magist. solub. n. Coralliorum rub. & Matris Perlarum ana drachm. duas.

Dissolvantur enim suffic. quant. Succi Citri recenter & jam jam expressi ad formam pulticulæ, quâ pulticulâ porrò

Sacchari Can. alb. pul. libra una solvatur in patella ferrea, ut moris est in confectione tabularum cum succis acidis parandarum, sine ebullitione, nimirum, addendo

Essentiæ Citri saccharinæ paulò supra edoctæ, unciam unam,

vel, si odor Rosarum magis delectet,

Essentiæ Rosarum supra etiam edoctæ tantundem substituatur.

Fiant Rotulæ Perlatæ præstantes, *in omnibus animi defectionibus salutariter exhibendæ.*

Nota: In defectu *Succi Citri aut Limoniorum* recenter expressi, *succus Berberum aut Ribium* surrogetur.

SACCHA-

SACCHARUM GEMMATUM SEU PERLATUM.

℞. Magiſt. n ſolubil. Perlarum Orientat. drachmas duas,
Coralliorum,
Matris perlarum,
Oculorum Cancrorum ana drach. tres.
Solvantur in
Succi Citri aut Limon. recenter & jamjam expreſſi unciis circiter tribus:
porrò cum hac ſolutione
Sacchari Can. albi pulv. unciæ octo liquefiant ſuper igne recenti carbon. in patella ferrea, ſine ebullitione, aut coctione ſa. cui ultimo adde
Eſſentiæ Citri Saccharinæ unciam unam ſemis,
fiantque l. a. Morſelli vel Tabulæ, leniter exſiccandæ.

MORSELLI CEPHALICI REGII.

℞. Sacchari Canar. albi libram ſemis vel uncias octo:
ſolvantur in portiuncula aquæ Cinamomi vel florum Arantiorum, & ad conſiſtentiam Tabulati coquantur; in quo ab igne remoto liquefac
Ambræ gryſeæ drachmam ſemis, vel pro ditioribus, drachmam unam, prius tamen cum
Sem. Citri excort. drachma ſemis probè ſubactæ:
ſuperaddendo ſtatim
Moſchi Orientat. opt. ſcrupul. unum, cum
Aquæ Florum Arantiorum exigua port. in pultem redacti,
Nucum Indicarum condit. & craſſiuſculè inciſarum unciam unam,
Conf. Florum Arantiorum,
Tunicæ ana drachm. ſex,
Piſtach decort. & conciſorum unciam unam,
Elæoſacchari Cinamomi drachm. ſex, ſumendo drachmam ſemis Olei pro uncia una Sacchari,
Eſſentiæ Roſatæ Saccharinæ antea edoctæ unciam unam.

Fiant *Morſelli confortantes & Cephalici, Caput, Cerebrum, ac univerſum Nervoſum genus inſigniter roborantes.*

MORSELLI CEPHALICI ALII.

℞. Sacchari albi Can. libram unam, ſolvatur in portiuncula Aquæ Cinamomi, vel Florum Arantiorum, & ad conſiſtentiam Tabulati denuò, coquendo parum, redigatur, cui ab igne remoto adde, ac in eo liquefac
Ambræ gryſeæ drachmam ſemis, prius cum
Sem. Citri excort. ſcrupulo uno probè ſubactæ
Reſinæ Storacis Calam. drachm. unam,
Extr. Ligni Aloës n. m. dextrè parati drachm. unam ſemis,
ſuperaddendo ſtatim his liquefactis
Nuc. Indicarum condit. & conſciſſar. unciam unam,

Conſ. Flor. Anthos,
Betonicæ,
Tunicæ ana n. m. paratarum, ex anatica nimirum portione Florum & Sacchari, drachmas ſex,
Piſtach. decort. & craſs. inciſorum, unciam unam,
Pul. Rad. Doronici veri,
Cardamomi min.
Nucum Moſchat. ana unciam ſemis,
Elæoſacchari Cinamomi unc. unam,
Eſſentiæ Roſarum Saccharinæ drach. ſex.

Fiant Morſelli præſtantiſſimi: *Cerebrum ac univerſum nervoſum genus, ut & Ventriculum frigidum. inſigniter roborantes.*

MORSELLI CONFORTANTES VIRILES.

℞. Sacchari Can. alb. libram unam, ſolvatur in ſ. q. Aquæ Cinamomi, in qua Radices Satyrionis aliquandiu maceratæ fuerint, & denuò ad Tabulati conſiſtentiam percoquatur, in quo ab igne remoto diſſolvatur

Ambræ gryſeæ drachma una, vel drachma ſemis, plus minus vè pro fortuna & conditione Patientis. addendo ſtatim
Rad. Satyrionis condit. & conſciſs. unciam unam ſemis,
Nuc. Indic. cond. drachmas ſex,
Zinziberis Indici cond. unc. unam,
Cort. Arantiorum cond. unciam ſem.
Carnis Scinci Marini,
Veratri Cervi raſpati ana drach. tres,
Piſtach. decortic.
Pinearum mund. ana ineiſ. drachm. ſex,
Cardamomi min.
Sem. Erucæ,
Lingvæ avis,
Macis,
Piperis longi ana drachmas tres,
Ol. Cinamomi opt. ſtill ſcrup. unum,
Caryophyll. ſcrup. ſemis,
prius cum
Eſſentiæ Citri Saccharinæ uncia una permixtorum.

Fiant Morſelli *egregiè confortantes, ac ſemen inſuper augentes.*

MORSELLI CONFORTANTES.

℞. Sacchari albi Can. in aq. Roſarum ſoluti libram unam,
Percoque ad conſiſtentiam Tabulati, in quo ab igne remoto, & nonnihil à fervore remittente, diſſolve:

Ambræ gryſeæ ſcrupulum unum vel drachm. ſemis,
Reſinæ Ladani ſcrupul. ſemis,
ſuperaddendo
Piſtach. excorticat.
Pinearum mundat.
Amygd dulc. excort. ana drach. ſex,
Nuc. Indicarum cond. unciam unam ſemis,
Ol. Cinamomi ſcrupulum unum ſemis,
Caryophyll. ſcrup ſem.
Nuc. Moſchat. expr. drachmam ſemis,
prius cum

Eſſentiæ

Eſſentiæ Citri vel Roſarum Sacchari-
rinæ uncia una ſemis
permixtorum.
Fiant l. a Morſelli.
Vel.

℞. Sacchari Can. alb. libram unam,
Quam ſubtiliſſimè tritam cum ſufficic. quant. Succi Citri aut Limoniorum acidi, recenter & jam expreſſi, ſupra ignem recentem ſine coctura, in patella ferrea, ſolve ſ. a. Huic adde craſſiuſculè inciſa ſequentia:

Pinearum mundat.
Piſtachior.
Amygd. dulc. ana decort. unciam unam,
Nuc. Indic. condit. unciam unam ſemis,
item, ſi lubet,
Ambræ gryſeæ ſcrupul. vel drachm. ſemis,
Olei ſtill. Cinamomi ſcrupul. unum,
Caryophyll. ſcrupul. ſemis,
Nuc. Moſchat. expr. ſcrupul. unum,
prius tamen
Eſſentiæ Citri vel Roſarum Sacchari-
rinæ unc. una ſemis immixtorum.
Fiant. Morſelli *pretioſi & confortantes*.

MORSELLI HEPATICI.

℞. Rad. Cichorii ſylv. recent. unc. tres,
Flor Roſarum rub. recent. unciam unam,
Ligni Santali rubri drachmas duas,
Fiat cum ſuffic. quantit. Aquæ ſimplicis decoctio ad uncias decem circiter: cum decocto hoc colato & probè clarificato diſſolve

Sacchari Can. albi libram unam, ac denuò coquendo ad conſiſtentiam Tabulati redigatur, cui ab igne remoto adde

Conſ. Roſarum rub. ex anatica quantitate Roſarum & Sacchari paratæ uncias duas,
Hepat. nobil. itidem ex anatica quant. Florum & Sacch. factæ unciam unam ſemis,
Flor. Tunicæ n. uti ſupra unciam unam,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. & radulâ ſubtiliſs. comminut. unciam ſemis,
Nuc. Moſchat. conſciſs. unciam ſemis,
Magiſt. n. ſolub. Corall. rub. drachm. tres,
Fiant Morſelli ſ. a.

Valent ad Hepar roborandum, ejusdemque obſtructionibus reſerandis, Cachecticis, & Hydropicis ſuccurrunt.

MORSELLI ALII HEPATIC.

℞. Succi Limon. recenter expreſſi uncias circiter quinque,
in quo macerentur
Rad. recent. Cichorii ſylv. uncia una ſemis,
Flor. Roſarum rub. recent. uncia una, vel ſiccat. uncia ſemis.

Factâ maceratione per diem & noctem, fiat colatura cum expreſſione forti: Hoc ſuccô expreſſô diſſolve,

Sacchari Can albi triti libram unam, ſupra ignem recentem, ſine coctura ſ. a. cui ab igne remoto adde

Conſ. Roſarum rub. recent. ex quantitate æquali Roſarum, & Sacch. paratæ uncias duas,

Hepat. nobil. n. uti ſupra unciam unam ſemis,

Flor. Tunicæ n. unciam unam,

Nuc. Indicar. cond. & coſciſa drachm. ſex,

Cort. Arantiorum,

Citri ana recent. radulâ comminut. & inciſor. drachm. duas,

Eſſentiæ Citri, vel potius Roſarum Saccharinæ unciam unam, vel unam ſemis.

Fiant l. a. Morſelli, *Hepati, & Ventriculo debilitato ſuccurrentes.*

Oedipus non ſum: Nonnullos tamen Pharmacopœos futuros auguror, qui hos Morſellos ac conſimiles Confectiones, (paratu quidem faciles, plus tamen artis requirentes) dexterè conficere ignorant: Hi mihi nequaquam ſuccenſeant, quod communem Stylum ac Methodum declinans, quæ unciam unam ſpecierum, vel ad ſummum unciam unam ſemis, libræ uni Sacchari, pro Morſellis vel Rotulis conficiendis deſignat, aliud amplexer dogma: ſed propriam potius ſuggillent imperitiam, hoc ſibi firmiſſimè perſvadentes, me talia longa arte, annis & Methodo tractaſſe, ac apprimè noſſe, quid Ratio & Experientia conſulat, quid inhibeat. Non enim rationi contrariatur; cum non ſacchari gratiâ hæ & ſimiles Confectiones diſpenſentur, ægrisque porrigantur, ſed intuitu ſpecierum, quas ſaccharo inveſtimus, quæ ſolæ medicatæ ſunt, & opem langventibus ferunt: Saccharum interim familiare tantum ægris vehiculum eſt, aut, ſi mavis, baſis ac materia, è qua in hoc vel illud Medicamenti genus ac formam, velut durabile corpus, hæ ſpecies coaleſcunt, ægrisque propinantur, ut proindè quo plures Species aut medicatos Pulveres, Condita, Conſervas, aliasque Confectiones beneficio Sacchari, quod unionis ac glutinis inſtar ſe habet, in unum corpus colligaveris, conſiſtentiæ interim debitæ, ac guſtui nil derogando, tantò conformius rationi & experientiæ operaberis, ſenſatus Medicus audies, ægrisque conſulturus: Quod ſi verò contrarium ſecteris, non niſi diſpendium æris ſanitatis exindè præſtoleris. Neque hæc etiam ipſi Experientiæ refragantur, me arbitro, & aliis peritioribus Pharmacopœis, qui multoties hanc Spartam ſubivimus, difficiliores haſce Rotulas & Morſellos præparando. Etenim Conſervæ, Fructus, Condita, Cortices recentes contuſi, Saccharum ad conſiſtentiam Tabulati coctum, amplius non exſiccant, ſed potius humiditatem conciliant, quô facilius deindè ſicciores Species Saccharo dicto uniri & permiſceri valeant. Proindè habenda eſt ratio cumprimis ſpecierum ſaccharo miſcendarum, & non pondus ſolum reſpiciendo, ſed conſiſtentiam, qualitates, ſiccitatem & humiditatem potius ſpecierum plerumque contemplando: quibus exploratis, conſiſtentiam,

stam, quam competere videbis, solidiorem aut liquidiorem, saccharo coquendo attribues, & errorem nunquam committes.

MORSELLI VEL ROTULÆ PECTORALES.

℞. Sacchari albi Can. libram unam,
solvatur vel in
Succi sempervivi majoris depurati libra semis,
in quo prius
Rad. Enulæ incisæ uncia semis,
Ireos Florent. drachmæ duæ,
parum ebullierint,
vel etiam in
Aquæ Rosarum fragrant. sine addit. still. libra semis,
in qua prius
Rad. Enulæ uncia semis,
Ireos Florent. drachmæ tres,
aliquandiu tantum infusæ & maceratæ fuerint.

Coquantur ad consistentiam Tabulati, cui ab igne remoto injice
Resinæ Storacis calam. drachm. duas,
Specier. Diaireos n. superius paulò descriptarum unciam unam semis,
Pul. Rad. Enulæ drachmas duas,
& si lubet:
Pul. Croci opt. drachmam unam,
Essentiæ Rosatæ Saccharinæ,
Elæosacchari Anisi ana unciam sem.

Fiant s.a. Rotulæ vel Morselli, *in affectibus Pectoris Catarrhosis, Tussi diuturna, Pleuritide & Phthisi ipsa perutiles.*

MORSELLI STOMACHICI.

℞. Rad. Acori,
Rad. Calami Aromat.
Galangæ ana drachmas tres,
Zinziberis drach. unam semis.

Incisæ coquantur parum in s. q. Aquæ simplicis ad libram semis circiter: cum colatura solvatur
Sacchari albi Can. libra una,
ac denuò ad consistentiam Tabulati coquendo redigatur, cui remoto ab igne adde
Nuc. Indic condit. & conscis. unciam unam semis,
Zinziberis Indici cond. & conscissi unciam unam,
Calami Aromatici condit.
Cort. Arantiorum,
Citri ana cond. & conscis. unciam semis,
Amygd. dulc. decorticat.
Pistach. decort. ana incisorum unciam unam;
Nuc. Moschat. conquass. unciam semis,
Cardamomi minoris drachmas tres,
Macis,
Piperis longi,
Caryophyllorum ana drachmam unam semis,
Cinamomi acuti incisi unciam semis.

Fiant, s.a. Morselli, *qui Stomachum & reliqua viscera infrigidata confortant, appetitumq; excitant, & flatus comprimunt.*

PASTA PRO PLACENTULIS STOMACHALIBUS.

℞. Amygd. dulc. decort. uncias duas,
Pistach. decort. unciam unam semis.

Contundantur probè & minutissimè in mortario

mortario ad pultis formam, affundendo paulatim portiunculam aquæ Rosarum fragrantis. vel Cinamomi; post adde
Sacchari pulv. albi uncias octo,
Cort. Arantiorum,
Citri ana cond. unciam unam,
Farinæ triticeæ uncias tres,
Pulv. Cinamomi acuti drachmas sex,
Caryophyllorum,
Nuc. Moschat. ana unciam sem.
Piperis longi,
Zinziberis ana drachmas tres.
Fiat pasta, ex qua formentur Placentulæ parvæ ad lubitum, & in fornace vel sartagine occlusâ, moderato calore pinsentur.

CINAMOMUM COCTUM.

℞. Amygd. dulc decort uncias tres,
Pistach. decort. unciam semis,
Contundantur minutissimè in mortario ad pultis formam, addita paulatim s. q. aq. Cinamomi opt. quibus adde
Sacchari Can. albi pulv. uncias octo,
Pulv. Cinamomi acuti uncias tres,
Boli Armenæ Orient. præparat. drachm. sex vel unciam unam,
Cardamomi,
Piperis longi,
Zinziberis ana drachmas duas,
Ol. Still. Cinamomi scrupulum unum, vel drachmam semis,
cum suffic. quant. Mucilag. Tragacanthi, aquâ Cinamomi extractæ, fiat Massa, ex qua formentur Cannulæ instar Cinamomi, siccentur leniter.

ALIUD.

℞. Pulv. Cinamomi acuti uncias duas,
Pulv. Zinziberis albi unciam semis,
Caryophyllorum,
Nuc. Moschat. ana drachmas duas semis,
Boli Armenæ drachmas sex,
Ol. Cinamomi still. scrupulum unum, vel drachm. semis,
Sacchari Can. albi libram unam:
E quibus mixtis, inque pulverem redactis, additâ s. q. Mucilaginis Tragacanthi, aquâ Cinamomi extractæ fiat Pasta, è qua formentur Cannulæ instar Cinamomi convolutæ.

Roborant Ventriculum & Cerebrum, facultatem concoctricem labefactatam confortant, & anhelitum gratum efficiunt.

TRAGEA AROMATICA COMMUNIS.

℞. Pulv. Cinamomi acutissimi unciam unam semis,
Nuc. Moschatarum drach. sex,
Macis drachmas duas,
Galangæ,
Caryophyllorũ ana drach. tres,
Piperis longi,
Zinziberis ana drachmas duas,
Semin. Carui unciam semis,
Sacchari albissimi libras duas.
Misc. fiat Tragea *pro roborando Ventriculo infrigidato.*

TRAGEA GROSSA CEPHALICA PRETIOSA.

℞. Flor. recent. Anthos,
Betonicæ,
Tunicæ rub. ana unciam unam,
Flor. recent.

Flor.recent. Arantiorum drach. ſex, Incidantur prius, contundanturque dein in mortario lapideo minutiſſimè, quibus adde

Pulv. Rad. Doronici veri drachm. ſex,
Nuc. Moſchat. unciam unam,
Macis,
Cardamomi,
Caryophyllorum ana unc. ſem.
Cubebarum drachmas duas,
Ligni Aloës gum. unciam ſemis,
Ambræ gryſeæ drachmam unam,
ſolutæ in
Ol. Cinamomi drachma ſemis, vel ſcrupul. duobus,
Moſchi Orientalis ſcrupulum unum,
ſoluti in
Aquæ Flor. Arantiorum portiuncula,
Pul. Sacchari Can. albi libram unam.

Miſceantur exactè, & additâ ſuffic. quant. Mucilaginis Tragacanthi aquâ Roſarum extractæ, fiat, contundendo in mortario Maſſa tenax, ex qua formentur Globuli parvi, ad inſtar pilularum Francofurt. ac in leniſſimo calore exſiccentur. Hi Globuli ut gratiores guſtui, & Confectioni cuidam Coriandri vel Cubebarum ſimiles appareant, ſaccharo albiſſimo clarificato, & ad debitam Syrupi craſſioris conſiſtentiam cocto (Confectariis notam) obducantur, ut artis eſt. Sic verè Regia efficietur Confectio, æquè uſui ac guſtui grata & efficax.

Pro iis, qui *Ambram & Moſchum* ferre nequeunt, vel æri parcere volunt, ſine his conficiatur.

TRAGEA GROSSA CEPHALICA VILIOR.

℞. Pul. Cardamomi min.
Cinamomi acuti ana unc. unam,
Nuc. Moſchatarum unciam unam ſemis,
Macis drachmas ſex,
Caryophyllorum unciam ſem.
Cubebarum,
Aniſi,
Fœniculi,
Pul. Carui,
Coriandri ana unciam ſemis,
Rad. Doronici veri drachm. ſex,
Reſinæ Storacis drachmas tres,
Ladani drachm. unam ſemis:

Conterenda in pulverem redigantur, & additâ

Sacchari albi & triti libra unâ efficiatur cum ſ. q. Mucilaginis Tragacanthi Paſta, ex qua formentur Globuli ad inſtar pilularum parvarum, Saccharo porrò candido, vel criſpaturâ ſaccharinâ apud Confectarios (ſi Pharmacopœi in Confectionibus ſimilibus parandis verſati non ſint) obducendi.

TRAGEA GROSSA COMMUNIS.

℞. Cinamomi acutiſs. unc. unam ſemis,
Nucum Moſchat. drachm. ſex,
Caryophyllorum,
Cardamomi,
Calami Aromatici ana unc. ſemis.

Fiat omnium Pulvis: & addita

Sacchari albi Can. pulv. libra unâ, efficiatur Maſſa tenax cum ſ. q. Mucilaginis Tragacanthi, ex qua formentur Globuli parvi, qui leviter prius exſiccati, obducantur Saccharo, prout in

præcedentibus monſtratum, quibus tandem jungantur

Confect. Aniſi,
Fœniculi,
Carvi,
Coriandri ana legit. & ſine farina parat. unciæ tres.

Fiat Tragea groſſa, *Ventriculo & Capiti proficua.*

TRAGEA GROSSA ALIA STOMACHALIS.

℞. Pul. Cinamomi acutiſſimi unc. unam, ſemis,
Cardamomi min.
Nucum Moſchatarum ana unciam unam,
Calami Aromatici,
Caryophyllorum,
Macis,
Galangæ ana drachm. quinque,
Piperis longi,
Zinziberis ana drachm. duas,
Sem. Erucæ drachmas ſex,
Granor. Maſtichis unc. ſemis,
Reſinæ Storacis Calam. drachm. ſex.

Miſceantur exactè, & additâ
Pul. Sacchari Can. albi libra unâ ſemis,
fiat cum ſuffic. q. Mucilag. Tragacanthi Paſta tenax, ex qua formentur Globuli parvi, qui porrò, prius leniter ficcati, Saccharo ſupradicto modo obducantur, & efficietur Confectio *præſtans, Ventriculo refrigerato & debilitato proficua.*

Hiſce, & huic Claſſi, quæ præſtantes Medicatos Pulveres ac Species, nec non plurimarum Confectionum Typum ac Idæas expreſſit, ad morborum Centurias expugnandas, Coronidem impono: Neque enim artis & induſtriæ fore autumo, ad multorum æmulationem, ingrata prolixitate ſine fine & numero diverſas Specierum formas & Compoſitiones coacervare, ut merito dubius, aut anxius hæreas, quonã noto etymo ejusmodi Compoſitorum farragines diſcrimines. Verùm cum exercitatiſſimi Medici non numero, ſed delectu Medicamenta appretient, illis me conformare volui, ac inutilem medicamentorum turbam, quâ reliqua Diſpenſatoria inviſa ſunt, non re aut ingredientibus diverſa, peregrino ſolum nomine inſignita, ab hac Claſſe noſtrâ arcere. Boni conſulat L. B. amicâ brevitate ſelectiſſimas, arte & energia plenas ſibii concreditas in hac Claſſe Species.

Fruſtra enim citra neceſſitatem entia multiplicantur.

PHARMA-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS DUODECIMA, TROCHISCORUM RITE PARANDORUM RATIONEM VERAM indicans.

DE Trochiſcis in hac Claſſe acturus, velim ut huc pariter referantur, quæ ſuperius in Animadverſionibus ſuper propriam ipſorum Claſſem *diſſeruimus, nimirùm, quale Medicamenti genus ſint, & quàm inutilia quædam illorum Medicamenta, inhabilia planè, quæ in ſuâ propria forma uſui Medico inſervire queant, ſed opus habeant, ut in pulverem denuò redigantur: hoc autem aptè fieri non poſſe, neque etiam conſultum eſſe,* ibidem *demonſtravimus. Ne tamen Officinæ pharmaceuticæ Trochiſcis omninò deſtituantur, addam aliquot formulas, congruasque Compoſitiones, Medico in diverſis morborum generibus profligandis, ſuâ propriâ formâ, abundè ſufficientes; juxta quorum-*

normam & alia Medicamenta conformari possunt.

AGARICUS TROCHISCATUS.

AGaricus, qui leviſſimus fungorum eſt, ac proindè in propria ſubſtantia volatilis, ac trituræ ineptus, quod in floccos facilè abeat, ac operantem Pharmacopœum remoretur, novam veluti ut induat formam, neceſſe habet: Quâ autem dexteritate id præſtari poſſit, ſuperius *in Animadverſionibus* dictæ *Claſſis de Trochiſcis*, pag. 295. aperui. quo B. L. directum cupio.

TROCHISCI ALHANDALI.

PRopter eandem cauſam, ob quam Agaricus, ſummam nimirum levitatem & difficillimam triturationem, etiam Colocynthis in Trochiſcos cogitur, qui Alhandal dicuntur, quorum præparatio pariter ex ſuperioribus noſtris *Animadverſionibus Claſſis propriæ pag. 295.* patebit.

TROCHISCI ALIPTÆ MOSCHATÆ.

HOrum Trochiſcorum legitimæ præparationes, cùm interno uſui, tùm ſuffumigiis deſtinatorum, videantur pariter *in Animadverſionibus n. ſuper propriam Trochiſcorum Claſſem factis pag. 295* quas Amicus Lector adeat.

TROCHISCI BECHICI ALBI.

℞. Semin. quatuor frig. major. excort. unciam unam ſemis,
Papaveris albi,
Pinearum mundat. ana unciam unam,

Contundantur minutiſſimè ad formam pultis, affusâ paulatim Aquæ Roſarum ſuff. quant ut per cribrum ſetaceum anguſtum ferè totaliter transmitti queant, quâ aſſervatâ pulticulâ, accipe

Pul. Sacchari Can. albi unc. ſedecim,
Rad. Ireos Flor. albiſſimæ,
Amyli ana uncias tres:

Et cum ſuperiori ſeminum pulpâ (ſi verò illa non ſuffecerit, Mucilaginis Tragacanthi ſ. q. additâ) fiat Maſſa tenax, addendo, ſi libet, aliquid Olei Aniſi, aut etiam Moſchi, formenturque ex illa Trochiſci, *Pectori decati, ad Tuſſim, & Catarrhos tenues incraſſandos proficui.*

TROCHISCI BECHICI NIGRI.

℞. Semin. quatuor frig. maj. excort. uncias duas,
Papav. albi unciam unam.

Ex his minutiſſimè contuſis, affusâ paulatim ſ. q. Succi Liquiritiæ in Aqua Roſarum diluti, efficiatur pulpa, per cribrum ſetaceum anguſtum transmittenda, quâ interim ſervatâ, diſſolve ſeorſim

Succi Liquiritiæ nigri concreti uncias quatuor vel quinque,
in ſuffic. quant.
Aquæ Roſarum fragrantis,
ad pultis formam:

Quibus pulpis, in mortario commixtis, adde

Reſinæ Storacis Calam. unc. unam,
Pul. Rad. Ireos Flor. uncias tres,
Aniſi,
Fœniculi

Fœniculi ana unciam unam,
Sacchari Canarii albi libras duas
semis,
Et Fiat (si superiores Pulpæ non suffecerint) additâ suff. quant. Mucilag. Tragacanthi, Massa seu Pasta, ex quâ formentur Trochisci pectorales, *Tussientibus & Catarrhosis dicati.*

TROCHISCI BECHICI RUBRI, ANTIPLEURITICI ET PECTORALES.

℞. Species omnes Trochisc. Bechic. albos ingredientes,
quibus adde
Extracti Flor. Papav. errat. vel Rhœad. uncias duas,
Rad. Enulæ drachmas duas,
Pul. Boli Armenæ præp. unciam unam semis,
Croci optimi drachmas duas.
Ex omnibus probè unitis fiat, beneficio Mucilaginis Tragacanthi (si Pulpæ Seminum & Pinearum non suffecerint) cum infusione Flor. Papav. Rhœad. factæ, Massa seu Pasta s. a. ex qua formentur Trochisci: *Qui in omnibus Pectoris affectibus, Tussi antiqua, Pleuritide, Sputo cruento, imò in Phthisi ipsa, cum emolumento exhibentur.*

TROCHISCI DE BENZOE AD USUM INTERNUM.

℞. Sacchari Can. albi libram unam, solutum in s. q. Aquæ Rosarum fragr. ad consistentiam Tabulati coquendo redigatur; in quo ab igne remoto dissolve,
Resinæ Storacis Calam. per expressionem factæ unciam unam,
item, ubi parum refrixerint,
Pul. Benzoes elect. in granis drachm. sex,
Ligni Aloës opt. gum. unc. semis,
Rad. Ireos Flor. unciam unam,
Moschi Orient. in nonnullis guttulis
Aq. Rosarum ad pultic. soluti, scrupulum unum,
& si in promptu sit,
Olei Benzoes stillati fragrantis drachmam unam.
E quibus omnibus mixtis, addita suff. quant. Mucilaginis Tragacanthi, cum Aq. Flor. Arant. factæ, efformetur Pasta, ex quâ tandem formentur Trochisci laudatissimi *pro usu interno, in affectibus Pectoris & Asthmaticis utiliter adhibendi.*

TROCHISCI DE BENZOE AD SUFFITUS PRETIOSOS.

℞. Resinæ Storacis Calam. per expressionem factæ, supra edoctæ, unciam unam.
Liquefiat leniter in patella, cui impastentur sequentia
Pul. Benzoes electæ unciæ tres,
Moschi scrupulus unus, &, si lubet,
Ambræ gryseæ scrupulus unus,
Pul. Carbonum Tiliæ q. s.
pro Massa durissima calore leni efficienda, ex qua vel Trochisci vel Pastilli instar Ceræ Hispanicæ formentur, qui omni jure pro pastillis Hispanicis habendi, & præponendi.

TROCHISCI CEPHALICI SEU CAPITALES.

℞. Sacchari Canar. albi uncias ſex,
ſolvatur in ſ. q. Aq. Roſarum, ac denuò
ad conſiſtentiam Tabulati parum co-
quatur, in quo ab igne remoto diſſolve
Ambræ gryſeæ ſcrupulum unum, vel
drachmam ſemis,
prius tamen cum
Sem. Citri excort. ſcrupulo uno
probè ſubactæ,
Reſinæ Storacis Calam. drach. unam.
His benè mixtis & diſſolutis ſuperadde
ſtatim
Conſ. Flor. Betonicæ,
Arantiorum ana ex anatica
quantit. Flor. & Sacchar.
parat. unciam unam,
Pul. Rad. Doronici veri,
Ligni Aloës ana drachmas duas
ſemis,
Nuc. Moſchatarum drach. duas,
Macis,
Cardamomi,
Cubebarum ana drachmam u-
nam ſemis,
Elæoſacchari Cinamomi drachm ſex,
Caryophyll. unc. ſemis,
ſumendo drachmam ſemis Oleorum,
pro uncia unâ pul. Sacchari,
Sacchari roſati ſuperius edocti un-
ciam unam:
Et cum ſuffic. quantit. Mucilag. Traga-
canthi, cum Aq. Roſarum fragr extractæ
fiat Paſta ſeu Maſſa tenax, ex qua Tro-
chiſci formandi, *Cerebrum & totum Caput, ut & Ventriculum, inſigniter roborantes.*

TROCHISCI CORDIALES REGII.

℞. Sacchari Can. albi uncias ſex,
cui in pulverem redacto,
adde
Ambræ gryſeæ drachmam ſemis,
prius cum
Sem. Citri excort. ſcrupulo uno
probè ſubactæ:
item:
Moſchi Orient. opt. ſcrupul. unum,
cum
nonnullis guttulis Aq. Flor. Arantio-
rum in pulticulam redacti,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. extim. & ra-
dulâ comminutor. & contu-
ſorum ſubtiliter drachmas
ſex,
Magiſt. ſolub. n. Margarit. Oriental.
drachm. ſemis,
Coralliorum rub.
Matris perlarum ana
drachm. duas,
Elæoſacchari Cinamomi unc unam,
Sacchari Roſati ſupra edocti unciam
unam.
Miſceantur exactè, ac cum ſuff. quant.
Tragacanthi in Aqua Roſarum ſoluti
fiat Paſta, ex qua Trochiſci effor-
mandi.

Qui Vires collapſas reficiunt, Spiritus vitales & animales recreant, & gratum Anhelitum efficiunt.

TROCHISCI HEPATICI REFRIGERANTES.

℞. Cremoris Tartari unciam unam,
Fæculæ

Fæculæ ſeu potius Salis Eſſentialis Acetoſellæ unciam ſemis,
Nitri cryſtallini cum Papav. errat. vel potius cum Roſis, eſſentificati drachmas duas,
Eſſent. Citri Saccharinæ,
Roſatæ Saccharinæ ana unciam unam,
Pulv. Sacchari Can. albi uncias duas,
Roſarum rub. unciam ſemis,
Santali rubri drachmas duas.

Ex his omnibus probè mixtis, additâ ſ.q. Mucilaginis Tragacanthi, cum Tinctura Roſarum extractæ, fiat Paſta, ex qua formentur Trochiſci, qui cuſtodiantur. *Refrigerant & humectant, viſcerum intemperiem calidam contemperant, & ſitim inexhauſtam extinguunt.*

TROCHISCI AMBRATI ET MOSCHATI, SIVE DE GALLIA MOSCHATA.

HI Trochiſci, juxta Authoris Meſuæ deſcriptionem parati, in ſua forma & conſiſtentia uſurpari nequeunt, & ferè nulli uſui ſunt, niſi denuò in pulverem redigantur: proinde ſvaſor ſum, ut modo ſequenti cum Saccharo conficiantur, qui tandem in forma non ſolum Trochiſcali pro Magnatibus proſtabunt, verum etiam cunctis aliis medicamentis commodè admiſceri poterunt, utpotè

℞. Ambræ gryſeæ drachmas duas, ſubigantur in mortario cum
Sem. Citri excort. vel Amygd. dulc. decort. drachma una ſemis, & cum
Sacchari n. Citrati unciis duabus permiſceantur.

Porrò:

℞. Moſchi Orient. opt. drachm. unam, ſolve in portiuncula Aq. roſar. ad pultic. atque cum
Eſſentiæ Citri ſeu Sacchari Roſati uncia una ſemis
permiſce.
Hisque ſuperadde
Pulv. Ligni Aloës ponderoſi unciam unam.

Ex omnibus exactè mixtis, additâ ſ.q. Mucilaginis Tragacanthi, aquâ Roſarum extractæ, fiat Paſta, ex quâ formentur Trochiſci.

Præſtantiſſimi ſunt in Cerebro & Corde roborando, ut & totam naturam reſtaurando, proindè Senibus valde proficui. Sacchari tamen pondus nonnunquam ad lubitum augeri poteſt.

PASTILLI PECTORALES ANTIPHTHISICI.

℞. Rad. Enulæ Camp. drachmas ſex,
Ireos Florent. unciam unam,
Liquiritiæ drachmas ſex,
Flor. Papav. errat.
Violar. Martial. ana unciam ſemis.

Inciſa coquantur in Aquæ ſimpl. ſuff. quantit. ad remanentiam circiter libræ unius: coletur decoctum, & ad uncias quatuor evaporet, quod interim aſſervetur. Jam verò

℞. Sem. Melonum,
Cucurbitæ ana excort. drachm. ſex,

Papav.

Papav. albi,
Amygd. dulc. decort. ana unciam unam,
Benzoes opt. unciam semis,
contundantur junctim in mortario ad Pultis formam cum superioris Decocti asservati suff. quant. ac per setaceum transmittantur: huic pulpæ adde
Pulv. Sacchari Can. albi uncias octo,
Croci Austriaci drachmas tres,
Ireos Florent. unciam unam,
Florum Sulphuris drachm. sex,
Liquiritiæ unciam semis,
Elæosacchari Anisi unciam unam,
& contundendo in mortario lapideo efficiatur Pasta, ex qua formentur Pastilli oblongi, vel etiam Trochisci.

PASTILLI PECTORALES ALII.

℞. Specier. n. Diaireos simpl. superius edoct. uncias tres,
Pulv. Liquiritiæ rasæ drachm. tres,
Ireos albiss. unciam semis,
Essentiæ n. Rosatæ Sacchar. uncias duas,
Pul. Sacchari Canar. uncias quatuor,
Moschi Orientalis opt. scrupulum semis, vel unum.

Ex omnibus mixtis, additâ suffic. quantit. Mucilaginis Tragacanthi, Aqua Rosarum extractæ, fiat Massa, ex quâ formentur Pastilli, vel, si magis arrideant, Trochisci, qui ipsi etiam sine Moscho confici possunt.

Præstant in Affectibus Pectoris Catarrhosis, Tussi antiqua, & ipsa Phthisi, ac insuper Anhelitum gratum efficiunt.

TROCHISCI ANTIPESTILENTIALES ET SUBLINGVALES.

℞. Sacchari albiss. libram semis, vel uncias sex,
solvantur in
Succi Scordii recenter expressi & depurati unciis circiter quatuor,
& ad consistentiam Tabulati satis solidam coquendo redigatur, in quo ab igne remoto dissolve
Extr. Zedoariæ,
Succi Scordii inspissati ana drachm. duas,
Cort. Citri recent extim. radulâ prius comminut. & subtiliss. contusorum drachm. sex,
Ambræ gryseæ scrupulum unum,
prius cum
Sem. Citri excort. scrupulo uno probè subactæ,
Moschi Orient. scrupulum semis,
Ol. Still. Cinamomi,
Rutæ ana scrupulum unum,
Nuc. Mosch. expr. drachm. semis.

Quæ omnia ac singula l. a. probè adunita, superaddita sufficiente quant. Mucilaginis Tragacanthi, redigantur in Massam, è qua formentur Trochisci.

Hi in Peste, desævientibus morbis malignis, ac contagio, cum emolumento adhibentur, singulis auroris aliquot eorum assumendo, & si penetralia aut domos, arcano contagio suspectas invisas, sub lingua nonnullos occultando.

Nota: Quod si tempore hyberno, deficiente *succo Scordii recenti*, Trochisci hi forent parandi, conducet loco *succi Scordii*,

Scordii, *Syrupum Scordii* præfato *Saccharo* addidiſſe, qui ambo etiam, additâ portiunculâ Aquæ Roſarum, ad prædictam Tabulati conſiſtentiam concoquendi.

TROCHISCI SUBLINGUALES ANTIPESTILENTIALES VILIORES.

℞. Sacchari Can. albi uncias ſex, ſolvantur in

Succi Rutæ recenter expr. & depurati unciis tribus,

& ad conſiſtentiam Tabulati coquantur, in quo ab igne remoto diſſolve

Extr. Zedoariæ,

Angelicæ,

Enulæ ana drachmam unam ſemis,

addendo porrò,

Pulv. Succini albi præp. drachm. tres,

Myrrhæ rubræ drachm. duas,

Ol. Still. Rutæ ſcrupulum unum,

Nuc. Moſchat. expreſſi ſcrupulum unum ſemis,

Ex omnibus probè unitis efformentur Trochiſci ſ. a. *Qui in Contagioſis & Peſtilentialibus morbis proſunt, cum horis matutinis manducati, tum etiam ſub lingva detenti, ſi loca ſuſpecta, & contagio infecta, viſitanda veniant.*

TROCHISCI SUBLINGVALES ALII CITRATI.

℞. Cortic Limoniorum recent. & exti. morum, radulâ prius comminut. & ſubtiliſs. in mortario lapideo contuſorum unciam unam ſemis,

Cort. Arantiorum itidem extim. recent. & uti ſupra contuſ. unciam ſemis,

Eſſent. Citri Saccharinæ ex recentibus Citri Cort. uti ſupra, paratæ, unciam unam ſemis,

Ambræ gryſeæ ſcrupulum unum, prius cum

Sem. Citri excort. drachma ſemis probè ſubactæ,

Moſchi Orientalis ſcrupulum ſemis,

Pulv. Sacchari albiſs. uncias tres.

Fiat ex omnibus mixtis, ſuffic. quant. Mucilaginis Tragacanthi additâ, Paſta ſeu Maſſa tenax, ex qua formentur Trochiſci ſublinguales parvi, *pro delicatioribus, qui ingrata medicamenta averſantur.*

TROCHISCI DE VIPERIS VEL SERPENTIBUS.

℞. Pulveris Viperarum fideliter & dextrè juxta modum n. *in Animadverſionibus præmiſſis, pag. 289.* edoctum, parati libram unam,

Panis è farina tritici, cum ſucco Scordii vel Rutæ (loco Aquæ ſimplicis) facti, piſti & biſcocti, ut in pulverem conteri queat, uncias quatuor vel quinque,

Ol. Caryophyll. ſtill. drachmam ſemis vel ſcrupulos duos,

Succi Oleaginoſi ex recentibus Limoniorum Cortiebus radulâ comminutis

minutis expreſſi unciam unam ſemis, vel duas.

Et cum ſufficient. quant. Decocti Corticum Limoniorum fiat contundendo in mortario Paſta ſeu Maſſa tenax, ex quâ formentur Trochiſci, figura Viperarum aut ſerpentum ſignandi: Sigillum verò ſæpius Oleo Nuciſtæ expreſſo inungantur, ne Paſta illi adhæreat.

Nota: Horum Trochiſcorum non minùs legitimam quàm elegantem ſtructuram, ſi quis accuratioris rationis trutinâ perpendere dignabitur, facere non poterit, quin hanc ipſam reliquis illis antiquo, at illegitimo prorſus modo, paratis Trochiſcis præferat; adeoque album experientiæ noſtræ adjiciat Calculum. Revolvantur, quæ in *Animadverſionibus* n. locis diverſis, de Viperis, earum Naturâ, Veneno & Præparatione, quæque de adulterina Trochiſcorum videlicet ex illis confectione, imò de fraude & impoſtura revelavimus; è contra verò in parando ex illis vero Pulvere fundamentaliter atque ad oculum fideliter oſtendimus. Lugendi proindè ſunt ii, ne dicam deteſtandi, qui eò veſaniæ & pertinaciæ procedunt, ut potius livore ac invidiæ tabe conſumi ſe ſinant, propria ſectantes ac cum turba & grege aberrantes, quàm ut noſtro & paucorum melioris notæ Authorum nutu ad meliora ſe ſinant manuduci. Præclari ſanè naturæ æmulatores ſibi ultrò, quæ aliis revelare tenentur peplum & tenebras, pervicaciter inducentes, qui, licet, convicti, meliora probent, ſequi tamen detrectant, quod vel maximè in Theriaces Diſpenſatione elucet, cujus licet elegans & maximæ energiæ ac virium proſtet Compoſitio, ſuperciliosè tamen negligunt, veterem cantilenam ac tonum reſonantes. Quanquam (cæteris, qui langvent & periclitantur, ex animo condoleo) optandum ſit, ut, dum ipſi morbo ſuccumbunt, hanc ſibi etiam, cum meliorem cæteris invideant, cramben apparent. Tandem hiſce Trochiſcis de Viperis, qui velut agmen claudunt, huic quoque Claſſi finem facio: palàm interim confiteor, quod ipſi hi Trochiſci in veteri hac formâ ac conſiſtentiâ ad integrandam Theriacam, ſive quibuscunque uſibus deſtinentur planè inepti ſint, niſi repetito labore denuò in pulverem terantur: nihilominus tamen, cum uſus Trochiſcorum de Viperis ad apparandam Theriacam in tantum prævaluerit, ut potius clavam Herculi manu extorqueas, quàm ut animo eximas inviolabile eorum judicium & fiduciam, quam dura ejusmodi ingenia ſancivere: facere tamen, quod probi viri eſt, volui, & nova methodo genuinum Trochiſcorum de Viperis, uti & reliquorum, parandi modum edocere, cum, inſiſtendo veterum modo, citra dolos & mille fraudes diſpenſari aut præparari nequeant. Faxint Superi, ut in nocte hâc denſa, & Ægyptiacâ caligine, facem iis præferam, qui olim ad meridianum, tetra caligine detenti, oberrarunt, ut ſaniora dogmata ſectantes, legitimè ac cum ægrorum proventu Viperinos holce Trochiſcos apparent.

Prius-

Priusquam tamen Classem hanc absolvam, hoc Te L. B. denuò monere volui, quod (uti in *Animadversionibus* etiam assertum) Pulveris Viperini Trochiscatio ad Theriacæ confectionem strictè adeò necessaria non sit, quin Pulvis Viperinus, nostro nutu paratus, legitimè succedere possit. Nam Panis biscoctus, quem etiam ipse pro Massa faciliùs cum pulvere Viperino efformanda, è qua deinde Trochisci parandi, non simpliciter, nec in tam magna quantitate superaddidi, aliam Viperino pulveri naturam, aut virtutem, non tribuit, nec corrigit, nisi quod instar basis aut corporis pro Massa acquirenda substernatur, verùm non simpliciter, sed virtute alexiteria priùs imbutus, quod succus Rutæ præstat, & succus Cort. Citri oleaginosus cum eorundem Decocto: quæ omnia ac singula ut æquo judicio tractes, amicè pervelim.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS DECIMA TERTIA, PASTARUM ODORATARUM & Suffituum parandi Modos edocens.

Diverſæ formæ atque ſpeciei Medicamenta, ſed uſui externo tantummodo deſtinata, hac Claſſe continentur: E quorum fideli accuratáq; deſcriptione omnia ac ſingula patebunt, omiſſis planè Collyriis ſive Sieff Arabibus dictis, cum prorſus inutilia ſint medicamina, æquè ac non pauci Trochiſcorum, quos Pharmacopœia reformata ſuperior exhibet, quorum etiam uſus propemodum omnis jam eviluit, quantumvis adhuc in officinis proſtent. Fit enim ad apparatum id potiùs, quàm ipſam utilitatem; Itaque ad utiliora & neceſſaria magis delineanda nos ultra progrediamur.

CANDE-

CANDELÆ PRO SUFFITU PRETIOSÆ.

℞. Resinæ Storacis Calam, expressæ uncias tres,

cui imprimantur, & addantur,

Pulv. Benzoes unciæ quinque,
Olibani unciæ duæ,
Ladani opt. uncia una semis,
Carbonum Tiliæ libra una vel unciæ quind.
& additâ porrò s. q.
Mucilag. Tragacanthi cum Aq. Rosarum factæ,

fiat Massa, ex qua formentur Candelæ.

Notetur: Qui has Candelas fragrantiores desiderat, præfatæ Compositioni admisceat Ambræ gryseæ vel etiam nigræ drachmam unam, & Gummi Rosarum noviter ex India allati q. pl. Verum saltem in Magnatum gratiam.

CANDELÆ PRO SUFFITU VILIORES.

℞. Pul. Asæ dulcis seu Benzoi,
Styracis Calam. ana unc. quatuor;
Olibani albi uncias decem,
Ladani opt. uncias sex,
Ligni Juniperi ex radicibus subtiliter raspati uncias quinque,
Carbonum Tiliæ libras duas semis.

Ex his pulveribus mixtis, addita suffic. quantit. Mucilaginis Tragacanthi, fiat contundendo in Mortario Massa seu Pasta, ex qua formentur Candelæ, *quæ omni tempore & loco Suffitus vice fragrantis, ut & contra morbos cum Contagio grassantes fructuosè accendentur.*

PASTILLI PRETIOSI AD SUFFITUM.

℞. Resinæ Styracis Calam. expressæ uncias duas;
Cui impastentur sequentia:
Pulv. Benzoes seu Asæ dulcis unciæ duæ semis,
Gummi Rosarum uncia una,
Ambræ gryseæ drachma una,
solutæ prius cum
Ol. Cinamomi,
Caryophyllor.
Ligni Rodii ana still. scrupulo semis vel gr. xv.

item,

Moschi Orient scrupulos duos,
solut. ad pultis formam cum port. aquæ Rosarum,
Pul. Carbonum Tiliæ s. q. pro

Massa in calido mortario efformanda, ut, si refrixerit, durissima fiat, ad instar Ceræ Hispanicæ. Circa eorum usum tamen hoc observandum, quod igni seu prunis immediatè non injiciendi sint, sed supra laminam argenteam, ferream, aut cupream, vel ipsum vitrum, substratis vivis carbonibus, collocari oporteat.

POMUM AMBRÆ PRETIOSUM.

℞. Resinæ Styracis Calam. expressæ,
Ladani in præpar. Theriacæ prægressæ Pharm. edoctæ ana unciam unam,

Quibus parumper in mortario calido liquatis admiſce, & in iis diſſolve,
Ambræ gryſeæ drachmam unam ſemis vel duas,
ſupperaddendo
Moſchi Orientalis drachmam unam ſemis vel duas,
in portiuncula Aq. Roſarum ſoluti,
Zibethi opt. drachmam unam,
Ol. Still. Cinamomi,
Caryophyllorum,
Ligni Rhodii ana drachm. ſemis,
Pulv. Ligni Aloës opt.
Rhodii ana unc. ſemis,
Cinamomi,
Caryophyllorum ana drachm. quinque:
Miſceantur exactè, & fiat Pomum Ambræ ſeu Paſta odorata & fragrantiſſima, *ad Bullas replendas, pro ditioribus & Magnatibus.*

PASTA ODORATA VILIOR PRO SEXU FOEMINEO ABSQUE AMBRA ET MOSCHO.

℞. Reſinæ Ladani,
Styracis Calam. ana drachm. ſex,
Quibus in mortario calido nonnihil liquatis adde
Pul. Gum. Benzoes,
Animæ ana unciam ſemis,
Pulv. Caryophyllorum drachm. ſex,
Macis,
Nuc. Moſchat. ana unc. ſemis,
Ligni Aloës opt. odor.
Cinamomi,
Rad Ireos Flor. ana drach. tres,
Ol. Still. Cinamomi,
Caryophyl. ana drach. ſem.
Nuc. Moſchat. expreſſi, drachm. unam:
Miſceantur exactè fiatque Paſta odorata bullis replendis.

PASTA ODORATA TEMPORE PESTIS.

℞. Cort. Arantiorum recent. & extim. radulâ comminut. unciam unam,
Cort. Citri recent. & extim. radulâ pariter comminut. unc. unam ſemis,
Rutæ recentis herbæ,
Bacc. Juniperi,
Ligni ſeu Radic. Juniperi ſubtiliter raſpati. ana unciam unam.
Conſcindantur & contundantur minutiſſimè in mortario ad pultis formam; quibus porrò adde
Reſinæ Styracis Calam.
Ladani ana unciam unam,
Balſ. Indici de Peru drachmas tres,
Camphoræ drachmas duas,
Ol. Still. Rutæ drachmam ſemis,
Caryophyll. ſcrup. duos,
Ligni Rhodii,
Succini albi ana drachmam ſemis,
Nuc. Moſchat. expreſſi drachmam unam ſemis,
Pulv. Aſæ dulcis unciam ſemis,
Ligni Cupreſſi,
Aloës,
Rhodii,

Santali

Santali Citrini ana drachmas duas:
Misceantur in mortario calido & contundendo fiat Pasta odoris grati.

PASTA ODORATA ANTILOIMICA VILIOR.

℞. Camphoræ unciam semis,
solvatur in
Ol. Still. Angelicæ,
Rutæ,
Succini,
Caryophyllor. ana drachma una,
addendo
Pul. Benzoes,
Ladani,
Ligni Juniperi raspati,
Cupressi,
Rhodii ana drachm. tres,
Salis Urinæ volatilis drachm. quinque.
Misceantur, & fiat Pasta seu Pomum Antipestilentiale odoriferum.

Nota: Cùm verissimè Pestilens contagium ac virus, cum exhalationis fracedine, quæ Symbolum continet maligni fermenti ac miasmatis, tùm etiam animatis effluviis ac atomis virulentis, cuilibet naturali corpori (uno excepto Sulphure) ipsi proindè Mosco & Ambræ, cæterisque multum fragrantibus, ac pro pomo Ambræ vulgò usitatis, viscositate sua adhærere ac commigrare soleat, adeò, ut, unde sibi panaceas homines compromittunt, arcanas insidias ac deleterium virus experiantur, consultum judico ejusmodi amuleta, non tam genio & odoris illecebris gratia deligere, quàm securioribus, minus licet arridentibus qualitatibus dotata, certo vitæ adminiculo procurare. Hinc Nodulum tornatilem è Juniperino ligno, requisitis per circuitum foraminulis affabrè paratum gestent, cujus una pars gossypium seu spongiam sale urinæ imbutam capiat, toties renovandam, quoties odore spirare desierit. Tale quid exhalant Cloacæ, quando statis temporibus ad motum aëris, acutissimum Salis volatilis urinæ reddunt odorem; Altera verò parte recludatur, spongiæ aceto alexiterio imbutæ particulâ, naribus iterato admovenda, sive domo egredi opus habeas, sive domestica munia obire velis, adeò ut, si manè simul assumatur cochlear Aceti boni alexipharmaci, plus inde subsidii ac præservandi vires præstolari possis, quàm ex Moschatis, Ambratis, delicatioribus inventis, non nisi speciosos alexipharmacos mentientibus, plus palato, quadris aut bellariis, quàm cordi in malignis tuendo, uti cætera antiloimica assolent, dedicata. Et sanè dispar longè ratio est, odoris fragrantia & rebus balsamicis, vitales spiritus demulcere, aliud verò, pestilens miasma è corpore proscribere, aut arcere. Odor bonus Spiritus allicit, atque reficit; Pestilens autem Contagium, & virulenta effluvia, sive aporrhœæ, quæ vel in pestiferis corporibus, aut corruptissimis exhalationibus animantur, adeò ut, instar minimarum atomorum in vitam suscitatæ, infinito propemodum numero undique oberrent, inspiratione hauriuntur, poros penetrant, nosque inficiunt

inficiunt ac contaminant, licet sub sensus & visum non cadant, sicut olim Platonis Ideæ, nisi smicroscopio utaris, quod objecta centies & ultra auget, tunc in aciem incurrunt millena vermiculorum corpuscula, ac virulentæ atomi; hæc inquam effluvia odoris fragrantiâ allicere opus non habemus, nolentibus ac sponte ingruunt, sed potius appropriatis ac specificis odoribus fugare ac interimere competit.

SUFFITUS CEPHALICUS, in forma Pulveris grossi.

℞. Asæ dulcis seu Benzoes,
Styracis Calam. puræ,
Olibani ana uncias tres,
Gummi Animæ unciam unam,
Ligni Juniperi odorati è radicibus crass. raspati unciam unam semis,
Misceantur, fiat Pulvis grossus.

SUFFITUS ALIUS COMMUNIS.

℞. Olibani uncias sex,
Mastichis,
Styracis Calam. ana uncias tres,
Ladani opt. uncias duas,
Ligni Juniperi odorati ex radicibus uncias quinque.
Fiat ex omnibus Pulvis grossus.

SUFFITUS ANTIPESTILENTIALIS.

℞. Succini Citrini uncias quatuor,
Styracis calamitæ,
Olibani ana uncias duas,
Myrrhæ rubræ uncias tres,
Ligni Juniperi odorati ex radicibus subtil. tornati uncias quatuor.
Misceantur, fiat Pulvis grossus. Qui verò Sulphur huic pulveri addere voluerit, illi liberum erit: conducibilius tamen videtur, solo sulphure sæpius accenso loca suspecta suffumigare.

SAPO ODORATUS.

℞. Saponis Veneti libras duas semis, Conscindatur aut radatur subtiliter, solique exponatur, sæpius tamen illum Aquâ Rosarum vel Florum Arantiorum humectando, donec albescat, ultimò autem benè exsiccetur. Huic saponi albicanti adde
Amygd. dulc. decort. & ad pultis subtil. formam, additâ s. q. Aquæ Flor. Arantior. contus. & per setaceum transmissarum uncias sex,
Pul. Gum. Asæ dulcis seu Benzoes, drachmas sex,
Magist. Marcasitæ, per aquam fortem & præcipitationem parati uncias duas:
Contundantur junctim diu multumque in mortario, donec per intima & minima commixta sint addendo
Pul. Rad. Ireos Flor. uncias tres,
Moschi Orient. drachmam semis,
Zibethi opt. drachmam semis,
Ol. Ligni Rhodii scrupul. duos,
Olei seu Liquoris Tartari per deliq. facti unciam unam semis,
vel ejus loco
Salis Tartari unciam unam.
Misceantur exactè, formenturque Globuli fragrantes, *qui præter odorem & fragran-*

fragrantiam, hoc virtutis habent, ut asperitatem cutis leniant, glabram, subtilem & albicantem illam reddant.

Cum in hac Classe circa externa, eaque Odorata describenda simus occupati, præstat & alias Species odoratas, præsertim contra grassantes morbos contagiosos, adstruere, è quibus Sacculi cordiales de collo suspendendi, ut & pulsibus alligandi, efformari possint, & sint tales:

SACCULI CORDIALES PRETIOSI.

℞. Styracis Calam.
Asæ dulcis ana drachmas sex,
Ladani opt. unciam semis,
Ligni Aloës opt.
Rhodii,
Cupressi ana drachmas quinq;
Cort. Arantior. recent.
Citri recent. extim. ana unciam unam semis,
Florum Arantiorum recent.
Rosarum pallid. recent.
Lavendulæ,
Tunicæ rub. ana recent. unciam unam,
Caryophyllorum drachmas sex,
Cinamomi opt. unciam unam semis,
Nuc. Moschatarum unciam unam,
Croci Austr. drachmas sex,
Moschi Orient. si lubet, scrupulum unum vel drachm. semis.

Incidantur & contundantur minutim, fiantque Species grossæ, *quibus replentur Sacculi Cordis figura, ex Zendalo rubro & nonnihil interpassentur, quippe qui vel collo suspendendi adregionem cordis, vel cum aqua aliqua cordiali, aut cum aceto alexipharmaco sæpius humectati, cordi admoveri possunt, ut & pulsibus, vitales spiritus egregiè roborantes. Conveniet pariter easdem Species grossas Nodulis includere ad magnitudinem nucis juglandis, qui Aceto Rosarum aut alio madefacti, naribus infirmorum in Lipothymiis, aliisq; cordis defectionibus admovendi; verum pro Epilepticis, Apoplecticis & Hysthericis nonnihil de Castoreo, dempto Moscho, admiscentur.*

Nota: Quod *recentes Arantiorum & Citri Cortices, Flores item recentes*, facillimè cum *reliquis speciebus siccioribus* commixti, exsiccentur, & mutuo fragrantiam suam sibi invicem communicent, ut adeò peculiari exsiccatione opus non sit, quâ fragrantia eorum spiritusque subtiles & sulphurei magis exhalarent. Huc pariter referantur Species seu Pulvis grossus pro roborando corde, simili forma Sacculis pro corde & pulsibus includendus, & in *Classe præcedenti de Pulveribus* præscriptus.

SPECIES GROSSÆ PRO SACCULIS CONTRA PESTEM.

℞. Rad. Levistici,
Angelicæ,
Zedoariæ ana unciam unam,
Herb. Basilicon,
Majoranæ,
Melissæ,
Rorismarini,

Rutæ ana drachmas ſex,
Cort. Arantiorum,
Citri ana recent. extim. unciam unam ſemis,
Myrrhæ rubræ,
Caryophyllorum,
Nuc. Moſchatar.
Granorum Juniperi ana drachm. ſex,
Camphoræ unciam ſemis,
Ol. Still. Ligni Rhodii drachm. unam,
Rutæ ſcrupulum unum,
& ſi lubet,
Salis volatilis urinæ unciam ſemis.

Incidantur contundanturque craſſiuſculè, fiant Sacculi de Zendalo rubro, collo appendendi.

Numerantur inter externa Medicamenta & Peſſi uterini: ut ergo formulæ quædam adſint, ſequentes ſubdo.

PESSI UTERINI AD CIENDA MENSTRUA.

℞. Pul. Myrrhæ rubræ,
Gum. Ammoniaci ana unciam ſemis,
ſolvantur in ſ. q. Vini albi ad pulticulam, cui adde,
Camphoræ drachmam unam ſemis,
Pul. Rad. Helleb. nigri,
Pyrethri,
Galangæ,
Herb. Majoranæ,
Sem. Cæparum,
Urticæ ana drachm. duas:
Fiat ſ. a. Maſſa, è qua formentur Peſſi, Zendalo rubro obducendi.

ALII.

℞. Pul. Helleb. nigri,
Pul. Calami aromatici,
Galangæ ana drachmas duas,
Pyrethri drachmam unam,
Herb. Majoranæ drachm. duas,
Cantharidum ſcrupulos duos,
Camphoræ drachmam unam.

Fiat ex omnibus Pulvis, ex quo cum Zendalo rubro fiant Peſſaria competentis magnitudins.

Solvunt Menſtrua mulierum obſtructa, extrahendo è matrice humores ac ſemen corruptum, & quicquid vapores ſurſum elevare poteſt.

Nota: Helleborus niger apud Salam mirabili præ aliis Vegetabilibus trahendi virtute pollet, adeò ut, ſi linteolo, vel ſacculo acuminato, peſſi inſtar, ejus pulvis imponatur, propendente ad retractionem filo, & locis mulieribus intrudatur, primò quidem miram faciat artuum veluti contracturam, paulò poſt vero retentum menſtruum, aliasque uteri impuritates, cum alleviatione & conferentia protrahat.

PESSARIA AD HÆMORRHAGIAM UTERI.

PArantur ex Pulvere Stercoris aſininiexſiccati & Pulvere Burſæ paſtoris &c. Zendalo rubro exceptis.

AMULETA CONTRA PESTEM.

℞. Pul. Bufonum exſiccatorum unc. duas,
Serpentum drachmas ſex,
Succini Citrini,
Ladani ana unciam ſemis,

Pulpæ

Pulpæ pànis triticei unciam unam
semis,
Moſchi Orientalis,
Zibethi ana ſcrupulum unum.

Miſceantur & cum ſuffic. quant. Aquæ Roſarum fiat Paſta, ex qua formentur Placentulæ ad magnitudinem unius aurei, vel medii etiam Imperialis, quibus imprimatur ſignum Scorpii & Viperæ, obducantur Zendalo rubro, *de collo ad regionem Cordis appendendæ, præſervationis gratia: attrahunt enim advenientia ab extra Venena, tanquam Veneni animalis receptaculum proprium; cum in ſymbolum habentibus facilis ſit tranſitus.*

Nota: Si Bufones ad mentem ſubtiliſſimi Philoſophi Helmontii ad hæc Zenexta ſive Amuleta dextrè diſpenſanda pararentur, præſtantiora multò inde efficerentur. Legantur ſuper hac re quæ præfatus Doctiſſimus Helmontius in ſuo Tumulo de Peſte ſcripta nobis reliquit. Hujus etenim rei veritatem comprobat Doctiſſimus ac Celeberrimus Medicus & Philoſophus D. Joannes Chryſoſtomus Irmbler, Statuum Moraviæ Marchionatus Protomedicus, his verbis ad me ſcribens: Et revera paravi Ego Anno M DC LV. quo tempore inter Infectos verſabar quotidie, Trochiſcos Bufonios, eosque ut cœtera Helmontii indefeſſi veritatis indagandæ & ex puteo opinionum Veterum noſtram credulitatem excœcantium eruendæ nati Philoſophi, experimenta ſuas laudes ſuſtinere comperi: Inter viginti autem Bufones vix unum quidem jucundo ſanè ſpectaculo vidi vermiculos per nares & oculos egreſſuros manu repellere quamdiu poterat, donec elanguerit Bufo: ſed Trochiſcos ex vermiculis unà cum pulvere emortui bufonis & materia per anũ (nondũ vidi per vomitum) ſcilicet alis, pedibus, capitibus, ventribus Scarabæorum viridibus, auratisvè & nigris, quos bufo cum terra in eſcam venatur, ejecta, cereâ patinâ exceptis, cum Tragacantho roſato formatos, pluribus perſonis ſuper anthraces apponi feci, atque nullum eorum mortuum eſſe dicere poſſum, ſed & meorum domeſticorum, ut & aliorum, quibus dedi, amicorum nullus, quod ſcio, infectus eſt. Sic comperi non tantum hiſce Trochiſcis enervari virus peſtilens in Carbunculo jam admiſſum, ut dein vulgaribus chirurgicis remediis ulcus facili negotio fuerit curatum, ſed etiam ad ſiniſtram mammam ligatos mihi meisque accurſui & occurſui infectorum expoſitis, animoſitatem quandam indicibilem conferre, atque ita miaſmata & effluvia peſtilentialia abarcere. *Hucusque Excell. Medicus Moraviæ.*

Verùm liceat mihi pace tua L. B. laxatis nonnihil diſcurſui habenis, ad arcanam illam totius Phyſices quæſtionem digredi, quâ nam actione ejusmodi amuleta, (Paracelſo & Helmontio Zenexton dicta) Venenis adverſentur, ſeu quid actio illa ſit, quam à tota ſubſtantia, occultisque qualitatibus tàm Venena, quàm alexiteria & pentacula utrinque exercent. Manifeſtum ſiquidem eſt, majores noſtros uti & venerandam Antiquitatem, Zenexto ac amuletis è

collo gestatis, uti ipsis Venenis τὸ θεῖον dictis, multum tribuisse, & divini quidpiam subesse suspicatos esse; ita habet Paracelsus, Helmontius de Tum. Pest. item de Spir. vitæ, Libavius, Quercetanus in Tetra: Athanasius Kircherus lib. de Peste, & Mund. subterr. Hartmannus, quos ut recentiores allego, subticendo Fracastor: Veronensem, Fernelium, Sennertum, Cornel: Gemmam, Levin: Lemnium, & complureis doctissimos commentatotes, adeò quidem, ut sicut humani fert lubricitas ingenii, & inconstans velut Euripi semper reflui indoles, ab ejusmodi pentaculis ac Zenextis, ad incantamenta & uti perhibebant, medicatas voces & sonos superstitiosâ levitate processum sit. Sic Horatius amico, morbo devicto, aggratulatur: Ah Ah solutus ambulat Veneficæ scientioris Carmine. Sic se Carminibus fugasse Cretensem pestem, sibi Thales arrogat: Homerus sanguinis profluvium, Serenus Hemitrit: M. Varro Podagram, ac Ischiadicos suo murmure Paracelsus, forsan ad normam divini Psaltis, sono restituentem Saulem, qui 1. Reg. 16. levius habuit à spiritu præsente citharœdo, aut ut nunc assolet à morsu Tarantulæ (Phalangii genus est in Apuliâ) cujus venenum reprimit harmonicus & sonus assymbolus, teste Amato Lusitano, & Kirchero in Musurg. Quæramus nos, quid juxta probam Philosophiam sit hæc actio totius substantiæ, seu occultarum qualitatum? Communis omnium consensus est, quod sit qualitas vehementer activa, quæ sub sensum non cadit, sed solo effectu innotescit: verùm considerant patebit rigorosè qualitates has non definiri, sed descriptivè solùm, cum hæc ratio ipsis etiam potentiis vitalibus, quæ sub sensum non cadunt, aut qualitatibus, quas habitus vocamus, à primis qualitatibus distinctis competat, Fortunatus Plempius; ex varia commixtione & combinatione qualitatum primarum, ac nonnullarum secundarum, ut debitas tali temperamento, ait resultare; ac ubi acrius eum impugnaveris: quod occultæ qualitates toto cœlo differant à manifestis ac ipso tali temperamento, quas nec formaliter, nec eminenter continet, respondet: non produci qualitates has à temperamento nisi instrumentaliter, efficienter autem ab agente principali, quod forma dicitur. Forsan cum Sennerto lib. 6 prax. concurrens, qui occultas qualitates à formis subordinatis dependere resultoriè, tenet, quod improbabile teneo, formas partiales omnino negando. Helmontius acris ingenii Vir, titulo: Natur. contrar. nesc. à proprietate specifica formæ oriri talia, uti periapta, amuleta, Zenexton Paracelsi perhibet, arguens ibidem Theophrastum & assecläs, qui talia in Salem Sulphur & Mercurium rejiciunt: & tit. de Spir. Vitæ, qualitates has, Spiritum Vitæ, Æthereum, Lumen specificũ ac individuans, quod nec urit, nec inflammat, suis tamen concentratis radiis, conspicuum, quod ab ultima Salium materiâ mutuatus est. Helmontius. tit. de actione Regiminis: qualitates potestativas vocat, habentes dotes in naturâ agentes solo nutu potestativo,

poteſtativo, inſtitato, directione, ac deſtinatione à DEO in natura, ad id quod juſſæ ſunt, vi tamen efficaciori quàm influentiali: pulchrè & argutè, ut aſſolet Helmontius. Vicinior ævo noſtro Athanaſius Kircherus Societ. Presbyter, ſympathiâ & antipathiâ, conſenſu & diſſenſu, lite & amicitia, (cui è diametro Helmontius diſſentit. tit. natur. contra. neſc.) omnes qualitates occultas abſolvit. Lib. enim de Mund. ſubterr. 9. Natura, ait, mundi hujus univerſitatem variis diſſidiorum generibus quaſi ſeminibus conſperſit; & fuſius multis ibidem: nec ſuo contentus theoremate, aſſignat radicem ſimilitudinis & diſſimilitudinis, ac continuo per qualitates duellantis naturæ cujus actio actiones fundat, primo in communi diſſidio, in effluviis, & ſubtili vapore à corporibus inſenſibiliter emanante, à diſſimilitudine & ſimilitud. formæ ac ſubſtantiæ, in varietate Climatum, & Zonarum, in ſpiritu phantaſtico & imaginativâ, in ſono variè reflexo, pororum diſpari conditione, in corradiatione denique & actu nobiliſſimo corporum, quæ cum ſe immediatione ſuppoſiti complecti ſemper nequeant, his quaſi arcanis manibus & radiis fœderantur. Neque ſatis fuit Helmontium in multis expreſſiſſe, ad Paracelſi dogma delabitur, venena & horum qualitates occultas à quadruplici Salium combinatione reſultare fatagit, præmiſſis tamen oblongis hypotheſibus; dari ſcil. in naturâ & ſubterraneis viſceribus πανσπερμίαν ſeu univerſalem matricem omnium mixtorum, & ſupereſſe quoque ignem ſubterraneum, naturæ Archeum πανταρκῆν, nova metamorphoſi omnia transmutantem. Denique: quod tota ſubſtantia quædam nobis familiaria uti alimenta, quædam quod tota ſubſtantia inſenſa ſint, hæc totam rerum antipathiam & ſympathiam fundant, quæ tamen neceſſ temperamenti, nec materiarum, ſed vel formarum duntaxat, vel horum certè omnium, quam totius ſubſtantiæ appellamus. Sed paralogiſmus eſt, & adhuc inquirimus modum ac nexum amborum, quo pacto ſcilicet ac medio effectus à cauſa procedat. Hæc difficultas quem non hactenus exercuit Philoſophum? Quæ tamen hactenùs à viris exercitatis in cenſum hâc ſuper re devenere, jam à nobis ſunt recenſita. Judico ego qualitates occultas, actiones venenorum & alexiteriorum, ut Zenexti & pentaculorum ſic eſſe intelligendas, ſalvo meliori judicio in rebus abditis atque cauſis: actio veneni eſt qualitas, dependens à tota ſimul ſubſtantiâ in eſſe, produci, & conſervari, vitalitati ex toto adverſans: actio autem, quâ alexiteria ac amuleta agunt, eſt qualitas à totâ ſimul ſubſtantia in eſſe, produci & conſervari dependens, ex intrinſecis principiis vitalitati relativa. Unde venenum eſt ens ſubſtantiale ab intrinſeco connotans vitalitati adverſari, vice verſa uti alexiterium ens tale, quod in eſſe ſuo totum ad vitalitatem refertur. Hinc ſequitur ultimum gradum malignitatis, uti activitatis in alexiteriis, adæquate dependere à toto concreto maximæ proindè eſt energiæ & reconditi effectûs. Sic explicamus ea, quæ

in cauſis abdita videntur, & per effectus ſuos innoteſcunt, ac à tota ſubſtantia agere paſſim in ſcholis perhibentur. Minor autem eſt difficultas de iis, quæ uti mineralia, alterando primas ac ſecundas in temperamento qualitates, erodendo, corrumpendo, unitatem ſolvendo, ac distemperando agunt, quorum actio & effectus manifeſtior eſt, in natura: quid autem ſit vitalitas, ac in quonam ratio formalis vitæ fundetur, an ſit qualitas à nullo ente niſi à ſpiritibus producibilis, mediante qua materia, forma ac unio perdurant, litem non dirimo, ſit problema, temporis brevitate præventus. Modum autem & influxum omnium venenorum & alexiteriorum penſiculatius & univocâ ratione definire, impoſſibile mihi videtur, cum ſint agentia, quæ influunt in genere cauſæ æquivocè, ac omne venenum requirat aliud alexiterium: impoſſibile proindè judico, unum amuletum omnibus venenis ita adverſari, ut rigoroſâ contrarietate diſtet, juxta illud Philoſophi, unum uni contrariorum eſt; alioquin omnia venena & alexiteria, periapta & amuleta in particulari ac individuo definire opus haberem, ac ſic in infinitum. Sit nobis idea ac prototypon ſolus homo, annon in amentia hypochondriaca venenum furioſum emicat, in ſyncope anodinum, in vertigine rotans, in cantharide exulcerans, & inflammans, in opio narcoticum, in cicuta gelans, in apii eſu, convellens ac ad riſum ſollicitans, in morſu phalangii rotans, ac in gyrum circumagens, & ſic de innumeris? ut taceam ea, quæ ſub larva & blanditiis enecant, nihil hoſtilitatis minitantia, uti in maligniſſimis conſtat, ubi appropriatis ſuccurrere quandoque non licet, niſi actâ jam tragœdia innoteſcant: Plura iterum hic non attingo, quâ nam ratione ſcilicet venena in ipſis animalibus toxicoſis vitalitati eorum non adverſentur, cur uni venenum alimentum, alteri virus: an actio à tota ſubſtantia ſit potentia realiter diſtincta à forma ſubſtantiali, an amuleta, alexiteria, venena relatione, ſeu nexu quodam intrinſeco ac reſpectu ad invicem ferantur, an amuleta, alexipharmaca ut plurimum roborando vitales ſpiritus, eos concentrando, generando, poros adaptando, ut venenata miaſmata peſtiferi ſeminarii, quæ funeſta μεταφάσει & translatione ad principalia viſcera deferuntur, ad ignobiliora, & ambitum corporis exturbantur, num verò determinatè producta cauſalitate id accidat, hæc pertranſeo, ac Theoricis relinquo ſpeculanda, qui excurſionis loco ad hæc devolutus ſum: vela contraho proindè, ne in immenſum excreſcat opus, hoc ſolum aſſero: materiam hanc eſſe illud veterum τὸ θεῖον, argumentum paucis tractandum, quo olim Cabaliſtæ, Angelos potius ac ſuperas lationes ſubaudiére, à quibus arcanos hoſce morbos fieri cenſebant, non qualitatibus perfici, & Hippocrat. lib. prænot. plus ſpeculari ac ſcrutari perhibuit, quam limitato ingenio comprehendi.

Notandum tamen, quod dictis Amuletis magna agyrtarum impoſtura vigeat, quæ temeritas ſuos quandoque magni nominis patronos & authores numerat, qui conficere docent Amuleta ex

ta ex Arsenico, Auripigmento, Mercurio, additis cordialibus, vegetabilibus, alexipharmacis, ac sic parata esse genuina ac specifica contra pestis introitum obstacula. Verùm magis à vero hæc sibi distant, quàm Lupinus à Lupulo, præterquam enim quod indies experimur, gallinas, columbas, canes, ac nonnulla alia animantia, exhibito arsenico realgari, sublimato intoxicata, nequaquam in vitam restaurari propinato Bezoar, Unicornu, Orvietano, Theriaca &c. quin decedant; experimur præterea, Gallinas venari araneas, easque devorare impunè, licet homini sint exitio; unum proindè venenum huic speciei esse alimentum, alteri deleterium; Similia etiam curari similibus, ut Scorpii ictum, ipso super vulnus attrito scorpio, vespam vespâ, viperam viperâ, rabidi morsum, ejusdem exuviis & pilis, mustelæ denique virulentum halitum ac morsum, mustelæ pelliculis persanari: nunquam tamen comperimus, venenum minerale ab alexiterio vegetabili per se superari; cum toto genere distent, nec suæ activitatis excedant orbitas. Quod si enim accidat, ut cor & vitales spiritus, facto sibi per cardiaca vegetabilia subsidio, stationem suam retineat, venenũ arceat, peregrinũ hospitẽ ac deleteriũ charactere sibi imprimi non patiatur; non hoc fit specificâ quadam oppositione & dualitate, quâ vegetabile alexipharmacum minerali virulentiæ resistit, sed quod in hoc subjecto & homine Spiritus enormonticus suâ substantiâ superior, nonnihil virium etiam à cordiali vegetante participans, eludat applicationem veneni mineralis; cum viceversa in subjecto debiliori, venenum pariter spreto & posthabito agente vegetabili, rabiem suam cum pernicie & certo interitu exerceat: nam nulla est proportio aut analogia veneni mineralis, ad alexiterium vegetabile: Nam quocunque modo sibi opponerentur, aut antipathia excogitabili, nulla tamen inter illa fieret actio, supposito, quod prophylactice iis utamur, nisi calor innatus hominis actuet vim alterius. Mineralis veneni vim sentit quidem, verùm quia hoc est potentius, succumbit spiritus vitalis, nec remedium invenit in cordiali vegetabili, quia contrariorum eadem est ratio, ut eodem genere concludantur. At verò veneni mineralis, longè alia est indoles, prout funesta experientia multos docuit. non enim agit qualitate ad spiritualem referendâ, sed corrosivâ, manifestâ, acri ac causticâ, quam vim utpotè escharoticam ac Tyrannicem, cum compage nostra corporis, ferendo non sit, quin solutio continui ac unionis subsequatur, quare resolutis organis, quid mirum, si vitalis spiritus velut eversо habitaculo transmigret, & mors ingruat, cujus ratio in eo fundatur, quod alexipharmacum vegetabile spiritus & vitalia directè respiciat, minerale autem venenum non tam spiritum in corpore inquilinum, quàm organa & ejus immediatum subjectum, quo eversо, ex consequenti spiritus dissipantur, compages solvitur, cum nulla denique sit proportio inter vegetabilem antidotum & virus minerale. Nam ut hominem arsenico aut spiritu aquæ fortis incuriè epoto à veneno redimas, quid

quid agas ? Si administrato emetico hausto, substantia veneni assumpti revomatur, cessat quidem ejus actio, ita etiam si vim veneni sumpti, quod abdita corporis in tantum jam penetravit, ut revocare nequeas, aquâ tamen multa diluas, prout acrimonia salis, affuso copioso liquore diffluit, ut commodè in usum veniat, si oleo, lacte, butyro liquato (talia Agyrtæ super abacos & theatra venena se assumere ostentantes, magna prius copia exhauriunt) vim mineralis corrosivam obtundas, si hordeo, orizâ cocta, & multo butyro diffluâ ac oleata minerale virus demulceas ac velut emplastices; hoc sanè non est venenum contrariis & alexipharmacis aggredi aut expugnare, quasi talia sibi antipathico dissensu adversentur, aut per sympathiam ac symbolum vegetabilis, attrahere & allicere virus minerale, nos obicem tantum ponimus, ne virulenta hæc caustica ad intima corporis se insinuent, sed fluctuando in corpore restagnent, donec natura ea possit segregare. His positis; cum venenum pestilens alterius sit naturæ, alterius etiam minerale, ac proinde hoc ab illo dissymbolum attrahi & recipi nequeat, dissident enim inter se hæ Monarchiæ, & hactenus quamdiu Pestilentis Contagii naturam ac indolem non penetramus, nulla salus supereſt, in specificâ antidoto decernendâ, quare periculosum opus, erroneum ac temerarium est, venena mineralia, utpotè amuleta, cordi applicare. Concesserim ultrò, non dari nec extare de præsenti ullum venenum, cui suum non opposuerit Herculem monstro, aut specificum & antipathicum remedium inexhausta DEI misericordia, sed hic hallucinamur ac in sicco navigamus, quod horum omnium scientiam nobis arrogemus, quæ fato & injuriâ temporum, devastatis Salomonis posthumis scriptis & naturæ Apocalypsi, desiit. Cui dubium, quod arcana naturæ, plebs, agricolæ, venatores & ejusmodi, facta sibi per traditionem à Majoribus copiâ, ad Medicorum invidiam, ne dicam ruborem, possideant, ut cum Augustino illud exclamare liceat! Surgunt indocti, & non tam cœlum quam sapientiam rapiunt, & nos ubi volutamur in cœno, & effætis remediis? Quorum quidem ratio est, quod spiritus scientiæ & sapientiæ à supercilioso Philosopho aut Medico remigret, ac super humilem & pauperem requiescat, qui licet à privato homine talia & genuina remedia possideat, contemnit, castrat, naturam mancam arguit, propria addit, contrariis præpedit, donec se risui ac ostentui exponat, illud audiens: ne ultra crepidam, Amice. E contra alii quod non capiunt carpunt, ad Cabalam, Nigromantiam, & pactum implicitum Cacodæmonis detorquent, quibus tamen majores nostri minimè deterriti, in DEUM, Sanctos, & religionem avitam æquè atque Catholicam religiosissimi. Quare ut ad nostra revertar, unde digressus sum, addicta nimirum amuleta & Zenexton, quæ ratione Symboli, venenum virulentis effluviis, quæ plerumque aëri adunitis, contagiosis expirationibus, contactu & similibus nobis contagiosum, ad se allicere & attrahere debent, necessum est, ut

eſt ut talibus conſtent, quæ veneno ſint veluti analoga, & homogenea, minimè verò ejusmodi contineant, quæ contraria qualitate conſtent, vel impediendo vel removendo, vel impugnando, aut ſi hoc non, ſint abſolutè talia, quæ venenum ſolum antipathiâ quadam propellant, minimè alliciant aut trahant, quod vel maximè Sacculi noſtri hac Claſſe delineati in Peſte præſtabunt. Plura ejusmodi amuleta afferre poſſem, ſed abundè actum puto, cum fuſius theoriam dederim, qua ad plura talia adſtruenda, quemvis poſſe manuduci, arbitror.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ *SEU* DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS DECIMA QUARTA,

CONFECTIONUM ANTIDOtalium, Narcoticarum, seu Opiatarum, Cordialium, & consimilium, dexterrimas Compositiones, studiosè descriptas, continens.

DEcimam quartam nunc aggressuro Classem, tanquam maximè considerandam, propter præstantissima Medicamenta Composita in eâ contenta, præsertim Theriacam, quam omnium Medicamentorum Reginam semper dixére, expedit, ut non solùm in Antidotorum Medicamentorum & Confectionum Cordialium Compositionibus accuratè describendis assidui simus, verùm etiam nulli Magistro mancipati, Theriacam ipsam pensiculatius examinemus. At Mi-

Misanthropus multis dicar, & cum Timæô Philosopho æquori & fluctibus objectus, ad ultimam relegandus Thulem, quod effero & immiti planè genio in laudatissimam hanc omnibus sæculis Panacæam & θεῶν χεῖρας dictam, quæ una & sola hactenùs secreta toxicorum visa semper fuit, severiori censurâ animadvertam. Sed leve quid mihi visum fuit, ab humano die judicari, memor vetustissimæ illius paræmiæ: Timidos nunquam statuisse trophæa; & identidem, quod ulcerosum hoc seculum nostrum plenis buccis resonat: Placere nequit, qui assentiri ac vitia palpare nescit. At verò (suus tamen sit honos & gloria Majoribus nostris, qui Magistrale hoc alexipharmacum ad nos transcripsêre,) quis non deprehendit, quod Theriaca, nostra hactenus usitata, suo dispar etymo, nil minus agat, quàm ut cor roboret deleterias qualitates oppugnet, venena propellat; sacra denique sit nobis anchora & antidotus, ut potius queri cogamur, nos ab illâ in morbis sæpè deludi, destitui, & dissidentibus tot inter se qualitatibus in unam Theriacam concentratis, clanculum impugnari. Hoc ut graphicè & demonstrativè pateat, repetantur ea priùs, ne remoram patiamur, quæ de Theriaca (cujus descriptio & ingredientia in August. Dispens. ad literam habentur) *in præmissis Animadversionibus nostris*, & ultra *in annexâ earum Appendice pag. 34.* præfati sumus, quæ hic repetere animus non est, Nunc singula hujus Compositionis ingredientia ordine analytico perscrutabor.

Primum, quod Theriacam constituit, reperio *Trochiscos Scilliticos*. qui reliquis ingredientibus facilè, uti stationem, sic palmam, etiam quoad pondus, præripiunt; de quorum præparatione, usu, & materia *loco citato* ubertim egeram, iteratò demonstrando, quàm inconveniens & absonum sit, tot sibi distantia in unam cogere antidotum. Quia tamen doctrina numeris Platonicis obscurior nonnullis visa est, nec facilè credunt, quod manibus non contrectant, idcircò hanc eis *Trochiscorum Scilliticorum* exactissimam anatomen & resolutionem ad ultima proponam. Inprimis notandum venit, neminem hactenus Scriptorum, qui de re Herbaria benè meriti fuêre, unquam extitisse, (nisi eos excipias, qui, obsequendo tempori, & assentando veterum erroribus, postpositâ verioris rationis & experientiæ parte, non tam Classici quàm Apocryphi habendi) qui, inquam, simpliciter *Scillæ* virtutes cardiacas & alexipharmacas attribuerint, & finxerint; quin palàm fateantur; *Scillas minimè tutè usibus internis* destinari, quoniam *mordaces, acres, inflammatoriæ, strangulantes, deleteriæ denique & virulentæ* iis, quibus intrà corpus obveniunt, dum cardialgias, peripneumoniam, viscerum lethales inflammationes suscitant; & vel deforis manibus contritæ epidermida ustulent, ut proindè nulli exhibeant, nisi in clibano sæpè multumque torreant ac enervent, sic venena cicurantes. Communis interim de *Scillâ* doctrina datur, quod pituitam naturâ & indole crassiorem & viscidam incidat, attenuet,

nuet, obstructiones hepatis referet, cachecticis & hydropicis suppetias ferat, si nimirùm dicto jam modo, pani scilicet inclusa, in clibano exasserur: Cruda verò & sibi relicta, acris, mordax, & effera est, nudis manibus tractata, easdem vesicans, metalla, ac præcipuè armorum genera, squallido humore tingens, quæ tam pravis qualitatibus imbuit, ut si quē cultro, aut ense, *succo scillitico* illito sauciari contingat, vulnus ferè immedicabile efficiat, quale olim Telephi Myforum Regis superstitiosa antiquitas fuisse credit; quod ut præcaveant, & *Scillæ* malignantes indoles & acrimoniam tollant, ignis torturæ providissimi naturæ Mystæ, in clibano subjiciunt. Nec refert, quod ipse Galenus ex *crudâ Scillâ ejusque Succo* medicamina quædam dispensârit, suspicor tamen, cum fundamento in re, cum *Scillam montanam* subaudiisse, quæ mitioris naturæ ac indolis est, quàm illæ marinæ, quæ de consuetudine ad nos deferuntur, ac ob dictam acrimoniam ignis examini subjiciuntur, & castrantur. Mihi quasi evidens ac certum videtur, quod, si *Scilla* deforis, ut cruda ac sibi reddita est, pestifero cuidam buboni, cum pane incorporata, applicetur, magnos præstituram affectus, attrahendo scilicet venenum ad corporis ambitum, malumque à centro ad peripheriam exturbando; quod Practicanti innotescet; sicut è contra alteram contradictionis partem infero & demonstro, *Scillam* intra corpus assumptam, venenum à circumferentiâ ad centrum & cordis regionem validissimè revocare, cum contrariorum sit eadem ratio, minimè verò per διαφόρησιν propulsare. Sed dato, & non concesso, quod *Scilla* eximium sit Cardiacum, & Venenatas qualitates subigat, uti nobis perhibere videtur auctior ejus dosis & quantitas, quâ veluti Theriacæ basis & fundamentum addenda venit; nihilominus tamen jam dicta Theriaca virtutibus *Scillæ* planè privatur, ob rationes in n. *Animadversionibus* recensitas, dum de Trochiscis scilliticis commentati sumus, ac omnibus experiri licebit, qui crudam *Scillam* exsiccârunt penitus, ut in pulverem redigi valeat, dum nihil reliquum à deficcatione reperient, quam *effœtas ac exsuccas quasdam membranulas*, à virtute *Scillæ* degeneres; aut si, *pulveribus Orobi*, vel *dictamni albi*, additis, in Trochiscos efformaverint, post eorum exsiccationem, præter pondus, naturam & vires dictorum pulverum, ne *Scillæ* vestigium ferè, præter amaritudinem, apparebit: Quod invanum non jactito; ipsi hoc mecum melioris notæ & experientiæ Pharmacopœi asserent, ac deinceps dicturi sunt, dum, in præparatione horum Trochiscorum, pondus Scillæ ac jam dictorum pulverum exactiùs investigârint. Neque obstat Quercetani, de præparandâ, corrigenda, & in pastillos efformandâ *Scillâ*, prolixior theoria, quæ cùm rationum pondere & momentis, nec non experientiæ fulcris, destituatur, levis ac ridicula habenda, ac tanto viro indigna.

Hic veluti firmissimis jactis fundamentis, suam quisque, cui mens æqua, & sana ratio est, proferat sententiam & cal-

calculum, an non deinceps *Scillam* à ſpecioſa Theriaces compoſitione arcere competat; minimè verò, erroribus aut faſcinis incuriæ Antiquitatis irretiti, ſine hac Theriacam conſiſtere aut valere non poſſe, decidamus, & credamus: Quanquam indubitatum ſit, ſi *Scilla* viribus ſuis non mutila & effœta Theriacæ ſubſtitueretur, eam illi virtutem & qualitates conſignaturam, quâ juxta craſin & naturam ſuam pollet, adiaphoro modo, ſive bona & conferens illa ſit toti, ſive detrimento; nunc, vice verſa, nullum ferè Theriacæ effectum aut virtutes *Scillæ* communicabit, tot, inter clibani anguſtias, torturis expoſita, *& pulveribus Orobi ac Diptamni* in paſtillos efformata, cùm, peractâ illa *Scillæ* deſiccatione, aliud virtutis & energiæ nihil deprehenſurus ſis, quam, ſub prioris radicum ponderis quantitate, extraneum quendam amarorem, diſparentibus acrimoniâ & mordacitate *Scillæ*, quæ illam de ordinario, tanquam proprietas in quarto modo, concomitari ſolent, & in quibus veluti veſtigiis *ſpiritum & ſalem volatilem ſcillæ* inveſtigare ſolemus; ut proindè eadem ratio ſoret, pro *Trochiſcis ſcilliticis*, ipſum *Dictamni vel Orobi pulverem* ſubſtituere; cum omne cæparum genus, & hoc marinum, antonomaſticè volatile & aquoſum ſit, per indebitas autem deſiccationes in totum exhalet & enervetur, nullâ ipſi reliquâ virtute, & primogeniis qualitatibus, niſi retorridas quasdam, & exſuccas pelliculas & exuvias in cenſum adducas. His dictis *de Scillâ*, primo & ampliſſimo Theriaces conſtitutivo, ad reliqua digredior.

Subſequuntur jam ordine *Trochiſci Viperini*; de quibus, undè ſuum ducant ortum, materiam ex quâ, præparandi modum & circumſtantias (& quod pro potiori parte ex *biſcocto pane* reſultent) quod indigni ſint hac Compoſitione, ac adulterini; aut qualia, his eliminatis, ſubſtituere ratio ſua deat, omnia ac ſingula dextrè & concinnè deſcripta ſunt in *præcedaneis n. Animadverſionibus ſuper Aug. à pag. 285. usque ad pag. 295.* quò L.B. directum cupio: Quanquam, huic labori meo nil derogando, *in præmiſſâ Claſſe de Troch. ſcis*, multum deſudarim, ut genuinam, facilem, & perſpicuam methodum edocerem, *Trochiſcos è viperis* efformandi; cum viderim, hanc Trochiſcorum formam omnibus decantatam & propriam eſſe; quanquam exoptarem, ut non tam ſuis deſideriis & fallaci judicio ſeſe manciparent, quàm rectæ rationi & experientiæ conformarent, ſeri nepotes.

Sed hîc loci non inutilis quæſtio tractanda venit, num *Trochiſci Viperini*, pro completanda Theriacâ, juxta Galeni mentem, ex *ſolis viperis iisque ſæmellis*, *carne illarum* ſolummodò ad id aſſumptâ, *Oſſibus*, *Cordibus*, *ac hepatibus* rejectis; num æquè etiam ex *maſculis*, *carne*, *Oſſibus & ſupradictis interaneis*, *hepatibus nimirum & cordibus*, diſpenſari debeant? Vel an ipſi etiam *Serpentes in montanis*, *maximè ad Orientalem plagam*, *nati & enutriti*, pari effectu & energiâ Theriacam aut Trochiſcos conſtituere valeant? Nobis enim non ſatisfacit nuda & anguſtior Galeni authoritas, qui impar

tanto oneri ferendo, quale totius Medicinæ ſyſtema & amplitudo eſt, ſuis & ipſe præpeditus tædiis, limitatus terminis, viribus & ætate attritus, morte denique præventus, priusquam artem, quæ longiſſima, brevi & præproperâ vitâ commenſuraſſet: Non, inquam, fas erat, Galeno (cujus manibus, tanquam Medicorum Principi, poſthumas laudes & elogium minimè invideo) inter anguſtos vitæ terminos circumſcripto, pro Medicæ rei dignitate & exigentiâ, exactas omnium rationes ſpeculari, naturas & complexiones, ſympathias & contrarietates, abditas denique, ac in ipsâ naturæ abyſſo demerſas rerum cauſas definire & rimari, ipsâ denique praxi & experientiâ firmare, quin multa noſtræ culturæ, ſtudio, & laboribus, ſuccedentibus, & labentibus annis commiſerit, quæ nos Poſteris veluti per traducem transſcribemus. Nobis igitur hæc Provincia aut Sparta demandata eſt, ut talentum, & ſcientiam Medicam, nobis concreditam, pro viribus ampliemus: Quod & felici augurio hactenùs præſtitum eſſe, illi ſoli patebit, qui inexcultum Coi & Galeni Medicum ſæculum, cum ſapientiſſimo ævo noſtro æquiparârit: Ut meritò, Pergamenſis ætate, ſua habuerit medicina incunabula, quæ poſterorum conatibus felici metamorphoſi in virum nunc adolevit. Quis igitur ambigat, & hanc Medicinæ partem, quæ genuinas medicaminum Diſpenſationes edocet, ſua habuiſſe incrementa; cum diem dies, caſum caſus, obſervatio experientiam erudiat, ad perfectum uſque ſapientiæ diem; Ut proindè nos multa debeamus Veterum laudabili inventioni, ſed plura illi conatibus noſtris, & artis incremento.

Ut autem ad propoſitam quæſtionem recurram, unde digreſſus ſum; num ſcilicet *ſola fœmellæ è Viperarum ac Serpentum genere* deligendæ ſint ad *Trochiſcorum* confectionem? Non tam curioſa hæc quæſtio & problema dicenda, quàm rudis, & parum ſapiens, cum & vulgus non ignoret, in omni genere animantium plus virium & vigoris maſculis ineſſe, quidni & in viperarum & ſerpentum ſpecie? Vel maximè *ſi fœmellæ Viperæ*, primo vere, & quidem maturè, non capiantur, illicò oviparæ ſunt, & plura à conceptu excrementa in ſe abdunt & concludunt. Teneo igitur, quod ad efformandos *Trochiſcos Viperinos*, *tàm maſculi*, *quàm fœminæ*, *ex Viperis* aſſumi poſſint, illud probè attendendo, ne ex locis paluſtribus, mineralibus ac metallicis exhalationibus infeſtis, à quibus Viperæ & Serpentes pravas qualitates derivare poſſent, ſed è montanis, optimis & ſelectis vegetabilibus luxuriantibus, repetantur & (quod magis notandum) ne exercitati Pharmacopœi exceſſu nimio *panis biscocti* vires *Viperarum* obtundant, & inefficaces Trochiſcos nobis diſpenſent.

Quæritur ſecundo: Num *ſola Caro Viperina*, repudiatis *Oſſibus*, *ſpinis dorſi*, *& reliquis ſupradictis interaneis*, ad efformandos Trochiſcos deligenda ſit? Pro parte Affirmativa ſtat Galenus. Ego vero Negativè reſpondeo, & judico, Viperam cum toto (ſcil. *carne*, *oſſibus*, *hepate*, *& corde*) ſalubrius nobis

bis præbere medicamentum ; quod probatur : *Offa* ſunt partes ſimilares, ſpermaticæ, ex pinguiori feminis parte, à facultate formatrice, quæ idæa quædam ac ſimulacrum generantis eſt, producta, teſte magno Stagiritâ, qui materiam primam offium σπερματικὸν περίττωμα, hoc eſt, ſeminale craſſamentum, definit; ergò ex primigenio & ſubſtantifico humido & pinguedine multum illis ineſt. Non ergo ſunt rejicienda. Confirmatur primò. Deducto ad maraſmum, & extremam maciem, animali, juxta tritum adagium (ut vix Offibus hæreat) reliquis omnibus diſſipatis, adhuc Offium ſubſtantia, vigor, & oleaginoſa portio perdurat, ab hac convaleſcentes reſtaurari incipiunt, hoc vivifico rore vires reaſſumunt, hic quaſi efficienter concurrit ad regenerandam muſculoſam ſubſtantiam, carnes, & laudabilem corporis habitum recuperandum ; quæ prærogativa in viventibus nulli alteri parti tribuitur. Hoc enim nec ſanguis, nec caro, nec ſpirituum familia præſtare poterit, ut in genere cauſæ materialis concurrant. Confirmatur ſecundò ſequentibus inſtantiis: Caro ſine *Offibus* elixata, inſipida & ſine ſubſtantia plerumque juſcula præbet, junctа verò *Offibus*, non parum roboris juri communicat; ergò ſubſtantificum quid *poris Offium* (quod cum communiori Philoſophia teneo) ineſt, quod in liquorem poſſint imprimere. Patet hoc ulterius in Gelatina Caponum, quæ ingratiſſima, & planè inefficax, niſi *Offa*, diu ac multum cum carnibus ad minutias conquaſſata, cocta fuerint, ut efficaciam ſuam illis communicent : Quod ipſum natura brutis animantibus, & ſpecialiter canibus, impreſſit, quos æquè, imò magis, ad *Offa* comminuenda, quàm carnes devorandas, inſtigavit ; adeò, ut & ipſi homines ad id deſcendant, cum in multis partibus ſpectabilis magnitudinis Offa ex animantibus recondunt, ut belli aut famis tempore ea elixare poſſint, ac aliquam indè ſubſtantiam præſtolari. Demum ipſa natura nos inſtituit, quæ *Offibus* largiorem medullam undique pro alimento ſubſtituit, ſubſtantiam pinguem, ac minus difflabilem per calorem, ut unctuoſo humido maciem ac maraſmos perſanet, ipſam denique ſenectutem fuget, quæ, juxta Philoſophum, in ſumma ſiccitate peragitur. Quod ſi jam dictæ rationes ad ſalivam cuidam non ſint ; mecum ad Pyrotechniam confugiat, mediante quâ vera rerum analyſis haberi poteſt, ac manifeſtè deprehendi, quod *Offa* majorem *Salis volatilis*, *ac Olei* (è quibus animalia conſtant, inſimul cum aquâ fœtidâ) copiam exſudent, quam ipſa caro & ſanguis, quippè quæ majori ſui parte in aquam quaſi elementarem, principio deſtillationis, reſolvuntur, exigui prorſus emolumenti, donec humiditas nimia prolecta, ac caro deſiccata fuerit : Tunc quoque adaucto igne, *Sal volatilis* ac *Oleum* elicitur ; at minore quantitate, quàm ex ipſis *Offibus*, modo antè dicto. Ergò falſum eſt, quod *Offa Viperarum* Trochiſcis ejusdem vires non conferant, & venenata aut inefficacia ſint : Quod erat demonſtrandum.

His ita deciſis, rationes illæ eventi-

lan-

landæ ſunt, ob quas *Viperarum Corda*, in quibus operationum functiones, in animalibus, vel maximè emicant, *Jecinora* αἱματώδεις Officinæ, non tantum à Trochiſcis prohibeantur, ſed etiam deleteriæ qualitatis arguantur; cum hoc naturæ, ratiòni & experientiæ contrarietur, nec ulli parti inſit virtus alexipharmaca potior, quàm hiſce partibus, utpotè quæ generandis ſpiritibus, aut recipiendis, à natura deſtinatæ ſunt, vitali ſemper robore vigentes; adeò quidem, ut multi Viri Principes ac Magnates (à quibus ſub Rosâ hæc ſum mutuatus) *corda viva, è Serpentibus recenter enectis excerpta*, devoraverint, ut ſubſequente vitæ tempore venenorum eſſent certa antidotus, philtrorum quoque & incantamenti, & quicquid faſcini Orcus habet, expertiſſimum amuletum: quod nec ipſe reprobo, dum aquas pretioſas, quæ è vivis animalibus, deſtillationis beneficio eliciuntur, mecum rumino, utpotè quæ ſpiritu & energia pleniſſimæ ſunt, magnæque efficaciæ. Manet igitur certum, non ſolùm *Carneam Viperarum* ſubſtantiam, ſed *& Oſſa*, ac reliqua in eis contenta, *Hepar & Cor* nimirum, apta nata eſſe, ut Trochiſcos Viperinos conſtituant, virtute alexiteriâ eminentes.

Sed requiret alius, quid de Serpentibus aliis, quas Italia, Germania, Pannoniæ montes, alunt, ſit concludendum? Reſpondeo breviter, & dico, rationi & experientiæ nos conformando, haud longè à Viperarum Carnibus abeſſe, modò in locis montanis, aëri ſalubriori perviis, non verò cloacis, & paludoſis regionibus enaſcantur. Sola illa cavenda ſunt Inſecta, quæ, nimio æſtu retorrida, nigricant; ſicut illa ſeligenda, quæ de nigro & albo variegata, aut viridi, cum cineritio colore maculoſa ſe repræſentant. Probationis loco huc ea referantur, quæ de virulentiâ Viperarum, ac Serpentum, in *præmiſſis noſtris Animadverſionibus*, adduximus, cauſam ac rationem reddentes, cur morſus Viperarum reliquis pernicioſior ſit ſerpentibus, non ex ratione, & quantitate aut qualitate veneni, quod virulento fomite tranſplantatur, ſed in ſolâ imagine iræ, ex qua venenum, quod dentibus longioribus, quàm in reliquis ſerpentibus, ſigillant ac imprimunt, conſiſtit, quod mediantibus venis & arteriis ad habitum corporis, ipſamque cordis ſubſtantiam, rapitur, ſuam ibidem ludens cataſtrophem. Cæterum nullas differentias reperire licuit, quibus *Serpentes noſtri à Viperis* diſſideant, licet primas ac ſecundas eorum qualitates, modum ac rationem agendi, curioſiùs indagârim. Roborant enim æquè naturam, Veneri ac impotentibus ſubſidio ſunt, turgentes ac luxuriantes in corporibus humores deſiccant, malignos corrigunt, leprâ contaminatos mundant, virtutem denique alexiteriam ſibi vendicant. Quoad medicamenta ex illis apparanda, æquè proviſi ſumus, ac ex ſerpentibus, æquè ac ipſiſmet Viperis, *Pulveres* elegantes & durabiles, *Trochiſci*, *Sales volatiles* & quidquid in cenſum medicum venire poteſt, confici ac diſpenſari poſſunt. Ea enim eſt incomprehenſibilis DEI benignitas & clementia, ut ſeſe à

crea-

creaturis participari sinat, totus in omnibus, & admirabilis in operibus suis, qui terminos mari posuit, abyssо repagula, totum denique in mensurâ & pondere libravit universum. Hic, inquam, cui de passeribus cura, qui lilia ad Salomonis invidiam exornat; orbem in populos ac gentes dispergens. Sic unicuique Regioni ac Climati provisum voluit, ut, dum Epidemicis calamitatibus premeret, domesticis interim auxiliis refocillaret. Quis igitur ambigat, Germaniæ quoque sua innasci alexiteria, nec opus esse ad extera confugere remedia, quæ in medio nostrûm Altissimus collocavit. Ipsâ ego Praxi rem ulteriùs confirmare possum, qui eo planè modo, quo *Viperis Capones* saginari solent, *Serpentibus substitutis salubrioribus*, id felicitèr præstiti, ad multorum invidiam, Virorum autem Principum ac Magnatum satisfactionem; quorum senses artûs fovebam, languentem virilitatem expergefeci, adeò quidem, ut non tantum iis in fercula designârim *Capones* saginatos, sed etiam *Pulveres*, *Essentias* & *Salem ex Serpentibus* diversimodè paratum, imò etiam *Vina* ipsa, virtutibus eorum artificiosè imbuta, felici successu epotanda præbuerim; cujus tibi schema, & exemplar (nisi ingratus accidam, L. B.) *Vini* scilicet ex *Serpentibus* infusis, subjungam: Accipiebam xx. *aut complures Serpentes, resectis capitibus, caudis, & inutilibus*, quos, priùs mundatos, jungendo *corda & jecinora*, vivos adhuc immergebam *Vini mensuris* x. circiter, ac in eo sinebam emori; factâ postmodum unâ ebullitione, aut diariâ infusione, in vase vitreo, *colatum & filtratum Vinum*, in *urnam alteram Vini boni* infundebam; de quo singulis quibusvis pastibus cyathum unum ebibere licuit, magno emolumento. Et hæc de *Viperis* affatim dicta velim, illud iterato inculcans; satiùs esse, ad dispensandam ritè Theriacam, *Trochiscos n. modo parare*, aut ipsos, *ex Serpentibus dextrè confectos*, *pulveres* substituere, quàm peregrinos illos *Trochiscos*, fuco ac fraudibus plenos, *Biscoctum* potiùs, quàm *Viperarum* substantiam, redolentes, magnis expensis allicere. Nobis, cum gratia DEI, ampla est penus in Germania, & Pane abundamus; suum sibi *Biscoctum* vendicent illi, quos in triremibus fames exercet. Multas oblarvant fraudes emendicata diplomata, quibus hos Trochiscos ad nos amandant.

Tertium ingrediens est, *Piper longum*, quod & ipsum eventilandum. Fateor: complures Authores consului, neminem sanè hactenus offendere licuit, qui *Piper longum* virtute cardiacâ & alexiteriâ reliquis eminere dixerit: nec ullius Medici exemplar videre contigit, qui in morbis naturæ malignantis, quales febres Purpuratæ, Ungaricæ & Malignæ, quæ corpora colliquant, ac Catalepses inducunt, denique iis, qui virulento fomite in plures transplantantur & Epidemici sunt, *Piper longum* vel ordinasset, vel cum εὐφορίᾳ propinasset, Sint, qui Theriacam (quam omnes tres Piperis species in larga quantitate ingrediuntur) cuidam maligno morbo laboranti præscripserint; hoc tamen rarò contingere videbis, & exiguâ saltem

doſi, rarò ad drachmam unam, idque, ut mea quidem fert opinio, haud abs re, non ſolum propter *Piper, tanquam calidiſſimum exurensque ingrediens*, ſed etiam ob alia incongrua ſimplicia Theriacam conſtituentia, quæ tantum abeſt, ut profligandis morbis malignis & peſtilentibus ullo modo apta ſint, ut obſint potius atque noceant. Conſulat L. B de re Herbaria multum conſpicuos & meritos Authores, Dioſcor. Matthiol. Tabernæmont. Quercet. Renodæum, Schröderum, & alios complureis, & ne unum reperiet, qui *Piper* alexipharmacà qualitate dotatum aſſerere auſit; ad Theriacam opplendam, velut inutilis ſarcina, ab aliis ſuaderi, memorant, nihil interim decidentes, quonam id modo ac ordine accidat, præpoſterè ne, an verò rationi conſentaneo, piaculum, aut grande nefas ſibi ducentes, pro veritate litare, mundoque Veterum errores revelare. At verò delinquunt jam dicti Authores, ſacræ Antiquitati quidvis derogari, aut nos illi injurios eſſe, dum illis inventionem, nobis autem elaborationem vendicamus: & ſi Majores noſtri hoc velum ac triſte ſyrma prius removiſſent, perſpicaciores fuiſſent in ampliando talento Medico, remediis exaltandis, Pyrotechniâ excolenda. Cùm nobis igitur, velut ex aſſe hæredibus, quaſi per teſtamentum legitima obvenerit induſtria & labor, ne, quæſo, ſtertamus, in Muſæis deſides, nè vereamur veritatis partes agere, neceamus, quâ itum, & à Majoribus aberratum, regiam teneamus ſemitam, medico honeſtati pallio & lauro, virtutes ſapientis æmulemur. Nam publicæ rapinæ genus eſt, eorum geſtare inſignia, quorum geſta factis non expreſſeris. At replicabis, minimè requiri ut omnia conſtituriva Theriaces alexiteria ſint, quædam etiam deſiderari, quæ cor ac reliquas partes principes reſtaurent ac confortent, & tale quid eſſe *omnia piperum genera:* ad quod reſpondeo illud, quod in Moralibus communiter adſtrui ſolet: non oportet facere mala, ut inde veniant bona. Roborantia talia ſint, quæ ſpiritus non accendant, nec inflammationem augeant, aut periculoſas phlegmonas ſuſcitent; apyrexias, cordis exæſtuationes, & delira non accerſent, humores non exagitent, ne peſtilentis contagii ſemina commota, citato gradu in penitiores aditus rapiantur, ſuam impunè luſura tragœdiam. Elenchus hic eſt, ac vitium Myſochymicorum, turmatim omnia congerere in unam antidotum, nullo habito delectu, profit nè, num v. obſit: an non ſtupenda eſt *Piperum quantitas*, quâ, veluti baſis, Theriacam conſtituunt; cum acrimoniâ ſuâ reliqua omnia conſtitutiva ſuperent, lingnam & palatum feriant, ac veluti inflamment. Ex quo fonte indicationum calidiſſimis morbis *Pipera* medicantur? Tædioſum mihi eſt tam abſona ulterius refellere. Concedamus tibi, & reliquis Theriacariis, quod toti Europæ ex theatris & abaco millies decantata & promulgata Theriaca non ſolum alexiterium, ſed omnes corporis affectiones quaſi Chironis Myrothecium, ac Panacæa, deturbans amuletum ſit, quemadmodum longâ ſerie inſcripti tituli & encomia id teſtan-

teſtantur; quò ergò errore ac inſaniâ actum eſt, quod, cum Theriaca adverſus venena, venenatosque morbos omnes, unicè & præcipuè commendetur, nihilominus tamen ejusmodi ſimplex ingrediens, quod nullâ virtute alexipharmacâ pollet, pro fundamento & baſi veluti molis tantæ, tantæque rei conſtitutum ſit? Cum de congruo & per bonas regulas, ejusmodi remedia alexiteria iis maximè conſtare debeant, ad quod naturâ & arte juſſa ſunt & ordinata: cum interim *Piper*, *cujuscunque generis* ſit, nihil eorum præſtare aptum ſit, ad quod aſſumptum eſſe perhibetur; adeò quidem, ut tantum abſit, quod venenis contrarietur, malignis reſiſtat morbis; ut etiam contrariis qualitatibus ſuis inviſum ſit, & conſcientioſo Medico ſuſpectum, ut in quotidianos uſus ſibi deligat. Si quid igitur mea poteſt ſententia ac ſuffragium, firmis rationibus fulcitum, judico vel hoc ipſo, *prædicta tria piperum genera* in ſuperabundanti nimis doſi & pondere Theriacæ adjecta eſſe, quibus prohibetur, quò minus, in contagioſis morbis calidis, ſecurè liceat uti ipsâ, præſertim eâ doſi, eoque pondere & quantitate, quâ par eſſet, diris & ferocibus iſtiusmodi morbis opponere remedia, ſpe victoriæ, & ſuperioritatis, qua hoſtem ſuum debellatura.

Tranſeo *ad Opium*, quartum ingrediens, de cujus naturâ, craſi, & proprietatibus, uti magna humani ingenii fert lubricitas, in diſſentanea abitum eſt judicia, adeò quidem, ut, ſi unquam Poëta ad rem cecinit; *Mille hominum ſenſus, capitum diſcrimina mille*; illud in noſtram huc poſſit detorqueri ſententiam. Nonnulli enim in ſicco piſcantes, ad menſuram limitati ingenii ſui, in puris & materialibus qualitatibus, velut limo, defixi, totam Philoſophiam, diſcurſum & demonſtrationem ſuam arbitrio externorum ſenſuum, guſtus & palati, definivêre, dum *Meconium* aut ſi mavis, *Opium* (in binas diverſi ſectas) amaritudinem ejus conſulentes, ſulphureum calidumque dixêre, alii frigidioris genii, & cerebri, conſiderantes ſtuporem, difficultatem anhelandi, ac nonnunquam ſuffocationes, quas, ſpiritûs denſando, invehit; *Opium in ſummo gradu frigidum* cenſuêre, ad hoc placitum inducti ſpeciosâ illâ mutuæ actionis & reactionis analogia, quod quaſi *noxius Opii ſpiritus* inſito noſtro ſpiritui commiſtus, duellent, ac impetum faciant, & ex mutuâ illâ ſpirituum colliſione & diſpendio frigus tale, parum à morte diffidens, ſuâ ſpontè inducatur. Hoc placitum & dogma mordicus ſancivit & tuitus eſt Riolanus, *in ſua contra Quercetanum invectiva*, ubi ideo inter Narcotica *Opium* locavit, quod quaſi cum Cicutâ ſymmetriam habere crediderit, ob ſtuporem, & animalis facultatis omnimodam interceptionem. Docuit, ſubſtantiæ infrigidantis eſſe *Opium*, Pereira, *Method. 14.* quem Doctiſſimus Hiſpanorum Petrus Michael de Heredia *in Syntagmate ſuo, quod Anno 1665. edidit, Comment. in Avicennam cap. 67. de Quintana*, acerrimè impugnavit: *decipitur, inquit, putans, Opium frigidum eſſe, & frigore ſomnum conciliare;*

quod falſum eſt. Eſt enim virtus narcotica à frigore diverſiſſima, quæ virtus unica cauſa eſt, ob quam paroxyſmos abigit, quia ſenſum moleſtiæ expultricis obtundit: hæc de Heredia. Verùm pace tantorum Virorum, ſive qui frigoris, ſeu qui caloris qualitatum *in Opio* partes tutantur, ad ſecreta & naturæ penetralia, abditasque rerum cauſas, proximius accedendum. Non enim exoticus hic influendi modus, agendi & deleteriè ſæviendi rabies, inermibus, & purè materialiter concurrentibus qualitatibus imputanda venit. Sunt actiones à totâ ſubſtantiâ emanantes, à formis reſultoriè determinatæ, quibus exindè vel nulla, vel ſera, & imbecillis cura & antidotus proſtat; quod ſubſtantiis contrarium nihil ſit, & remedia à tota ſubſtantia reſiſtentia, & deleterias cauſalitates infringentia, aut ignoremus, aut iis careamus. Hoc principium operativum, formas ſequens, à quibus dimanat, ſeu modum à tota ſubſtantiâ agendi, in ænigmate prævidit & hariolatus eſt noſter Galenus variis in locis, uti *lib. 5. ſimpl. cap. 1. cap. 17 & cap. 18. lib. 6. de Abrotano, In Epid. Sect. 6. Comm. 5.* Et Avenzoar *1. Theiſ. cap. 1. de Theriacâ.* A Galeno vicinioribus nobis temporibus feliciter hoc expediêre Fracaſtorius, Cornelius Gemma, Thaloſanus, Fernelius, Sennertus, Trophimus, Sorier & recentiſſimè Bravo & de Herediâ, Hiſpanicæ ſubtilitatis Prototypon, quos conſulere L. B. ſuaſerim. Mihi hæc, per tranſennam dicta, excurſionis loco ſufficiunt. Illud ſolum exinde eruo; ſive *Opium* calidiſſimum ſive frigidiſſimum eſſe, evincas, multa te manent abſurda ſolvenda, dum tibi ab exemplo plura in calore & frigore *Opio* æquipollentia ſiſtemus; ſtrangulare tamen, narcoſin inducere, & Morphei Tragœdiam ludere non deprehendemus, ut proindè ad ignorantiæ aſylum, qualitates nimirum occultas, aut ad formas à tota ſubſtantia, & per ſe, operantes, de quibus ex profeſſo *in Claſſe XII. titulo de Zenexto* egimus, (quæ altioris ſcrutinii eſt) neceſſe erit confugere. Et verò hinc illud indiſcriminatum Chaos, & tenebræ plus quàm Cimmeriæ in Medicinam invectæ ſunt, quod ea ſaltem, quæ palpavimus, & ſenſibus tractavimus, nudas ac materiales qualitates nimirùm, rudi Minerva, aut ut canis ad Nilum, contemplati ſimus, guſtui ac ſalivæ noſtræ myſteria naturæ revelanda & decernenda credamus; unde mille errores, ſophiſmi & fraudes pullulârunt. Præceſsêre Majores noſtri; eos aberrantes nos ad præcipitia comitati ſumus, humilia & inefficacia pharmaca tractantes, ſolas ſenſibiles qualitates aſpectantes: cum tamen & alia poſſimus terere veſtigia, queîs non multi ex venerandâ Antiquitate quoque anteceſsêre, qui non ſemper calida frigidis, humida ſiccis &c. ſed calida calidis quandoque medicati ſunt, ibi ſcilicet, ubi malignitatem, cauſam à totâ ſubſtantiâ agentem, ſubodorati ſunt, optimè callentes, quod calida calidis reſiſtant, non ut calida ſunt, & reduplicativè ſumpta, ſe ut à tota ſubſtantiâ reagunt. Alexiteria ſunt altioris ordinis, quàm puræ effœtæ qualitates, ac accidentia purè materia-

rialia, calor & frigus &c. Quanquam, si scholis sine glosâ auscultemus, contraria essent contrariis curanda: contra quod disertissimè (omnibus ad æmulationem) vir rari talenti (nisi defodisset) Helmontius, multis acriter dissensit; sed spe interim lactatos nos, velut pisces in sicco dereliquit, multa percontatus, pauca revelavit, forsan mœrore absorptus, quod lagenam (ut ait *tractatu de Potestate medicaminum*) semel possessam amiserit, DEO tamen id adscribens, qui, ut ait ipse: novit, cur capræ caudam tam brevem dederit, & talenti sui cohæredes non instituerit. Enimverò ad hæreses istas qualitatum & saporum, ex quibus rerum naturas, substantiam & activitates colligere, hactenus aberratum est, multorum Botanicorum rudis speculatio & vitiosus palatus induxit. Hi enim Plantam, quam amaram, ponticam, ac linguam ferire, sensêre, suis assignatis gradibus & statione, calidam dixere: Si quam inodoram, succosam, acidam, uti lactuca, sempervivum, acetosa, hanc frigidis accensebant: in aliis verò, ubi ratio ejus vel deficiebat, vel arguebat, verbis nos pascebant, terminis ludentes, & quædam, non formaliter, sed virtualiter vel eminenter calere, frigere, & agere perhibentes, ut: ajunt; *Piper gradus multos caloris eminenter habet, calefacit virtualiter, ustulat non formaliter.* Hæc illi. Colores porrò, & qualitates etiam aspectabiles, eis ansam, hariolandi multa, dedêre. Sic nix Camphoræ & albedo frigiditatem eis depingit, cum tamen inflammabilis sit, inter undas exardescat, & veterum Naphtam æmuletur. Hæc, velut Idæas, proposui, ut eluceseat divini Senis stabilis dissertatio, quando nos non tam calida, frigida, humida, sicca, quàm acida, salsa, pontica, amara, substantias & concreta vult contemplari; in iis enim latent rerum semina & formæ; ex his dualitates, sympathiæ, & contrarietates emanant, nobisque lumen communicant, ut citò tutò ac jucundè, specificis auxiliis morbos profligemus, & deleteriis insultibus, agentia ex tota substantia opponamus. Cur autem hactenus præstitum non sit, communis error, & primarum qualitatum nudus aspectus, nos avocavit. *Opium* igitur, si penitius contempleris narcotin ejus, & virus, quo animali facultati insidiatur; non à qualitatibus primis, quæ calore aut frigore aspectabiles, & notæ fiunt, non ab amaro etiam sulphureoque miasmate, quod exhalat, illud fortiri deprehendes, sed à seminali virtute, à formâ substantiam induta, ejusque influxu, ad quem à Patre luminum jussa fuit, ut sic ageret, ut sic noceret volentibus, Juxta illud sacri textûs: *Germinet terra herbam virentem facientem semen juxta genus & speciem suam.* Sed hæc ad Theoriam magis conformantur.

Quæramus nunc in praxi: num *Opium*, inter reliquas suas specificas dotes, præditum sit virtute alexiteria? Si aliorum placita, & sanctiones, meis præferam, reperio ex Dioscordie, *nullam* ei *virtutem alexipharmacam* inesse, qui pro se Diagoram, Erasistratum, Andream Mnesidemum allegat, qui & ipsi pariter suffragantur: imò

uſum Opii in genere vetat, &, exitioſum eſſe, decidit. Sequutus Tabernæmontanus, ait: *Opium à Diagorâ repudiatum eſſe, quòd apertum venenum ſit*, in ſuam authoritatem Fernelii locum, *lib. 6. Method. Med. c. 1.* trahens, quo ait: *ſi in corpus aſſumatur, (opium) enecare hominem &c. & quoquo modo in uſum trahatur, membrorum ſenſum tollere, extinguere calidum innatum ac influens, hominemq; dormientem vitâ privare.* Hæc ille ex Fernelio. Quam ob rem, *nunquam exhibendum Opium*, ſuadet Tabernæmontanus, *niſi in ſumma neceſſitate, utpotè perpetuis vigiliis, doloribus acutiſſimis, ac ubi reliquæ medicinæ inefficaces deprehenduntur; & quidem tunc, cum grano, ut ajunt, ſalis, moderatè, ac cum cautela, in uſum eſſe vocandum.* Cumque veteres Medici, uti Meſues, Aëtius, Ægineta, Oribaſius, imò Galenus ipſe, temerè ſatis, in Compoſitionibus ſuis, quaſi placenta foret, abuſi ſint *Opio*, hortatur Poſteritatem, *ne audacius eorum Compoſita & Electuaria ægris ingerant, ea vel maximè, quæ Meconio* (quod cum *Opio* confunditur, illoque deterius eſt, ſi quis tamen inter rabidos mitior) *conſtiterint.*

Matthiolus, *lib. 4. Herb. c. 64. Cum formidine Opium eſſe tractandum*, præcipit, *tanquam inimicum vitæ inſidiantem.* Interim ejus *uſum* vel *nullum*, vel *cum ſummâ vigilantiâ, ac minima doſi*, ſuadet, *niſi deſperata id urgeat neceſſitas; tum demum adhiberi poſſe: ſed tamen ſingulari iterum cum prudentia & ſalis grano; aliud videlicet pharmacum Opio addendum, vel ipſummet corrigendum; cæteroquin iſtud calorem naturalem enecare, ſenſum omnem tollere, & hominem interimere dormientem.*

Ruellius, *de Natura Stirpium, lib. 3. c. 105. Audivimus*, inquit, *quosdam, cùm valetudo impatibilis odium vitæ feciſſet, hoc papaveris ſcilicet ſucco ſibi mortem conſciviſſe.*

Rhodius, vir ævi noſtri rari talenti, *in Analeptis ſuper Ludovici Septalii cautiones Med. in lib. 3. Opium non præbendum, niſi vires conſlent*, è Guainer. Tr. 14. c. 8. notavit. Idem Rhodius, *extremè periculoſum eſſe*, *in* Zacut. Hiſt. Med. lib. 1. teſtimonium reperit.

Renodæus, *de Materiâ Medicâ, lib. ſect. X. Opium mixtæ caliditati* annumerat, *ſed hanc leviorem & fugacem frigiditatem è contra validiorem & contumaciorem* judicat. Obſervavit pariter, *ſi indiſcriminatim exhibeatur, tremorem & paralyſin non tantum inducere, ſed prorſus ad perpetuum ſomnum, ac vitæ interitum, deducere.*

Schröderus, *in Pharmacopœiâ ſuâ, lib. 4. Claſſ. 2. p. 394. malignitatem quoque Opio* attribuit; *præterquam enim, quòd urinam ſupprimat, alvum claudat; induit livorem artuum, frigidos ſudores elicit, reſpirationes parvas, ac ipſam mentis alienationem, accerſit*: quod ipſo Scribonii teſtimonio comprobare videtur. Obſervavit Idem, qnod de qualitatibus Opii, calidumnè, an verò frigidum ſit, lis ſub judice ſit, & ab Authoribus controvertatur.

tatur. *Nil enim incommodi metuendum* censet *ex Opio, cujuscunque facultatis sit, in Theriaca, cum in pauca copia usurpetur. Calidum tamen potius, quàm frigidum esse*, philosophatur. *vim autem ejus narcoticam*, ait, *non à frigiditate, sed ab occultâ qualitate resultare; hâc persuasus ratione, quòd similem narcosim observare liceat, in nonnullis peste correptis, febribusq; malignis & ardentibus.*

Quercetanus, *Pharmacop. Phytol. cap. XI. adeò sulphureum* statuit *Opium, ut à sulphure suo facilè flammam concipiat ipsum, & ardeat, odoremq; narcoticum retineat, etiam post ignis examen integrum. Hinc fieri non posse, nisi interveniente alia præparatione* (meliore videlicet, quàm vulgaris illa sit, quâ suam vult intellectam) *quin cerebro mirum in modum infensum sit, & perniciosa lethifer aque inducat symptomata; qualia ipsi rectè tribuit* Scribonius, *de Compositione Medic. cap. 48.* juxta cujus sententiam *Opium gravedinem, gelationem, & livorem artuum, frigidosq; sudores manare facit, spirationem præpedit, mentem sopit, sensuq; abalienat: sed corrigi illud, si sulphur ejus abominabile arte penitus secernatur; quo facto utilissimum evadere medicamentum. Cap. eodem XI.* amplius censet, *idem (Opium) ante sui usum, in quantam essentiam redigendum: atque ita eò redactum, longè aliam, eamq; meliorem præparationem quàm in Theriaca, obtinere; solum enim Opium in causa esse, quoniam crudum incorrectumque & sine ulla præparatione, Theriaca misceatur, quod hac ad fermentationem sui aliquot menses, imò annos, requirat, priusquam evadat tuta. Nam ipsum prius fermentare debere, coqui & depurari, & noxio suo sulphure spoliari; ad quod negotium XII. menses requirantur ut plurimum: deplorandum insuper errorem esse* (pergit Quercetanus) *quod trium unciarum dosi tantum venenum* (putà Opium) *addatur*, (scilicet Theriacæ) *quod tamen paucorum granorum pondere, vitæ spiritum suffocet, & perpetuum somnum inducat.*

Bauhinus, *part. 2. Hist. Plant. lib. 30. pag. 395.* negat, *Quercetani descriptam novam Opii correctionem, antiquâ veriorem esse, & primò venenatam qualitatem malignitatemque inesse Opio*, affirmat, *quæ per digestiones nequaquam minuatur, aut superetur, nec accessione aliorum medicamentorum tollatur, sed tantùm corrigatur:* deinde censet in specie: *per Hyacinthos, Corallia; Terram Sigillatam, Pul. Bez: & Unicornu, nihil minui Officinarum Opii malignam istam qualitatem.*

Ex his adductis Authoribus collegeris, L. B. quàm sit concors tot Scriptorum philosophandi ratio, in designandâ *Opii* naturâ, qualitatibus, & virulenta indole, ut vix ullum reperias, qui inter illos sæpe dicto *Opio* virtutem alexiteriam, ac benignum in nos influxum, accenseat; quin potius omnibus viribus repudient, ab ejus consuetudine & usu dehortentur; pestilens, narcoticum, & invisum ægris, claris terminis pronuncient. Quorum Ante-

signa-

ſignanus fuit *Schröderus* noſter, qui ipſe contagioſis & deleteriis morbis, febribusque pernicioſis, tale, aut homogeneum, virus, naturâ ſuâ ineſſe, palàm confitetur, neque tamen à Theriaca illud arcere audet, eô, quòd in parva doſi eam conſtituat. Sed hallucinatur optimus *Schröderus*, cùm jam dictum *Opium* ſit inter prima Theriaces conſtitutiva, aduncias tres eidem decretum; quæ quidem quantitas haud exigua eſt, præſertim, ſi crudum, atque incorrectum mihi quidem, ac D. D. Quercetano ſatis ſuſpectum, noxium, & in jam dictis malignis affectibus planè exitioſum. Nam venena pleraque ſic à naturâ comparata ſunt, ut, ſimul ac in corporum noſtrorum penetralia admittuntur, & caloris noſtri beneficio actuantur, à vinculis, quibus hactenus compedita videbantur, expedita, virus ſuum aperto Marte in nos derivent aut jaculentur, vitale robur adoriantur, ſenſûs hebetent, ſpiritûs omnium facultatum diſſipent, calorem inſitum ſuprimant, & expugnato Corde, vitæ habitaculo, certam nobis mortem, pro veneni qualitate & pondere, ſine induciis, quandoque accelerent. Pernicioſi etiam morbi ac peſtilentes, conſimilem nobiscum ludunt Tragœdiam ac Cataſtrophen: Cor primariò expugnare attentant, debilitant, anguſtias acceruſunt, exæſtuantes facultatum ſpiritûs rotant & circumagunt, ſenſûs ligant & ſopiunt, ſpirituales virtutes dementant, præviam phantaſiam & ſenſationes perturbant; totam denique noſtram corporis œconomiam peſſundant, virusque ſuum virulento fomite dilatant, ac totam ſanguineam maſſam malignis ichoribus fermentant intimius penetrantia, donec penitus de vita conclamatum ſit, niſi præmaturius ſuccurratur. His igitur peſtibus, & generis humani ſicariis, ut maturo conſilio obviam eatur, nihil cunctando & hærendo, remedia certè paria, illisque proportionata, deſiderantur, talia nimirum, quæ alexiteria ſint, quæ à tota ſubſtantia agant, nobis rivalia, cordi dicata, vivifico noſtro humido & ſubſtantiæ amica, virus diſſipantia, cor denique validiſſimè propugnantia; quod plerunque diaphoreſi abſolvunt, ſanguinem rarefaciendo, mundando, & reſtituendo. Nunc in *Opio* noſtro hæc omnia ad amuſſim delineata ſunt, velut potius contrariâ qualitate & craſi nobis inviſum ſit, inteſtinus hoſtis, præclarus, ut ajunt, *cuſtos ovium*, *lupus*. Quis enim non videt, ſive de foris in uſum veniat *Opium*, ſive intra corpus admittatur maleſanus hoſpes, in contagioſis & virulentis affectibus, quòd eadem ſemper bellua in nos ſæviat; utut corrigas, redit ad genium & indolem, vitalia lædit; quatenus ſenſûs noſtros ligat, corporem inducit, cerebrum narcotico miaſmate ac Mephyti exhalante opplet, ſpiritûs influos ac refluos præpedit, quorum functiones intercipit, omnia denique pervertit & turbat, etiam in parva doſi, trium aut quatuor granorum, adminiſtratum. Prætereà nullas habet à natura qualitates venenis reſiſtendi, cor tuendi, virus propellendi, hominem à tam ſævo hoſte vindicandi. Accedit his, quod in morbis malignis, febribus Hungaricis, *Opii &*

Opia-

Opiatorum medela, vel in parva dosi lethalis sit; cujus rei testis & arbiter, qui talia vidi spectacula, sæpè fui. Quare ab horum usu sibi temperent Medentes in iis, qui similibus morbis tentantur, author sum, ne sibi maculam inurant, ægris verò certam necem ac perniciem accersant; cùm benigniora remedia prostent, quæ somnum in his morbis fugatum reducant, aut, si tuti esse volunt, sua spontè revertentem longanimiter præstolentur.

Ne tamen arbitrêre, me velle omnem *Opiatorum* usum abrogare, ac eo interdicere, quod tantum abest, ut potius eximias dotes ac prærogativas eis accenseam, & ob illud ipsum *Opium* Theriacæ attribuam, diversis in affectibus, multas dotes, ut potè in doloribus non malignantibus, & ubi suspicio deest affectûs soporiferi; in coercendis fluxibus, sive spontaneis aut symptomaticis, sive hypercatharsi, & superpurgatione excitatis; id est, in fluxu Synthetico, Dysenteriâ, Lienteriâ; nimio & prolixo fluxu muliebri, Hæmorrhagiâ Uteri &c. in quibus, atque similibus casibus *Opium*, ac Theriaca, magno successu porriguntur, adeò, ut *Opium* habeat Typum Romphææ, aut ensis bifidi, quem si incauta, furiosa, aut delirantis manus tractaverit, jugulum petit, herumque confodit: viceversa; qui dextrè eum versare noverit, huic amicum subsidium, certa defensio, ac patrocinium futurus. Sic *Opium* improvidè propinatum vitæ & necis solet esse libamen. Sed replicabunt alii, in mixtis, & adunitis pluribus ingredientibus, & compositis, non remanere crasim, & dotes, miscibilium rerum, sed resultare tertiam quandam formam, quam, cum Philosopho, *formam mixti* appellant, quæ beneficio fermentationis ex omnibus partibus emergat ac producatur, & differat à quovis ingrediente seorsim sumpto. Unde Theriacæ recenter dispensatæ vires anodinas & soporiferas adscribunt; antiquam verò ab his immunem esse, contra omnem & manifestam experientiam asserunt. Sed reverà nihil hic mysterii latet, aut efficaciæ in proposito argumento, cui irrefragabilis veritas, & experientia contrariatur; cùm indies nos experiamur, quòd Theriaca vetus, annorum etiam decem, vel ultra, æquè vires anodinas aut somniferas habeat, ac recentissima; & viceversa. Quod si tamen, labentibus annis, Theriaca exolescat, non solæ virtutes aut vires *Opii* labascunt, sed totum Compositum, & Theriaca, juxta omnes qualitates, fatiscit & enervatur; prout omnibus Compositis accidit, quorum vis & energia vetustate temporum atteritur: è quorum censu sunt omnia Electuaria, sicut & Theriaca, quæ præ reliquis Compositis nullam habet, ab interitu, prærogativam. Ut proindè non satis mirari quandoque licuerit, quo fascino & philtro alienati nonnulli fuerint, quòd, cùm, de more & lege Collegii Medici, in consuetis Officinarum nostrarum Inventariis, aut Visitationibus, semper cura habeatur, ut talia extent Composita, quæ ex recentibus nuper confecta, vetustis, tanquam inefficacibus, repudiatis; solam tamen, & unam Theriacam, à vetustate & an-

nis commendant. Neque enim mihi persuadeo, quòd longævitas illa, & incorruptio Theriacæ, à fermentatione peractâ dimanet; cùm hoc jure reliqua etiam Electuaria, quæ Melle, dispartis Succis, Liquoribus, Pulviſculis constant, à corruptela servari & eximi deberent; refragante tamen experientiâ. Neque ab *Opio* hoc illi accedit (prout Quercetanus somniavit,) sed potius à Succis concretis, ac acidis, Gummatibus, Chalcitide, & Terrâ Lemniâ, vino dissolutis oritur. Quippè dicta sibi invicem permixta, sola, haud leve fermentum conceptura essent, quantò magis Melli juncta; quibus nimirum dissolutis Gummatibus, Terrâ Lemniâ, uti & Croco, Succisque concretis, Vino dilutis, Mel liquidius, quàm par est, in præparatione Theriacæ efficitur; ex quo potissimum illa fermentatio excitatur; quandoquidem etiam Mel simplex, affusione tantùm aquæ simplicis, à consistentia sua crassâ & naturali nonnihil declinans, protinus fermentari solet; quantò evidentiùs è tot diversissimis concretis Succis, Gummatibus, Vino etiam dissolutis, aliisque Pulveribus, acribus nec non superingestis, utpotè Chalcitide, fermentabitur: quod si verò accidat, ut Mel nimium fermentetur, illud revera è dulci liquore degeneratin acerrimum & corrosivum stagma, aceto ferè symbolum, & homogeneum. Quocirca incumbit omnibus illis, qui Electuaria, Antidotos, Theriacam, & Opiata dispensant, ut Mel crassioris formæ & consistentiæ adopt nt, neque largiùs humores, ac liquida,, rebus dictis solvendis affundant & diluant; prout in præparatione Theriacæ perperam sæpius fieri assolet; ne fermentatio illa ultra modum excitetur, quâ revera toti Compositio nihil virium accedit, modò non quandoque minuatur; uti ex dictis superioribus rationibus patet. Nec ullo pacto habet illa fermentatio, ex natura rei, ut compositum efficacius reddat, quàm ipsæ partes constitutivæ sunt, desumpta paritate & exemplo ab ipsomet *Opio*. Nam si exacta computatio totius Compositi instituatur, quantum de uno aut altero ingrediente dimidiæ unciæ Theriacæ insit, reperietur, quòd dimidiam unciam *tria*, *vel quatuor*, *grana Opii* (modo debitum & proportionatum pondus Mellis, quod respectu aliarum specierum constituentium omnium, triplum esse debet, non verò quadruplum fraudulenter adjiciatur) ingrediantur. Sed quàm manifestè, præ reliquis omnibus ingredientibus, vis anodina in unâ drachmâ Theriacæ, ad sedandos colicos dolores, sistendos alvi fluxûs &c. insit, propatulum est, ac omnibus tritum; ut proindè in ejusmodi affectibus idem sit Theriacæ drachma una vel altera, ac aliquot *Opii*, seu *Laudani* cujusdam, grana exhibita; non obstante, quòd *Opium*, licet cum reliquis in Theriacâ mixtis plurimis, fermentationem sustinuerit, viribus nihilominus constans, pristinum agendi modum & efficaciam non amisit. Quod ipsum meâ & propriâ experientiâ consignare volo, qui sæpius Theriacam in largiori quantitate ipsemet sumpsi, semper expertus, quòd *Opium* idem in Theriacâ conficeret, quod per se *Laudana*

dana opiata deglutita præſtitura eſſent: ipſoque ſenſu expertus ſum, quòd placidiſſimam mihi quietem ambo, tùm Theriaca, tùm Laudana, cauſaverint, ſine ſomno profundo tamen, (quem quidem effectum in me omnia & *Opiata* & *Laudana* ſemper præſtant) animo ſibi relicto ſatis tranquillô, ac tantùm non omnibus curis ſoluto, ſed tamen ſemivigilante me, ſomniisque dulciſſimis, aſt breviſſimis, variatim refecto. Atinter hæc non ſolùm vim anodinam *Opii* in Theriaca obſervavi, ſed ſenſi pariter, ab aſſumpta dicta Theriaca, iteratò, hypochondriorum murmura, recurrentia tædia, ſine dolore tamen, aliquali nihilominus ſenſu, & ad vomitum proclivitate, irritô licet conatu: quæ omnia ac ſingula purgantibus annexis Theriacæ, è quorum cenſu *Rheubarbarum*, & *Agaricus*, *mitiora*; *Chalcitis virulenta*, *immitis*, & *effera*, ſunt tribuenda: quæ quidem ſuum motum & effectum conficerent, ſi reliquis ingredientibus numero & pondere æquipollerent; *Opioq;* doſi paria vires catharticas, & emeſin (chalcitis) exererent: quod cùm non ſit, ventriculum, & alvum, quam ſolvere nequeunt, turbant & confundunt. Hæc autem, quæ in præſenti commemoro, non ſolùm in Theriacâ novâ ac recenti, ſed veteri etiam, per decem annos, & ultra, edidici. Ex quibus, velut per tranſennam & nebulam, perſpicere licet, primò Galenum Theorematis ſui immemorem eſſe, *lib. de Theriaca ad Piſonem*, ubi inter reliquas Theriacæ dotes conſpicuas, & hanc annumerat, quòd purgationem & alvum ſiſtat, ſumpta poſt catharticum, ob vim, quam habet, alexiteriam, & omnibus venenis ſuperiorem; interim tamen *Rheubarbarum*, *Agaricum*, *&*, *violentæ naturæ*, *Chalcitidem* accerſit, quæ corporis noſtri œconomiam ſuſque deque, vi purgante & emetica, everterent, niſi in minori paulò doſi adjicerentur, parum illam refrenante virtute alexipharmacâ, quæ in Theriacâ deliteſcit, ut citra omne propoſitum, & artem proindè Cathartica & Emetica Theriacæ ſint adſcripta. Secundò; non ineſſe Theriacæ omnium & ſingularum partium veram fermentationem, probatur, ſed aliquarum ſolùm, & præcipuè Mellis, affuſo nimio liquore diſſolvendis reliquis ingredientibus, cùm paucus deſideretur; quæ deinde ſupereminens humiditas primaria cauſa eſſe ſolet fermentationis in Melle, concurrentibus nonnullis aliis ſuccis acidis. Proindè licet Mel fermentet, cum pauculis aliis, non tamen fermentatio illa habenda eſt pro genuina & generica ac totius Compoſiti transmutatione; cùm multa contineantur ad fermentandum poſitivè inepta, & vel maximè *Opium*, quod etiam ſpatio decem annorum viribus ſuis conſtat, nihil roboris aut energiæ deperdens, nullius qualitatis factâ alteratione: ex quo proindè nulla in Theriacâ Metamorphoſis & nova geneſis ſpectari poteſt; cùm magis & minùs non ſuſcipiat, confuſum ſemper durando Chaos. Tertiò: ad præpediendam fermentationem Mellis, ne dulcedinis ac virium diſpendium ſubeat inter fermentandum, deligatur Mel craſſius pro confectione Theriaces, & reliqua

ingredientia, quæ vino dissolvenda & diluenda sunt, pauco liquore diluantur: ubi enim paucus liquor affluit, ibi fermentationes tardantur. Quartò: cum in Theriacâ non sit genuina fermentatio, qualis ex Farinâ & Aquâ resultat, cujus massæ minima portio per totum corpus tota diffluit, adeò, ut, nisi illicò pistrinam & furnos subiret, tota Massa panis homogeneum fieret fermentum. Nam actio fermenti est corruptio prioris Compositi, & generatio novi, viribus & accidentibus utplurimum à priori distinctis. Quæ enim fermentantur, fiunt spirituosa, intumescunt, & pro natura fermenti alterantur: &, prout Doctissimus Riplæus ait: *vera fermentatio est animæ cum corpore* (materiam cum forma subaudiens) *incorporatio, restaurans innaturalem odorem, saporem, & calorem, per naturalem inspissationem rerum separatarum, debitâ redintegratione; unde corpus à spiritu accipit impressionem, ut unumquodque possit juvare alterum, ad conciliandam perfectionem.* Talis autem digestio & fermentatio in Theriaca non extat, annos etiam decem asservatâ; cùm eosdem effectûs post decem annos producat, quos primo confectionis die: quod vel maximè *Opium* ex Theriacâ sensibiliter præstat. Et, licet fermentum verum non mutet substantiæ massam, mutat tamen qualitates, dum massam in tumorem attollit, spiritibus quasi per resolutivam quandam digestionem turgentibus & excitatis, dum acescunt humores, spiritûs resolvuntur, & novum ens qualitativum resultat; quod in Theriaca non experimur. §. Hæc operâ tumultuariâ attigimus de *Fermentatione*, de qua innumera, rara, curiosa, & inaccessa aliis Authoribus, afferre possemus; de natura & specie scilicet *Fermentorum*, quâ ratione transmutationibus præsint, digestiones, gustus, sympathias, & antipathias rerum gubernent, quâ ratione instar seminii feraciſſimi in infinitum quasi participalia sint, & augeantur, semper ex determinatione sui plurima secundum speciem producendo, ut sint quasi totum in toto, insimul etiam undique diffiua, & totum in partibus singulis: quæ tamen hîc tractare, locorum & temporis angustia prohibet. Ad *Agaricum* proindè transeo.

Post *Opium* igitur, cujus vivam Anatomen analyticâ & resolutoriâ methodo tradidi, prægraves errores & amethodos, quibus nostra Theriaca scatet, pro conscientiæ & obligationis vinculo detegens, sequitur *Agaricus*, de cujus temperie, naturâ, & indole, tum Veteres, tum Recentiores diffident. Dioscorid. *lib. 3. c. 1. adstringendi, calefaciendiq; naturam habere, alvum solvere, & venenis repugnare*, perhibuit. *Mesuæ*, sub titulo *medicinarum laboriosè solventium, in quibus sit venenositas, ponit hunc fungum quoq;*: idque *capitulo 3.* in quo istum *ordine primo calidum* statuit, *siccum secundo, dupliciq; constare substantiâ, aërea & terrestriori stypticâ, sed tenui, ob prædominium igneæ substantiæ, quibus incidat, attenuet, detergat, obstructa reseret, flatûs dissipet, purget alvum, utramq; ciendo bilem*, pro confirmatione Galeni assensum adducens.

Dein-

Deinde ſubjungit, quod *urinam & menſtrua proliciat, uterum purget, lumbricos enecet: &c. multam interim virtutem alexiteriam* Agarico tribuit.

Sylvius, *in Annot. ſuper Meſuæ deſcriptionem Agarici*, ait: *Iſtum eſſe naturâ ſolutivum, carminativum & aperitivum omnium oppilationum. Imprimere morboſum characterem viſceribus, quæ debilitet, ſupinum ac vecordem eſſe in operando, citra virtutis alexipharmacæ teſtimonium.*

Manardus hanc, ſuper Agarici deſcriptionem Meſues commentans: *ad ferarum morſus, qui infrigidando accidant, valere*, ſententiæ Galenicæ ſectator, quam & pro ſe adducit, ſcribit.

Ruellius, atque Matthiolus, è Meſue, Sylvio, & Manardo, aſſignant *vim purgantem & renovantem* Agarico: ſubjungunt tamen, non niſi è Manardo, *reſiſtere venenoſis accidentibus, in vino hauſtum.*

Tabernæmontan. *part. 2. lib. 3. cap. 3.* inter *medicamenta phlegmagoga* præcipuè numerat Agaricum; & citat Fallopium, qui, *in Tractatu de medicamentis purgantibus*, Agaricum *lædere inteſtina, ſegniter ac modicè operari*, habet, &, in fine, mutatis è Matthiolo formalibus, ſequentia, linguâ vernaculâ, addit: Das *Agaricum* widerſtehet auch allen gifftigen Unrath. Sed *ſub titulo*, von den Lerchen-Schwamm Pilulen/ è Manardo adjicit: Das *Agaricum* wird auch aufgelegt Pflaſterweiß/ wider die Biſſe und Stiche der gifftigen kalten Thieren.

Nec Renodæus, *lib. 3. de Mater. medica, cap. 8, Vires alexipharmacas* dat Agarico; licet Dioſcoridi, in reliquis omnibus, hoc excepto, ſit conſentaneus.

Clariſs. D. Schröderus. *hoc apoſtema, & ſcabiem, vetuſtate putreſcentium arborum, nequaquam* commendat, aut *antidotum* credit: *lib. 4. pharm. ſuæ, cap. 3.* ubi *purgantibus* primariò annumerat.

Quercet. *Tom. 2. pharmacop. Phytol. cap. 29.* eundem Agaricum *inter pituitam purgantia* refert, *vim ejus itendidem imbecillem* aſſerit, *& ventriculum offendentem, cap. 319.* Hinc *in Compoſitione Theriaces nullum digniorem locum aptioremq; unà cum chalcidite, ipſi deſignavit, quàm* qui præ foribus patet, *pag. 460. Pharm. General. ſive dogmat.*

Ex his in medium deductis Clariſſimorum Virorum ſententiis colliget. B. L. quòd Dioſcorides, & Manardus, ſoli (qui & ipſi è Galeno mutuati ſunt, uti & reliqui omnes) Agarico noſtro *vim Alexiteriam*, ſtylo & verbis frivolis ad cripſerint, ſumptis venenis ac morſibus letiferis remedentem; reliqui verò omnes vim *pituitam purgantem:* imò non defuerunt, qui ei *virulenti*, neſcio quid, ineſſe perhiberent & minimè dignum, qui catholicam hanc antidotum, & nobilem Theriacam, conſtitueret; uti reipſa inſanum judico, medicamentis alexipharmacis, cor tuentibus, virulentias profligantibus, ejusmodi nocua purgantia coacervare, quæ tota ſubſtantia differunt, imò contrariantur. Enimverò hi, qui *Agaricum*

definiunt, esse *alexiterium*, Regula & Canon nobis esse non possunt; cum ratio illos convincat & disuadeat, & ipsa tutior Magistra Experientia in contrarium hortetur; ut proindè, præter inania verba & sonos, aliquid solidi non reperias. Taceo doctissima commenta recentissimorum Authorum, super *Agaricum;* uti Clarissimi & Acutissimi Hispanorum Scriptoris Nunez, qui usum *Agarici* vituperat, quod *vomitum moveat, & ad partes affectas humores fluidos inclinet, minimè* docens, quod *virus repellat*. Vide, in terminis, Cardanum, qui Agaricum *humanæ naturæ inimicum, ad vomitûs sollicitantem, ventriculum subvertentem, molestas cardialgias inducentem*, ait, & reprobat; *cujus substantia*, inquit, *putrida est, malignis fungis & tuberibus consimilis: putrefiunt enim citissimè, & malignè*: hæc eorum genesis. Lege Petrum de Heredia, *in Febre Amphemerina*, & reperies, quales virtutes *Agarico* tribuat; cordiales autem & alexipharmacas neutiquam. Helmontius Agaricum nigrum *præfocandi & strangulandi virus habere*, ait *eò quod fungosæ indolis, ac in ipso enascens trunco contaminetur; videlis, nè & albicanti huic fungo paria inscribenda elogia, qui cum Agarico nigro paria habet cunabula & genesin.* Hinc proindè, cum Clariss. & Doctissimo Quercetano, & reliquis magnæ notæ viris, *Agaricum* indignum & reprobandum censeo, qui Theriacæ adnumeretur, cùm, instar remoræ, cœtera alexiteria sistat, retardet, infringat, naturæ, & vel maximè ventriculo, inimicâ qualitate hostilis, præposteros effectûs procuret. Neque hic subticere possum experientiam, quâ comperi, *Agaricum habere vim exurendi*, ad instar Euphorbii, adeò, ut, si per inspirationem ad nares alliciatur, & pectus occupet, cerebrum inflammet, pectus constringat; quod vel maximè tunc observandum venit, quando ad dispensandos Trochiscos atteritur, & radulâ comminuitur; in quibus circumstantiis, si ab his insultibus liber & immunis esse cupias, caput & nares, ac oculos, linteis obmunias, necesse est, nisi has molestias experiri velis, & continuâ sternutatione, intercepto anhelitu & respiratione, molestâ denique ophtalmiâ exerceri. Et sanè palàm confiteor, quòd nunquam à tot elapsis annis, quibus Medicæ professioni præsum, ullum viderim aut legerim, qui in morbo contagioso & maligno, ad expugnandam deleteriam qualitatem, *Agaricum* in subsidium vocarit, nisi Agyrtas quosdam, & pseudo practicos; qui impunè & licentiosè in humana corpora sæviunt, in febribus malignis passim & indiscriminatim, nullos observantes morborum gradûs & dies, cum certâ patientum pernicie, Cathartica propinant; ut proindè satis mirari animum non subeat, quânam ἐκφάσει abalienati fuerint tot conspicui, artem professi Medici, ut suam contaminantes famam, *Agaricum* Theriacæ assignarint, aut non subtraxerint. Nunc transeo ad *Rheubarbarum.*

Parallela hæc sibi sunt, *Agaricus* & *Rheubarbarum*, in Theriacâ, utraque alvum

alvum movent, humores agitant, virtute alexiteriâ destituta, ut proindè, cum viris gravissimis, asseram, *Rheubarbarum* circa rationem Theriacæ superingestum fuisse, cujus activitas & operatio non est à centro ad peripheriam, à corde ad cutem & poros; sed uti omnia cathartica, è quorum utique censu *Rheubarbarum*, contrario operatur motu. Verùm hæc fusius ratione & authoritate confutemus.

Dioscorides, *lib. 3. c. 2. Vim summam adstringendi, cum aliquali calore*, ei tribuit, ac solus ferè reperitur, qui *contra venenatorum morsûs auxilio fore*, perhibet. Reliqui enim, & præclaræ notæ, Authores, quos subjungo, de virtute alexipharmaca, frivolè ac falsò attributâ, altum silent. Nam postquam Mesues, *cap. 5. de simplic. calidæ & siccæ temperaturæ, in gradu secundo*, esse definiverat, Rhabarbarum, subjungit, *purgare bilem, evacuare pituitam, Ictterum, Hydropem, Splenis tumorem, Febres putridas &c. tollere, præcipuè verò multas dotes medicamento purganti expetitas* (formalia Mesuæ refero) *completi, nullis alexipharmacis* in Rha isto Pontico deprehensis.

Matthiolus, *lib. 3. Herb.* postquam illud *igneum & terreum potius, quàm aqueum & aëreum, prædicasset, contra dysenteriam & menstrua excedentia prævalere, lumbricos enecare*, decidit, *virtutem* autem *alexiteriam minimè* attribuit.

Tabernæmontanus, *vim expurgandi bilem & pituitam* Rheubarbaro assignat, uti è Fallopio transcripsit, *nihilque à partibus hepati remotioribus vacuare, neque pituitam crassam exturbare.* Referente eodem Tabernæmontano, Fernelius, atque Fallopius, de dosi & quantitate *Rhabarbari* litigant. Nemo est, qui illi *vires alexipharmacas* tribuat, solum *Ruellium* si excipias, qui, postquam supra memoratas *Rheubarbari* vires complexus esset, *contra serpentum venenata jacula, lib. 3. cap. 2. de Natura Stirpium, valere* meminit; idque se unius aut alterius Authoris exemplo & sensu decidisse, contestatur.

Renodæus, in designandis viribus *alexiteriis Rheubarbari*, protinus obmutescit.

Quercetanus *vim* tantùm *Catharticam* ei attribuit, *non adstringentem;* ad normam Mesuæ, & aliorum: *Pharm. suæ cap. 25.*

Schröderus, *lib. 4. cap. 433.* coincidit, & *virtutem cholagogam ac Phlegmagogam, nec non adstringentem, in omnibus morbis, agnoscit.*

Bauhinus, *lib. 23 Hist. Plant. Nihil virtutis alexit.* apud tot Authores, quos consuluerit, (fuêre autem omnes suprà memorati) reperisse se, pro *Rheubarbaro* meminit.

Ex quibus omnibus ac singulis liquet, neminem Scriptorum (si unicum eximas Dioscoridem) *Rheubarbaro* virtutem alexipharmacam, cardiacam, & roborantem attribuisse, omnes autem & singulos in hoc puncto ac centro concurrisse; quòd cholera purget & pituitam. Quod si enim *Rheubarbarum* efficaciam quandam & potentiam adversus toxica & virulentias habe-

haberet, pridem à tot ſæculis fama percrebuiſſet, & cum reliquis alexipharmacis à Medicis in uſum veniſſet. Verùm cùm tam Veteres, quàm Recentiores, ratione & praxi deprehendiſſent, quòd in malignis & peſtiferis affectibus purgantia certâ eſſent pernicie, hanc ob cauſam *Rheubarbarum*, cujus vis laxativa & purgans neminem latet, tanquam virus notorium, in malignis devitarunt: quare & nos *Rheubarbarum* relegemus, ſubſtituente DEO, Authore naturæ, ſaniora & tutiſſima pharmaca, ad deleterios morbos expugnandos. Quare cum Doctiſſimo Quercetano, aliisque præcellentis doctrinæ viris, quibus indiſcriminata hæc rerum ſarrago, Theriacæ nimirum, ſuſpecta ſemper fuit, concludo: *Rheubarbarum* præpoſterâ methodo & ſenſu Theriacæ admiſceri, & in eâ contineri. Ex his ad *Chalcitidem* deſcendo.

Chalcitis, quotquot evolvo Authores aut Scriptores, nihil aliud eſt, quàm *ſpecies Vitrioli nativi*, quam *Glebam naturalem* dicunt, quæ, in Inſula Cypri, è metallicis cupreis fodinis eruitur, inter medios lapides ac mineras, quaſi medulla & butyrum, ſi illius conſiſtentiam ſpectes. Hancque ſpeciem & Glebam argentifodinæ Pannoniæ largiter proferunt, quanquam magis albicantem, viſcoſam, mollem, & unguento conſimilem: de quâ materia, tanquam univerſali metallorum ſemine, nonnulli multum gloriantur, ſperant & jactitant; cùm tamen reipſa aliud nihil ſit, quàm *naturale Vitriolum* aut *Chalcantum*, non parum quidem de Metallis participans: quàm & ipſe pro materiâ metallorum proximâ teneo, è qua, accedente ſulphure metallico, beneficio Solis, & caloris terreſtris, metalla tandem progignuntur, juxta ſpeciem & qualitates ſulphuris, aut potius ſeminalis virtutis determinatæ, in ipſis terræ viſceribus. Illam jam dictam Glebam, dum, ante viginti circiter annos, & quod ſupereſt, legitimam Theriaces Confectionem inſtituebam in Collegiis Chymicis & Pharmacevticis, Patavii à me habitis, arbitris ac præſentibus quamplurimis Excellentiſſimis & Doctiſſimis Viris, diverſarum Nationum, præſertim Excellentiſſimo Veslingio (cujus piis manibus æternam requiem deprecamur) hanc, inquam, *Glebam* apud Mercatores venalem proſtare deprehendi: guſtu eam primò exploravi, & reperi eam pleniſſimam nauſeâ, cuperoſam, tetrum quid exhalare, & redolere, linguam & fauces in tantum ferire, ut impreſſam ejus ideam, & olidum virus totis diebus è faucibus redoleas; &, meo calculo, exitioſum & toxicum, adeò, ut corroſivis ſuis ſpiritibus, & æruginoſâ qualitate, ipſum Mercurium ſublimatum adæquet, ſi non exſuperet, &, ſi meæ foret electionis & arbitrii, aliquot grana Arſenici, aut Mercurii ſublimati, devoranda eligerem, quàm jam *dictæ Chalcitidis*; & tamen, his nihil officientibus, Theriacam noſtram efficaciter nobilitat & conſtituit, (ſcilicet.) Ego tunc temporis, ne Theriacæ quid detrahetem, rem cum Excellentiſſimis viris maturo conſilio conferens, unanimi calculo firmavi, & *Chalcitidi*, non

non quidem *Vitriolum Romanum ad flavedinem calcinatum*, æquè emeticum, sed *Vitriolum Martis, seu Chalybis, cum Spiritu Vitrioli è Marte paratum*, atque nonnihil ad phlegmatis exhalationem & flavedinem, cineritiumque colorem calcinatum, substitui, quippè quod viribus suis benignum ac mite, vires præstat aperiendi, laxandi, viscera nostra corroborandi, omnibus malignis qualitatibus exutum, quibus *Vitriolum vel Romanum*, *cæruleum Veneris*, *seu cuprosum*, infame est & detestandum; quæ tamen *Vitriola* nonnulli substituunt in Theriaces præparatione, ad mentem D. D. Augustanorum, parum calcinata: at æquè violenta sunt emetica, humoresque magnâ tyrannide per superiora agitant insimul & inferiora. Nam *Vitrioli albi aut albificati* dosis, etsi, quando statim cerevisia superbibitur, vix vomitum excitet, attamen toties alvum commovet, ut vix credi possit, tantum liquaminis intra hominis unius angustias & corpus latitare, quantum evacuat. Hoc idem cùm pari violentiâ in sano homine operetur, etsi non cadaverosum quid & corruptum, sicut à sumptâ Colocynthide, Scammonio, & Helleboratis, fœteat; habendum tamen est pro rudimentis massæ sanguineæ, & cruoris, intra mesaraicas, vi & qualitate malignâ Vitriolatâ depravatis & mortificatis, quibus subtractis, necesse est, hominem enervari, musculos faciei contrahi aut convelli, lypothymiis & angustiis tentari, pro veneni deniquè pravâ naturâ & indole excarnificari, tanto virium & vivifici nectaris facto dispendio: ut proindè in Scyllam incidant, qui, excludendo *Chalcitidem veram*, à Theriaces confectione, non verò mitiora, sed jam *dicta Vitriola*, substituendo, volunt vitare Charybdim; cùm tamen alexipharmaca, vel saltem stomachica, undique prostent, cum emolumento subroganda. Et licet exiguâ planè dosi *Chalcitis* Theriacæ immisceatur, uncia semis nimirum toti Compositi, cujus (Theriacæ scilicet) drachmæ duæ continebunt saltem tertiam partem unius grani ejusdem Chalcitidis, quod fanè perparum est; nihilominus tamen & reliqua præstantia alexipharmaca, confortantia, & stomachica, in parva quantitate dosin Theriaces nobilitant: ut proindè, factâ proportione ad preciosa & congrua, *Chalcitis*, cum reliquis multis perperàm & leviter adjectis, è quorum censu etiam sunt *Rheubarbarum*, *Agaricus &c.* multum obesse possint, cùm pravam causalitatem & actiones producendo, tum utilium in Theriacâ contentorum laudabiles effectûs remorando; quales sunt virtutes alexiteriæ & roborantes. Ut proindè, me judice, Theriaca nostra præcellentis naturæ & effectûs foret, si saltem hæc tria jam dicta (simul etiam diminuto pondere *Opii*, aut penitus eliminato, cùm, si ferat necessitas, Dysenteriâ, Colicâ, Stomachi languoribus &c. vel in substantia *Opium colatum* saltem, aut, majori cautelâ, in extracti formam substitui posset) à Theriaca exularent. Cæterùm, quæ *de Chalcitide* Classici Authores ad nos transcripsêre, perpauca sunt, nec scientiæ ardorem, & veritatis hauriendæ desideria, explere pos-

re poſſunt. Videamus tamen, quid opus *Pandectarum*, *Venetiis 1524. impreſſum*, nobis revelet: *cap. 716.* hæc leguntur: *Calcitis dicitur Zeg, Zegara, vel Chachira, Græcè Chalcitis, vel Colcothar, vel Zegi Calcadis, Latinè Vitriolum. Seraca Zeg. auct. Galen, Vidi*, inquit, *in mineris tres venas extenſas, unam ſuper aliam, per longum ſpatium. Et vena inferior erat Zeg. nigrum, & vocatur Marcaſita: & ſecunda, quæ erat ſupra eam, eſt Calcata & Chalcitis: & tertia, quæ erat ſuperior, eſt Zeg viride, & eſt Vitriolum vel Calcantum, & hoc, quod eſt Zeg nigrum, convertitur & fit Colcotar, Zeg viride, id eſt, Vitriolum; virtus iſtorum omnium eſt aduſtiva, comburens carnem, & faciens eſcharam duram, & eſt ſtiptica.*

Idem Author *Dioſc.* ait: *Zeg aliud eſſe Babylonicum, aliud Cyprenſe; Babylonicum eſſe magis durum, quod, cùm frangatur, habet interius maculas albas, & virtus ejus ſit ſicut Chalcitis.* Pergit idem *Dioſc. Vitriolum & Chalcantum eſſe ſtipticum, conſtrictivum, aduſtivum.* Ante hæc verò, *cap.* videlicet 22 ita inquit, ex aliis Authoribus: *Chalcitis eſt ſpecies Vitrioli, tenens medium inter Chalcitin & Vitriolum, de quo Dioſc. cap. 1. Chalcitis dicit, quòd ſit Gleba naturalis, quæ in Cypri Inſula in metallis inveniatur, colore ſubauroſo fragilis, intus habens venas diffuſas, ut alumen ſciſſum, in modum ſtellatum fulgenter, & æqualiter fragilis, Virtus ejus eſt ſtiptica, traumatica, ſarcotica, &c.* Huc uſque verba Authoris hujus pervetuſti Pandectarum.

Clariſs. Schröderus *hanc Glebam* alio nomine, vel encomio, vult inſignire, neſcio unde derivato etymo, *quòd Myſi ſit & Sory, Pharmacop. ſuæ Medico-Chym. lib. 3. cap. 15.* forſan è ſyntagmate Libavii, de Extractis, & Eſſentiis cap 41. transcripſit, unde & revera mutuatus eſt, ubi Libavius inter *Chalcanthum* & χαλκὸς ἀνθὸς (quòd flos æris ſonat) magnam facit diſparitatem; jamque dictum Schröderi *Myſi, aureo, Sory, rubro colore, cum nauſeabunda graveolentia, conſtare* docet, quale noſtrum fuit, quod ſupra deſcripſimus, ubi & Melanterium addit, colore cineritio, vel ſulphureo, *Vitrioli genera:* quanquam hæc Metallurgis ſinamus. Quod ſi tamen barbara plura & peregrina vocabula, ut famam, ac eruditionis cujusdam gloriolam venêris, deſideras: lege *Metallica* Agricolæ: Baccium, *lib. 5. de Thermis*, ubi *de Chalcanto Hiſpanico:* Cæſalpinum, *de Metallicis* acutè gloſſantem: Penotum, *in Chymicis:* nec non, *de Vitriolo*, Quercetanum, *in Tetrade:* Crollium, *in Baſilica* ſua baſilicè diſſertantem. Fateor, digreſſus non nihil ſum & Theriacæ limites exceſſi: verùm hanc *Vitrioli* anatomen ac analyſin ideò in me ſuſcepi, ut omnibus palàm facerem, dictam *Chalcitidem* nullas vires alexiterias, roborantes aut cardiacas, obtinere, quin contrariâ & deleteriâ indole, & qualitatibus, nos opprimere, & fœderatis cum venenis viribus, vitæ & facultatibus noſtris inſidiari; dignam proindè, ut è cenſu reliquorum Theriacæ membrorum ac partium proſcribatur; ſuffragante nobis Libavio,

vio, qui *pertinacis & indomitæ naturæ Calcanthum* esse, perhibuit. Et si forsan quempiam à Chalcitide mutuata nigredo & atramentum procabatur, quo eleganter Theriaca tingeretur & nigricaret; is sibi persuadeat; Theriacam speciosius ostrum ac fucum sibi vendicare *à Croco*, & *Rosarum purpura*, quæ duo sola in caula sunt, ut, ultimatim infusâ *Chalcitide*, prout mos fert, Theriaca atro pulloque colore squaleat; eò, quòd omne *Vitriolum*, junctum roseo & aureo Croci colori, naturali quodam arcano, in dissymbolo & antipathiâ quadam radicato, nigerrimum colorem efficiat, instar Sepiæ; cùm, viceversâ, *Spiritus Vitrioli* (qui & ipse *Chalcitidis* soboles, & *Chalcanthi* spiritus dici posset, etymologiâ nominis, cum in virtute symbolizet) Rosas rubeas, & Crocum, melius coloret & intendat (si nimirum, affusâ aquâ, eorum Tinctura extrahatur) non autem jam à primis coloribus & forma tinctas in atrum degenerare faciat, prout *Vitriolum crudum*, *Chalcantum & Chalcitis* assolet. Et sanè rationi magis consonum foret, si, in vicem *Chalcitidis crudæ*, *Spiritus Vitrioli*, in competenti pondere, substitueretur; *Chalcitis* verò *cruda* ignis examini subjiceretur priùs, ut ex illa spiritus eliciatur, cùm cruda nobis exitiosa sit, nec unquam digna, quæ ad Confectionem Theriacæ adhibeatur. Et hæc de *Chalcitide*.

Nunc rerum ordo ac series postularet, & reliqua Theriacam constituentia examinare, ac disquirere, num conformiter rationi & naturæ, toti orbi spectabilem Antidotum, & Panaceæam, Theriacam integrent & constituant; cùm lucè meridianâ clarius sit, multa adhuc latere ingredientia, quæ nec umbram aut vestigium alexiteriæ cujusdam indolis ac naturæ præ se ferunt; ad quod tamen essentialiter & ex naturâ rei jussa & instituta sunt; interim, veluti inutiles farcinæ, Pondus Theriacæ augent, precium & vires adulterant, & numerum multiplicant, ac, si graphicè rem describere & definire velis, aliud non agunt, nisi quòd influxum & modum operandi turbent, virtutes ejus incidant, & humores exagitent. Verùm, cùm horum excessivus sit numerus, & assumptum nostrum, de Theriaca, argumentum in Codices ac Volumina excurreret, si ad singula descendere animus foret; ut contrà brevitati consulamus, uno hoc Laconismo, & brevi Theoremate, singula edocebo; prudenti nimirum judicio Philiatri illa concredens, qui æquo judicio & lance, nulli Magistro se mancipans, vel assentando conjungens, & facili & perspicuâ methodo reliqua discernet, ac, quàm præposterè ac finistrè, in artis & Medicinæ ludibrium, Medentium risum ac contemptum, tam dissona in unam corrasa sint Theriacam, videbit; ex qua non nisi aphoniam & discordantias præstolari possis: & vel maximè id præstabit, cùm jam, perruptâ glacie, parum laboris restet, ut scilicet ex legitimis præmissis, facilè & naturâ sua influentem sequelam inferat, & ab universalibus ad particularia deflectat. Ego interim, pro tempore, suffragium & calculum meum, de his censuran-

dis, ſuſpenderim; cùm neque de Claſſe & Ordine virulentorum ſint, neque mordacitate ſuâ, exurendi, inflammandi, purgandique vi ægris periculum acciant, aut narcoſi ſuâ, & deleteriâ qualitate, toto ente, ac naturâ, contrarientur: quanquam, ſi ſuo ſe conformet etymo præfixo ſingula cardiaca, alexiteria, roborantia, antidotalia denique ut ſint, expetatur.

Felix, ſimplicibus novit qui tollere morbos;
Pro quovis morbo eſt una vel herba ſatis.
Cui tamen ex uno multorum noſcere vires
Conceſſum medicas; Ille beatus homo eſt.

Loquor de uno, ſive numericè, ſive effectivè, ut, licet concretum ſit, & ex pluribus conſtet, unum tamen ſit, virtute & effectu, debitum in natura concentum, harmoniam, & ſubordinationem conſtituens. Ut proindè deteſtandus ſit lapſus, & ſocordia ævi noſtri, quo immenſa DEI benignitas, & increata ſapientia, magis à creaturis ſuis participari voluerit, de abyſſo reconditæ ſcientiæ ſuæ, theſauros ampliſſimos diſpenſans, arcana naturæ reſerando, ſecretiſſima nobis remedia, viribus integerrima, effectu admiranda, revelavit: his tamen non appretiatis, vel non intellectis, dona DEI & ſecreta negligens, adinventionibus ſuis delectatur, & (cùm tam ſalubria, rara; & ſecuriſſima proſtent remedia, in unâ tamen defigitur Theriacâ, quæ ex tot diſſitis ſibi repugnantibus, acribus, mordacibus, deleteriis, narcoticis, purgantibus, emeticis, ſtipticis, cordialibus, virulentis, ſplenecticis, hepaticis, ſtomachicis, nauſeoſis, & apepticis, velut antipharmacum, & univerſale ſecretum, ex omnibus conflatum, ex toto autem nihil poſſidet. Habeant ſibi Panacæam hanc, qui univerſalibus ſimilibus delectantur medicamentis, quæ andentur in Chymia, & de quibus multi hyperbolicè gloriantur, judicium meum differo; & eſto problema. Interim tamen non inficias vero, dari quædam compoſita medicamenta, uti & ipſam Theriacam, in pluribus affectibus magni uſus & energiæ; quod ſuperius notavi: imò in plurimis morbis ſalubriter expeti, utpotè in doloribus Colicis, à frigidis cauſis exortis, Dyſenteriis, Lienteriis, Alvi fluxibus immoderatis à medicamento acri violento, in Uteri Hæmorrhagiis &c. idque ratione *Opii* liberaliter adjecti, & paucorum reliquorum ex roborantibus & ſtomachicis. Sic pariter medicamenta Stomachica, Cephalica, aut Hepatica &c. plurimis aliis morbis ex accidenti poſſunt mederi, quatenus ſcilicet à ventriculo debili, cerebro humido, hepate obſtructo, & imbecilli &c. tanquam à ſcaturigine, & primâ venâ, ſuam derivant originem: unde quoque alia morborum genera fluunt, quorum ablatâ cauſâ tollitur effectus. Et ſanè apud quosdam res miraculo ac myſterio plena videtur, unum idemque cathartícum morbos re & ſpecie differentes extirpare; quando ſcilicet morbus, qui primâ fronte tot diverſorum ſymptomatum recurſu ac ſyndrome varius eſſe creditur, tamen in eſſe ſui, ac conſervari,

vari, à materiâ occasionali, intra ventriculi sphæram, intestinorum & mesaraicarum angustias, quò facilè vis purgatrix penetrare potest, dependet ac stabulatur; quæ deindè commota à natura, & ipsa purgantis stimulo excita, cum reliquis impertinentibus, & saburra peccante, ejicitur, ut quasi miraculo morbus recessisse putetur: quod & in *Opio* dextrè ac fideliter parato quotidie experimur. Hoc solum impugno, & hactenus expugnavi, absurdum nimirum esse, & viro sapientiam professo indignum, ex tot sibi oppositis & nocuis partibus homogeneam dispensare antidotum, omnibus morbis salutarem. Etenim, si paulò largiori dosi *Agaricus*, *Rheubarbarum & Chalcitis* huic Theriaces compositioni adjecta fuissent, æquali videlicet reliquorum præcipuorum ingredientium, *Opii* puta, pondere, totum certè compositum magis nocuum reddidissent, & ad supradictos morbosos affectûs planè etiam inutile; cùm, quàm parvâ etiam dosi Theriacæ illa adjiciantur, virtutum tamen suarum operationes manifestè gliscere finant, ut, Theriacâ paulò largiori dosi sumptâ, eorum vis purgatrix & malignitas manifestè deprehendatur, & (nisi *Opium* obstaret) magis perspicuè operationes & tyrannidem suam exercerent. Ut proindè Theriaca multò efficacior & expetibilis foret, si saltem sup adjecta tria deessent, & plurima alia sapienter addita non præpedirent. Nam si laborì parcere non vis, & calculum subducere, quantum de unoquoque ingrediente salubri & congruo dosin unam Theriacæ constituat, pro impugnando determinato affectu quodam; liquidò tibi patebit, quantoperè in se mutuò reagant, determinatas operationes & fines impediant, retardent, & effectum debitum frustrentur; &, si de his etiam queri nolimus, experimur tamen, in usu hujus Antidoti arctis limitibus nos circumscribi, ut pro affectu, & urgentis necessitatis circumstantiis, talem dosi debitâ ordinare, piaculo sit, ob multorum, quæ perperàm congesta sunt, repugnantiam, & violentam operationem. Rem exemplo illustremus. Expetatur dosis una Theriacæ ad dysenteriam, vel pro hypercatharsi præpedienda, diarrhœam, aut immoderatas vomitiones, &c. ad quas lege Methodi Theriaca multum expetibilis: exhibeantur pro dosi drachmæ binæ Theriacæ; gaudebitque ista dosis, videlicet duæ illæ drachmæ, de stomachalibus, balsamicis, & ad fluxûs hos sistendos, præcipuis rebus, uti in specie sequuntur: nimirum, de *Piperis speciebus omnibus*, *granis tribus*: *de Opio*, *granis duobus*: *de Rosis siccis rubris*, *grano uno*: *de Opobalsamo vero*, *seu ejus succedaneo*, *Oleo Nucum Moschat. expresso*, *grano uno*: *de Cinamomo*, *grano uno*: *Myrrha*, *Costo*, *Croco*, *Terebinthinâ*, *Zinzibere*, *ana grano dimidio*: *Styrace calam.* *Calamo aromatico*, *Amso*, *Fœniculo*, *Cardamomo*, *Terra Lemnia*, *succo Hypocyst.* *succo Acaciæ*, *Castoreo*, *ana tertia parte unius grani*, *Macere*, *Caryophyllis*, *ana sextam parte unius grani*: & sic fortè de nonnullis aliis. Reliqua verò omnia Theriacæ ingredientia, quoad prædictos affectûs sanandos,

gratis adjecta sunt, pretium & dosin saltem adaugendo, (unicum *Melsi* excipias:) *Opium* verò solummodò in causa est, quò minùs dosis Theriaces intendi possit, aut ultra drachmas duas excedi. Itaque si fas esset, demere illa, quæ superflua sunt, & è Theriacâ proscribere, viceversâ eorum numerum multiplicare, quæ conducunt, & specifica habentur, solo excepto *Opio* (quod unicum sufficit, utpotè quod intensè agit, & vires narcoticas sufficientes imprimit) & *de rosis siccis*, *Opobalsamo vero*, *Cinamomo*, *ana circiter grana sex*, *vel scrupulum semis*: *Myrrhâ*, *Costo*, *Croco*, *Thure*, *Styrace calam. Terrâ Lemniâ*, *Succo Hypoc. & Acaciæ*, *ana grana aliquot* etiam adjicere, suppleudo locum inutilium, nimirum *Trochiscorum de Scilla*, *& Hedychroi*, *Rhabarbari*, *Agurici*, *Chalcitidis*, *rad. Ireos*, *Gummi Arabici*, *& plurimorum aliorum*; proh! quàm salutaris medicina exindè emergeret! Electuarium nempè in recensitis affectibus efficacissimum, ipsam hanc communem Theriacam multis parasangis post se relinquens. Ulteriùs exigatur dosis una Theriacæ adversus venena, morbos venenatos, contagiosos, pestem, febres malignas, purpuratas, Hungaricas &c. quibus Theriaca destinata antidotus & sacra anchora, sed falsò, perhibetur; & statuamus etiam binas drachmas pro unâ dosi, (cùm tamen etiam vix ultra drachmam unam ascendant) nunc disquiramus, quot, & quantum, de ingredientibus alexiteris, cordialibus, roborantibus, & quæ specifica qualitate, aut à tota substantia deleteriis hisce insultibus obviant, dictis drachmis duabus Theriacæ insint: & sequentia reperies; utpotè *Trochisc. de Viperis grana duo*: *Sem. Napi agrest. Comarum Scordii*, *Opobalsami*, *Cinamomi*, *ana granum unum*: *Mrrrhæ*, *Costi*, *seu Zedoariæ*, *Croci*, *fol. Dictamni Cret. ana granum dimidium*: *Meu*, *seu Angelicæ*, *Amomi*, *aut potius seminis Citri*, *Terræ Lemniæ*, *Valerianæ*, *Gentianæ*, *Centaurii min. ana tertiam partem unius grani.* Reliqua verò cuncta Theriacam constituentia, paucis exceptis, adversa potius sunt, & repugnantia, in morbis contagiosis; adeoque hujus Compositi inutilia pondera, & sarcina.

Nunc, *Lector Ben.* soli & uni Tibi redditus, ac omnibus æquus, tecum maturiùs perpende, utrum illa superius ad longum recensita ingredientia alexipharmaca, cardiaca, & roborantia, in tam restricta dosi (demus etiam, quòd illa non in sensu diviso, sed compositò, & collectivo, prodesse dicas, effugii loco) quid, in quam, ejusmodi in peste, cujus acutissima & subtilissima sunt malignitatis seminaria, & quæ analogiam habet ad spiritûs, & spiritualia, adeoque celerrimè interficit paucis horulis, præstabit effectûs? cùm illa non tantùm numero & viribus sint exigua, sed ab aliis plurimis venenatis, narcoticis, purgantibus, contagiosis morbis nimirum planè noxiis ingredientibus, impediantur & retardentur; quod nemo inficiasire poterit. Duplicavi insuper, uti dictum, dosin, computando nimirum duas drachmas, pro una dosi, cum tamen ultra drachmam unam

unam (propter *Opium*) vix audeant aſcendere. An non ſatius foret, ſi acciperes *Troch. de Viperis legit. tamen paratorum*, *aut Pulv. Viperarum*, *ſcrupulum unum*, *Comarum Scordii*, *Opobalſami*, *Myrrhæ*, *Zedoariæ*, *Angelicæ*, *Sem. Citri excorticati*, *Terræ Lemniæ*, *ana grana quinque Croci*, *Macceris*, *ana grana duo vel tria*, atque illa omnia in pulverem redacta & vel per ſe, in forma Pulveris, vel cum *Melle*, *aut Syrupo Scordii*, in formam Electuarii redacta, peſte correptis, vel aliis, morbis malignis proſtratis, porrigeres? an non præſtantius multò haberes Alexiterium medicamentum, ipſâ Theriacâ? Quidenim *granum unum*, vel *duo*, de *Trochiſcis Viperarum*, *de Scordio*, *Sem. Napi*, *Opobalſamo*, *Cinamomo*, *ana granum unum*, *de Myrrha*, *Zedoariâ*, *Croco*, *Thure*, *ana granum dimidium*, *de Angelica*, *Sem. Citri*, *Terra Lemnia*, *Valeriana*, *Gentiana*, *& Centaurio minore*, *ana tertia pars unius grani*; atque ſic omnium in univerſum computatorum alexipharmacorum, & quidem in duplicata doſi, *grana circiter undecim*, in ſimplici verò doſi, *grana quinque ſemis*, in tam exitioſa lue præſtare poterunt? quibus inſuper frænum injicitur à tot inter ſe diſcrepantibus & præpoſteris ingredientibus? Contemplare præterea, L. B ſepoſito humano motivo (agitur enim de cauſa, quam in integrum reſtituere nequis, de vitæ termino, de momentis ſæpè Regum & Regnorum; de quibus tamen jocari ac ludere videntur ii, qui omnem fiduciam in hoc præſidio collocant, quidquid contagii & peſtilentis ſeminii eſt, illud exterminare credunt, pro aris denique ac focis mordicus defendunt) quænam proportio, concordantia, & rerum, in Theriaca, harmonia, quoad vires nimirum, & efficaciam illorum, in conſtruenda Theriaca obſervata ſit. Etenim *Opii grana duo*, *vel tria*, tantæ ſunt, in demulcendo ſenſorio primo, & narcoſi inducendâ efficaciæ, quantæ vix ſexaginta grana, vel drachma integra, reliquorum precioſorum alexipharmacorum, Theriacam commendantium; de quorum cenſu ſunt *Trochiſci de Viperis*, *Scordium*, *Myrrha*, *Zedoaria*, *Terra Lemnia*, *Angelica*, *Gentiana &c.* quorum unum quodvis drachmâ unâ pro doſi exhiberi poſſet, in morbis malignis. De *Chalcitidis* prava indole, malignis ac deleteriis qualitatibus, altum ſubticeo, & acta agere nolo, cujus paucula grana, tria, vel quatuor, totam hominis œconomiam, & humorum ſymmetriam, evertere & deturbare poſſunt. Et hæc duo ſigna reliquis præferunt, & malignitate exſuperant reliqua cuncta Theriacam conſtituentia, præſertim verò *Opium*, profuſâ & largâ quantitate compoſitioni ſuperadditum: quod licet, quoad pondus, reliquis ingredientibus præcipuis, quæ veluti Baſin conſtituunt, æquale ſit, virulentiâ tamen ſuâ, & pernicioſâ ſubſtantia (ſicut & *Chalcitis*) reliqua omnia longiſſimè præcellit. Unde in Compoſitionibus dextrè conſtruendis, non tam ad pondus, quàm ad vires, naturam, & craſin ſimplicium, advertendum, ex quibus tota conſonantia, tenor, & harmonia compoſiti reſultat, & vice-

viceversâ ab his rerum dualitates, discordiæ & pravæ dispositiones emergunt. Verùm, cùm hactenus circa hæc, præsertim in hujus Antidoti constructione, quam maximè aberratum sit, necesse tandem est, tam densam caliginem, & fascinum, à nobis removeamus, regiam veræ scientiæ & praxeos viam ineuntes, ac deinceps non quà itum, sed quà eundum, deproperantes. Neque enim venerandam Antiquitatem prostituemus, si, cognitâ ejus imbecillitate, saniora dogmata sectemur, inventis addamus, neglecta redintegremus; cùm & nos hæc maneat fors: sicque futurum, in ipsâ hariolamur effectum. Sic enim pro immensâ DEI stamus potentiâ & attributis, cui proprium est, in immensum semper à creaturis participari, qui semper nova parturit, & meliora substituit. Magnus ille *Cous*, qui, divinioris auræ particulam hausisse, ævo suo credebatur, & solertissimus *Galenus*, individuus naturæ scrutator, cujus abdita, & sæculis suis inaccessa feliciter penetravit, immortalem lauream, etiam post fata superstitem, mereati sunt, quòd primi Medicinæ fundamenta jecerint, multaque præclara inventa medicinæ extruxerint. Sed an non & Nos manserit locus, ad perdifficilem hanc spartam, remediorum debitam compositionem (in quâ perquirendâ unius hominis ætas non sufficit,) ultrò suscipiendam? Non enim anteacta sæcula omnem exhauserunt sapientiæ fontem, ut nos in sicco collocassent; qui tamen divino afflamur spiritu, Antiquitatis successores, & quidem spiritu illo, qui jam olim ferebatur super aquas, & nos demulcet ac erudit ad fluenta gratiarum. Magna sunt concessa Antiquis, majora sunt reservata nobis Successoribus, & maxima restant penetranda, modò non desimus, oscitantes. Fateor, magno labore & sudore hæc comparantur, & in præruptis & inaccessis montibus habitat donum sapientiæ, quò nemo appropinquat, nisi solertissimus: quod quidem iter à multis annis ingressus, constantique labore & cursu prosecutus sum; donec ea possiderem, quæ Tibi ultrò jam consecravi: non quod gloriari velim, (absit hæc à me iniquitas,) sed ut ad pares & similes ausus te concitarem; cùm plura inventa & Tibi addenda reliquerim, quàm literato orbi patefeci.

Sed hæc subparenthesis limitibus dicta sunto; restant adhuc paucula, in Theriacâ nostrâ eliminanda, & exturbanda, quæ Theriacam plus dedecorant, quam exornant, obtrusa potius, quàm selecta; & sunt illa reliqua, quæ nunc hoc ordine partimur: utpotè; *Comæ Hyperici*, *Gummi Arabicum*, *Galbanum; Succus Liquiritiæ, Rad. Iridis*, *Marrubium; Stœchas Arabica*, *Semen Petroselini*, *Calamintha montana*, *Terebinthina*, *Pentaphyllon*, *Chamæpythis*, *Nardus Indica*, *Schænanthum*, *Nardus Celtica*, *Chamædrys*, *Seseleos semen*, *Succus Acaciæ*, *Hypocystid. Sem. Thlaspios*, *Ammeos*, *Dauci*, *Opopanacum*, *Sagapenum*, *Polium Creticum*, *&c.* Ex his itaque, si fides habenda Classicis Authoribus, & præclarissimis Practicis, horum ac præterlapsorum seculorum, quos diligenter,

ter, prædictorum simplicium causâ, consului, nullum ferè est, quod virtute alexipharmacâ, aut cordiali, emineat; sed quædam ex iis *vulneraria* sunt, quædam *Pectoralia*, alia *Splenetica*, *Hepatica*, *Dysenterica*, *Arthritica*, *Nephritica alia*, alia *Hydragoga &c.* Quæ sigillatim, & per se sumpta, (inteilige unum quodlibet solùm ad determinatum aliquem affectum) in competenti tamen dosi, haud parum præstare possunt in denominatis affectibus; at verò, factâ rerum confusione, ut vix granum unum, imò vel tertia, aut sexta pars unius grani, dosin unam Theriacæ constituat, quod specificè ad affectum ex natura sua ordinatum sit, an non exclamandum: Vah muscam in Apuliam dimisimus! aut cum Comico: Sorex Leonem territat! Cùm sexaginta, & plura, grana horum denominatorum simplicium in substantia, ac quidem iteratò, propinata, ut morbum aliquem determinatum, contra quem ex naturâ suâ aliàs valent, eradicent, vix sufficiant. Quare ut consultius, & rationi conformiùs operemur, similes medicamentorum atomos, & ridiculas doses, penitus è Theriacâ proscribere suadeo, & locum eorum præstantioribus alexiteriis, & Theriacam aliàs constitutivis, (pondus & quantitatem eorum saltem augendo) adimplere; è quibus certum deinde subsidium tam languentes, quàm Medici, in declamatis, & malignis affectibus, tanquam vero alexiterio, præstolari possint: antidotonimirum ad unitatem & simplicitatem magis reductâ. Sic magnum illum Coum feciſſe reperies, pro quo Senatus populusque Coorum vitam profundere volentes, repulsam magno Persarum Regi, Artaxerxi, magnanimes dedêre. Hic, inquam, non tam Æsculapius, quàm Deastrum suis, ob prodigia, quæ in profligandâ peste operabatur, habitus, quàm simplicia huic veneno objecit, quàm non lusit, aut illusit suis compositorum varietatibus? ut, nisi ea magnus Scriptor, Helmontius, *in Tumulo pestis* (quem consule) revelaret, manifestam hyperbolem crederes, tam simplici pharmaco eò Medicum pertigisse.

His omnibus breviter quidem, non tamen sine solido talo, expeditis (ne me ullus falsi, aut ignorantiæ, vel etiam vanæ glorioiæ arguere ac suggillare habeat, quasi ultra captum sapere, & citra prægnantem causam Antiquorum placita inventaque, tanquam Magnificat, nimis rigorosè corrigere præsumpserim,) nunc unicè optarem, ut ipsam Theriaces Confectionem, quemadmodum antiquitùs descripta extat, ingredientibus suis nihil mutatam, sic instituere possem, ut majori impostorum salute humano generi cederet. Verùm conamini huic obstant ingredientium quorundam malignæ & deleteriæ qualitates, in præmissis sufficienter præmonstratæ, quô minus ex tot diffitis & heterogeneis simplicibus, quæ in unam farraginem denuò coalescere opus esset, præstans remedium ac antidotus dispensari queat. Nolui proindè, Posteritati injurius, Majoribus assentando, ablandiri: feci, quod cordati Philosophi erat, & juxta præmissas sequelem ordinavi: feci, inquam, quod sensati Medici

dici munus exigit, meliora probavi, inutilia relegavi, quò tantò citius & jucundius languentibus succurrerem: feci denique, quod Christiani erat, charitate aliis fulgebam, memetipsum consumens, nihilque intentatum permisi, quo afflictæ mortalitati succurrerem, & ejus languores fulcirem. Prævideo interim jacula, aut procellas, quæ mitius ingruent, quoniam à me vel in causâ prævisæ, quibus aliquando me ferient illi, qui agitato capite, & ad subsannandum composito vultu, nostras mirabuntur, aut ridebunt, lucubrationes, Majoribus & Antiquitati addictissimi (quos sanè & ego reverentus semper hactenus fui) quæcunque noviter prælum subeunt, aversantes; quibus tamen cordialiter & ipsis hos meos labores & subsidia dedico: forsan & illi palinodiam aliquando cantabunt, in lucem acciti. Igitur, si quis utilem hanc Theriacam, pro viribus tamen veteres æmulando, conficere velit, is, mutato & aucto pondere salubriorum, hanc Antidotum ingredientium, alexiteriorum, prætermittat quædam noxia & deleteria, ut puta: *Chalcitidem, Opium, Specierum Piperis copiam, Trochiscos de Scilla, Rheubarbarum, Agaricum, & nonnulla alia*: Eorum vero vices agant præstantiora & vera alexiteria, ut sunt: *Trochisci de Viperis, Zedoaria, Myrrha, Opobalsamum, Crocus: Citri semen, Angelica &c.* auctо, uti dixi, pondere, quantum nempè prædictis inutilibus speciebus detractum ponderis fuit? quod ut per exempla, quæ institutione potiora sunt, & feliciùs animos nanciscuntur, demonstrem, En! tibi Ideam quandam propono:

THERIACA ANDROMACHI CORRECTA, SINE OPIO.

℞. Trochisc. de Viperis n. m. dextrè paratorum, vel, eorum loco,
Pulv. Viperarum, uncias duodecim: id est;

Ratione prioris ponderis: antiquæ Compositionis, uncias tres: loco Trochisc. de Scilla, uncias sex: & loco Piperis longi, uncias tres, tanquam basin hujus Antidoti.

Rosarum rubearum exsiccat. unciam unam,
Sem. Napi agrestis uncias tres;
id est;

Ratione prioris ponderis, antiquæ Compositionis, unciam unam semis; & loco Agarici, unciam unam semis.

Comarum Scordii Cretici, vel Nostrat: uncias quinque: id est;

Ratione prioris ponderis, antiquæ Compositionis, unciam unam semis; loco Opii, uncias tres; & loco Rosarum rubearum, unciam semis; quia ponderi Rosarum etiam uncia semis detracta est.

Opobalsami veri Orientalis,
seu, ejus loco
Ol. Nucum Moschat. expressi, uncias tres; id est;

Ratione prioris ponderis, antiq. Comps. unciam unam semis; & loco Succi Glycyrrhizæ, unciam unam semis.

Cinamomi acuti unciam unam semis,
Myrrhæ translucidæ uncias quatuor;
id

id eſt;

Ratione prioris pond. antiq. Compoſ. unciam unam; & loco Trochiſcorum Hedychroi, uncias tres.

Coſti odorati, ſeu potius Zedoariæ, uncias tres: id eſt;

Ratione prioris ponderis, antiq. Compoſ. drachmas ſex; loco Rad. Iridis unciam unam ſemis, & loco Piperis nigri, drachmas ſex.

Croci Auſtriaci opt. unciam unam ſemis: ideſt;

Ratione prioris pond. antiq. Compoſit. drachm. ſex; & loco Piperis albi, drachmas ſex.

Caſſiæ ligneæ veræ,
Nardi Indicæ,
Schænanthi,
Thuris albi,
Fol. Dictamni Cret.
Stæchad. Arab.
Semin. Petroſel. Maced.
Nepethæ, ſeu Calam. mont.
Terebinth. Chiæ.
Rad. Pentaphylli, ana drachm. ſex.

De his decem Ingredientibus, in pondere non mutatis, ſub finem hujus Compoſitionis, ſingularis annexa eſt Nota, quam L. B. conſulat.

Reſinæ Styracis Calam. unciam unam ſemis: id eſt,

Ratione prioris ponderis, antiquæ Compoſition. unciam ſemis; & loco Marrubii, drachmas ſex.

Meu, ſeu Angelicæ, uncias duas: id eſt;

Ratione prioris pond. antiq. Compoſit. unciam ſemis: loco Rhabarbari, & Zinziberis, ana drachmas ſex.

Amomi, ſeu potius ſeminis Citri excorticati, uncias duas; id eſt;

Ratione prioris pond. antiq. Comp. unciam ſemis: & loco Chalcitidis, Gummi Arabici & Nardi Celticæ, ana unciam ſemis.

Acori, ſeu Calami Aromatici, unciam unam: id eſt;

Ratione prioris pond. antiq. Comp. unciam ſemis: & loco Chamæpithyos, unciam ſemis.

Terræ Lemniæ veræ uncias duas; id eſt;

Ratione prior. pond. antiq. Comp. unciam ſemis: & loco Comarum Hyperici, Succi Hypociſt. & Succi Acaciæ, ana unciam ſemis.

Phu Pontici, ſeu Valerianæ, unciam unam; id eſt;

Ratione prior. pond. antiq. Compoſ unciam ſemis; & loco Chamæd. unciam ſemis.

Macis, & Caryophyll. ana unciam ſemis; id eſt;

Ratione prior. pond. antiq. Compoſ unciam ſemis; & loco Malabatri: & Polii Cretici, ana drachmas duas.

Rad. Gentianæ unciam unam; id eſt;

Ratione pr. pond. antiq. Compoſ. unciam ſemis; & loco ſemin. Seſeleos, unciam ſemis.

Aniſi,
Cubebarum,
Fœniculi,
Cardamomi min.
Thlaſpios.
Ammeos.

Sagapeni, ana unciam ſemis.

Tranſeant & hæc ſeptem Simplicia, in-ſuo antiquo pondere, majori eorum parte pro aromatiſatione, & odoris gratigratiâ, relictâ.

Caſtorei recent. unciam ſemis; id eſt,

Ratione prior. pond. antiq. Compoſ. drachmas duas; & loco Semin. Dauci, drachmas duas.

Ariſtoloch. longæ unciam ſemis: id eſt;

Ratione prior. pond. antiq. Compoſ. drachmas duas; & loco Bituminis Judaici, drachm. duas.

Comarum Centaurii min. drach. ſex: id eſt;

Ratione prioris pond. antiq. Compoſit. drachm. duas; & loco Opopanacis, & Galbani, ana drachm. duas.

Mellis puriſſimi, juxta n. deſcriptionem, & informat. ſine violento calore, à ſuis rebus heterogeneis ſeparati, libras quindecim, ſeu quatuordecim tantum, & unc. ſex.

Paretur *Antidotus*, uti paulò pòſt ſequetur.

Ne error fortè contingat in diſpenſanda correcta hac Compoſitione, propter ingredientium, eorumque ponderum, commutationem & circumſcriptionem; itaque, juxta ordinem ponderum, ſtructura hujus Compoſitionis talis eſto:

℞. Troch. de Viperis ritè parat. juxta n. deſcriptionem: vel

Pulv. Viperarum, uncias duodecim,

Comarum Scordii noſtrat. unc. quinque,

Myrrhæ translucidæ uncias quatuor,

Sem. Napi agreſtis,

Opobalſami veri,

Coſti odorati, ſeu Zedoariæ, ana uncias tres,

Meu, ſeu Angelicæ,

Amomi, ſeu ſem. Citri excort.

Terræ Lemniæ, ana uncias duas,

Cinamomi acuti,

Croci Auſtriaci,

Reſinæ Styracis Calam. ana unciam unam ſemis,

Roſarum rubearum,

Phu Pont. ſeu Valerianæ,

Rad. Gentianæ, ana unciam unam,

Caſſiæ ligneæ veræ,

Nardi Indicæ,

Schænanthi,

Thuris Maſculi,

Fol. Dictamni Cretici,

Stœchad. Arabicæ,

Sem. Petroſelini Maced.

Nepethæ, ſeu Calam. mont.

Terebinth. Chiæ,

Rad. Penthaphylli,

Centaurii minoris, ana drachmas ſex,

Macis

Caryophyllorum,

Aniſi,

Cubebarum,

Sem. Fœniculi,

Cardamomi min.

Sem. Thlaſpios,

Ammeos,

Sagapeni,

Caſtorei,

Ari-

Ariſtoloch. longæ, ana unciam ſemis,
Mellis puriſſimi legitimè extracti, & nunquam cocti, triplum, ſeu libras quatuordecim, & uncias ſex.

His ſimplicibus ſpeciebus, ſeu ingredientibus, probè ſelectis, & in ordinem redactis, terantur in pulverem, quæ aptitudinem habent ad trituram; oleoſa tamen ſemper ſiccioris indolis ingredientibus adjungendo: utpote, *Semen Citri excorticatum* teratur cum *Cinamomo*, *Roſis rubris*, *Scordio*, *Caſſiâ ligneâ*, *& foliis Dictamni Cretici: Semen verò Napi* cum *Coſto*, *ſeu Zedoariâ*, *Stœchad. Arabica*, *Calamintha mont. & Rad. Pentaphylli: Sem. Aniſi*, *Fœniculi*, *Anæmeos*, *Thlaſpios*, *& Cubebæ*, cum *Cardamomo*, *Gentiana*, *& Calamo Aromatico: Macis*, *Caryophylli*, *& ſemen Petroſelini*, cum *Valeriana*, *Angelica*; *Caſtoreo*, *Ariſtolochia longa*, *& Centaurio minore*. Quædam verò per ſe, ſola, ſine aliorum aggregatione, in pulverem terantur: utpotè, *Trochiſci de Viperis*, *Myrrha*, *Crocus*, *Thus*, *& Terra Lemnia*. *Nardus Indica*, *& Schœnanthus*, difficillimæ triturationis ſunt; uti in præmiſſis *Animadverſionibus* innui. Idcircò, ut hæc duo ſimplicia (quæ parum emolumenti conferent, quibuſque *Radices Contrayervæ* aptè ſubordinari poſſent) in pulverem ſubtilem redigi queant, neceſſe eſt, illa priùs mucilagine quadam imbuere & humectare, denuoque reſiccare. Verùm conſultum magis foret, meo judicio, ſi illa *Aqua Corticum Citri*, *per Balneum va-poroſum*, *ſine ulla additione deſtillatæ*, aliquamdiu immergerentur, & illa macerarentur, pro virium earum extractione; quibus ſufficienter extractis, & à dicta aqua ſeparatis, *impregnata hæc aqua Citri* diluendo *Croco*, ad formam pulticulæ tenuioris, & *Terrâ etiam Lemniâ*, præſtò eſſe poteſt, tanquam præſtantiſſima Aqua Cardiaca, virtute alexipharmacâ dotata; quæ & ipſa huic Antidoto, ſive Theriacæ, non leves virtutes alexiterias, & adverſus deleterios inſultûs prærogativas, communicabit. *Myrrha* vero, & *Sagapenum*, diluantur, & veluti ſolvantur, in *Vini Malvatici* competenti quantitate, ad pultis formam; *cui autem vino* priùs (in pulveris Viperarum, aut Trochiſcorum earum præparatione, quando ſcilicet Viperæ aut Serpentes recenter mactantur) *corda Viperarum recentia*, *ad quinquaginta circiter*, *viva adhuc excerpta*, & immerſa, eumque eo aliquandiu digeſta, ac denuò ab eo ſegregata fuerint: (quam Eſſentiam Viperarum *in Animadverſionibus Claſſis duodecimæ*, *ſuper Trochiſcos de Viperis*, edocui) *à qua Eſſentia*, *aut Vino Eſſentificato*, magnæ notæ virtutes alexipharmacæ in Theriacam redundabunt. Quo ſanè elogio merito hanc Antidotum condecoro.

His ita dextrè apparatis ac diſcriminatis, nimirum *Pulveribus unitis*, *Croco*, *& Terrâ Lemniâ*, *dilutis* cum *Aqua Citri*, *in qua Nardus Indica*, *& Schœnanthus*, *macerata fuerint*: *Myrrhâ item*, *& Sagapeno*, *ſolutis in Vino Eſſentificato & Viperino*: *Opobalſamo*, *Reſina Styracis Calamitæ*, *& Tere-*

Terebinthinâ, unâ liquatis & commissis benigno calore, in determinatâ ad id propriâ sartagine; subsequatur mixtura omnium Ingredientium facillimâ hâc methodo:

Primò, adsit *ahenum capax & largum*, pro quantitate Theriacæ dispensandæ proportionatum, cui infundatur *libra una, vel una semis, aut etiam duæ, plus minusq;*, *Mellis*, ad Theriacam apparandam destinati, super igne leniſſimo modicum incalescant; *huic Melli* illicò instilletur nonnihil de *Opobalsamo vero*, *Resina Styracis*, *& Terebinthina*, jam priùs simul commissis, & leni calore, in propriâ sartagine, dispositis & liquatis, subsequantur mox de *Pulveribus adunitis* aliquot cochlearia, per cribrum setaceum inspergenda, continuò pistillo ligneo agitando: porrò de *Gummis solutis*, *Myrrhâ*, *& Sagapeno*, nonnihil adjungatur; succedant *iterum Pulveres* inspergendi; uti & his *Opobalsamum*, *cum reliquis*, *resinâ scil. Styr. & Terebinthinâ: Mel* etiam successivè & pedetentim instilletur, cum continuâ agitatione ac leni calore, donec omnia in unum commissa & unita fuerint; quibus etiam *Crocus & Terra Lemnia* successivè incorporentur.

Quibus omnibus debitè administratis, suam adepta est perfectionem nobilis hæc Antidotus, & Regia confectio, cujus virtutes, eximiæque dotes, in morbis malignantis naturæ vel maximè resplendescent, cùm curativè, tùm præservativè concurrendo. Ut proindè genuinum sit Pharmacum antipestilentiale, Cardiacum, & Alexiterium, citraque figuram, aut hyperbolem, Theriaca dici promereatur, cui se prostrati, & malignis morbis tentati ægri, hisque subveniens Medicus, securissimè possit concredere, fidissimum inde habituri subsidium, quod in Theriacâ, ritu & instituto Veterum dispensatâ, nequaquam ausim compromittere; utpotè quæ plurima involvit noxia, inconvenientia, curationem remorantia, &, quod maximum est, manûs & artem Medici eludentia, quò minùs debitâ dosi ac quantitate, prout præsens calamitas & pestilens contagium exigit, deploratis mortalibus liceat propinare. Cum interim hæc, quam feliciter construximus, citra noxam auctâ dosi possit exhiberi, etiam ad unciam unam ascendendo; si sic indomita veneni rabies, & morbi genus, expostulet: quamquam, si quis periculum facere, ac experiri voluerit, verum sit, quòd unica drachma dictæ Antidoti plus in se roboris & energiæ malignis relegandis qualitatibus, & adversandi contineat, quàm uncia completa Theriacæ Veterum; prout ex præmissis hanc formare sequelam, omnibus est pronum. Cùm proindè, in tractando hocce argumento, prolixior esse nolim, hoc solum subjungo: quòd si Theriaca Veterum magnarum virium hactenus fuit, in coërcendis malignis morbis; sanè hæc nostra Antidotus, & castigata Theriaca, decuplo plus operabitur & præstabit, plurimisque gradibus priorem antecellet; quod cuique desumere pronum erit, dum ipse conticesco. Dosis hujus Antidoti *à drachma unâ*, *drachmis duabus*, *ad unciam semis*; quæ etiam, pro

pro circumſtantia ægrorum, & affectûs, augeri poterit.

Nota: Si quis loco *Chalcitidis*, *Spiritûs Vitrioli*, *præſertim Vitrioli Martis*, *drachmam ſemis circiter*, *vel drach. unam integram* huic Antidoto addere voluerit, is *Crocum dilutum aquâ Citri*, veluti ſupra dictum, item *pulverem Roſarum rubearum*, *ſeparatim tritarum*, *eâdem etiam aquâ Citri dilutum*, illo *ſpiritu* irrorare poterit, & Theriacam, quoad colorem rubeum, in fuſcum tendentem, magis intendere.

Quæ de *Trochiſcis Hedychroi*, in *præmiſſis Animadverſionibus*, præfati ſumus, ea B. L. hûc inferat, ut ei ratio & motivum noſtrum conſtet, ob quod nulla penitus eorum memoria, ac mentio facta impræſentiarum; utpotè quorum locum ſuccedaneum præſtantius occupat quod illis ſurrogavimus.

Notandum cœterùm, quòd *nonnulla adhuc Ingredientia Veteris Theriacæ* deſcriptionis, priorem ſtationem & pondus ſuum obtinuerunt, factum eſt ideò, quòd in eis ratio alicujus nocivæ aut malignæ qualitatis deprehenſa non fuerit, neque illa vires reliquorum ingredientium evertant, & morentur; licet, ſi de rigore loqui velimus, *inutilia etiam Theriaces pondera*, *& moleſtiſſimæ ſint appendices*, numerum & molem, non verò virtutes, Antidoti multiplicaturæ; quorſum proinde reſpiciendum, cùm etiam illorum cauſâ, *& Mellis triplum* addi neceſſum ſit; ex quo doſes ejusdem (Theriacæ) augendæ veniunt, ſi effectum debitum & proportionatum morbo & malignitati præſtolari velis, ſudores elicere, & peſtilens contagium evertere. Ea autem, de quibus nunc ſermo eſt, ſunt, in ſpecie, ſequentia, utpotè, *Caſſia lignea*, *Nardus Indica*, *Schœnanthum*, *Folia Dictamni Cret.* *Stœchas Arabica*, *ſem. Petroſelini Macedon.* *Calamintha montana*, *Terebinthina*, *rad. Pentaphylli:* quæ ipſa digna etiam æſtimo, quæ è Compoſitione hac eliminentur & proſcribantur; eorum verò loco, præſtantiora alexiteria, qualia ſunt, *radices Contrayervæ*, *Anthoræ*, *& Imperatoriæ*, aut illa in Compoſitione jam notata obvia alexipharmaca (*uti Zedoaria*, *Myrrha*, *Crocus*, *Angelica*, *ſem.*, *Citri*, *Terra Lemnia*) adaucto pondere ſubſtituantur. Hâc ratione enim futurum, ut Antidotus, & Compoſitio, ad unitatem magis redacta, fiat homogenea, talibus conſtans partibus, quæ, univocum producere effectum, nata & apta ſunt. Quod ſi tamen & illæ *novarum rerum*, *aut Radicum ſupradictarum*, additiones, & variationes ingredientium, in locum minùs utilium & efficacium, aut *ponderis antedictorum alexiteriorum*, *Theriacam aliàs conſtituentium adauctio*, non arriderent; author ſum, ut *nullâ rerum aliarum additione*, *aut ponderis reliquorum alexiteriorum immutatione*, illa ſuperiùs recenſita ſuperflua, & *inutilia ingredientia*, è compoſitione, unà cum *tripla ſuâ quantitate Mellis*, nimirum *unciarum viginti duarum cum dimidia*, quod eſt triplum Mellis, reſpectu *unciarum ſeptem*, *cum dimidia*, quæ ſunt pondus ſpecierum inutilium ſimul computatarum, penitus era-

eradicentur: quo præstito, intensæ magis alexiteriæ virtutes Compositio accedent, adeò, ut, quæcunque ex tribus illis conditionibus deligatur, quælibet dosis hujus Antidoti, (computando tantùm drachmas binas pro una dosi) granis circiter octo, è censu realium & efficaciſſimorum cordialium, & alexipharmacorum, præter alia, intensior sit; quod summè necessarium & desiderabile esse, quivis in arte excellenter Professus Medicus judicabit, cui tædiosum non fuerit, computare, quantum *drachmis duabus, pro dosi assignatis*, vel etiam *unciæ dimidiæ, specierum realium alexipharmacarum ingressit*, &, in particulari, *quot grana, de quovis ingredientium individuo*, huic dosi accedant. Deprehendet enim, quòd, quamvis pondus *multorum præstantiorum alexipharmacorum* multum auxerim, quamplurima, citra propositum annexa, eliminando, hoc tamen non obstante, *uncia semis hujus Antidoti, saltem grana tredecim Trochiscorum de Viperis, grana quinque Scordii, grana tria, cum tertia parte grani seminis Napi, totidem quoque Opobalsami, grana quatuor semis Myrrhæ, grana tria, cum tertia parte grani Zedoariæ, granum unum semis, & paulò plus, Croci, grana duo semis seminis Citri, totidem Angelicæ, & Terræ Lemniæ totidem*, adeoque horum alexipharmacorum principum, in universum computatorum, *grana XLI.* continet; quippè quæ *primaria sunt constitutiva alexipharmaca* hujus Antidoti: & tamen vix ac ne vix quidem ejus erunt efficaciæ, ut in deleteriis, & pestiferis affectibus, hâc etiam multum auctâ dosi, sudorem proficere possent.

Hæc à nobis sic tradita & demonstrata, an non ampliſſimum lumen & Theoriam dictabunt exercitatis Medicis, cujus indolis, valoris, ac pretii, sit veterum Theriaca, quæ omnes ferè Antiquitatis Scriptores Panegyricos & Encomiastes habuit? Cui igitur non dissonum, & minùs rationabile, videbitur, cùm *triplum pondus Mellis*, respectu *aliarum specierum ingredientium omnium*, Theriaca, pro corpore & fundamento, quasi materiâ prima, habet, ac, per consequens, *uncia ejus dimidia* (Theriacæ) non plùs etiam *de ingredientibus Speciebus, & Pulveribus, cùm congruis, tùm pro majori inutilibus, & non congruis, imò planè noxiis, atque contrariantibus*, obtinuit, quam *drachmam unam* (nonnunquam vix scrupulos duos, ob quadruplum pondus Mellis, fraudulenter quandoque adjectum) quid, inquam, *drachma una ejusdem Theriacæ veterum, quæ XV. vel XII. tantùm grana, cùm utilium, tùm, pro majori parte, inutilium, & planè oppositarum Specierum & Pulverum* in se habet, quos effectûs, quæ portenta inde videbimus, in morbis à tota substantia deleteriis, quales Pestis, & febres Pannoniam infestantes, Purpuratæ & Colliquantes? an non id, quod fortè una drachma Theriacæ antiquæ effecerit, potiori parte ab *Opio*, dementando, compescendoque dolores, ac sudorem per accidens excitando, *tegumentorum ope*, præstitum fuerit? Quâ de re tam exilis & parva dosis, *drachma*

ma videlicet unica, neque in hac reformata Theriaca multum operari posset, nisi longè exactior harmonia & concordantia *rerum ingredientium*, cùm in pondere, tùm quoad virtutes eorum trutinandas, observata & ordinata foret; cùm singula sic in unum effectum jam conspirent, ut hâc ratione nullum etiam obstet ingrediens, (veluti in antiqua Theriaca, *Opium, Chalcitis, Rheubarbarum, Agaricus, Piper &c.* maximè refragabantur) quò minùs hæc Theriaca nostra Reformata, in dosi adaugeri, & vel *ad unciam unam*, sic postulante morborum feritate, & nocuâ causarum syndrome, extendi possit. Veruntamen illam (Theriacam antiquitus edoctam) ultra *drachmam, aut duas*, excessivè nefas erit, propinare, ratione *Opii, & nonnullorum aliorum* superiùs iteratò recensitorum, ac à nobis *repudiatorum ingredientium*: in qua autem tam minuta dosi modicum etiâ continetur, quod deleteriis qualitatibus adversetur (*grana scilicet quinque* in universum, prout accuratè calculavimus) eoque minus, quod & *illa paucula grana*, præsente quasi fascino, *ab Opio & reliquis*, in operando avocentur & ligentur. Quare circumspecti deinceps vivamus, & quænam, quamque selecta, tela in pharetrâ nostra circumferamus, indies prælio accincti, indagemus, neque speciosis irretiti titulis, & ementito gramate delusi, magniloquis hisce Veterum inventis subscribamus, quibuscum ægros immolamus, famæ & fortunarum naufragi.

Tandem, ut me convertam, unde desii, ad Theriaces nimirum concinniorem structuram, tutam magis & vere alexiteriam, relictis supradictis minùs congruis ingredientibus, ejusdem verò dexteram Compositionem ac descriptionem tradendam; multiplicabo saltem consueta ingredientia alexipharmaca, vices inutilium jam dictorum agentia, adjiciendo scilicet, in pondere, *Trochiscis de Viperis, seu Pulv. ejusdem, uncias duas, Zedoariæ, & Terræ Lemniæ, ana unciam unam semis, Angelicæ, & semin. Citri, ana drachmas sex.* Eritque Compositio talis, juxta seriem ponderum quidem instituta:

THERIACA ANDROMACHI MAGIS RESTRICTA ET CORRECTA.

℞. Trochisc. de Viperis ritè parat. vel, horum loco,

Pul. Viperarum n. m. parati, uncias quatuordecim,

Comar. Scordii nostri uncias quinque,

Zedoariæ, seu Costi veri, uncias quatuor semis,

Myrrhæ translucidæ uncias quatuor,

Meu, seu Angelicæ, uncias quatuor,

drachm. duas,

Terræ Lemniæ uncias tres semis,

Amomi, seu seminis Citri excort. uncias tres, & drachmas duas,

Sem. Napi Sylvestris,

Opobalsami veri, ana uncias tres,

Cinamomi opt.

Croci Austriaci,

Reſinæ Styracis Calam. ana unciam unam ſemis.
Rad. Gentianæ,
Valerianæ, ſeu Phu Pont.
Roſarum rubearum ſiccat,
Acori, ſeu Calami Aromat.
Centaurii minoris, ana unciam unam,
Macis,
Caryophyllorum,
Aniſi,
Cubebarum,
Fœniculi,
Cardamomi min.
Thlaſpios,
Ammeos,
Sagapeni,
Caſtorei,
Ariſtoloch. longæ, ana unciam ſemis,
Mellis puri ritè extracti, & nunquam cocti, triplum, id eſt, libras quatuordecim, & unciasſex, vel libras quindecim,

Inſtituatur mixtura ſecundùm artem, planè ad modum, in præmiſſa Compoſitione indigitatum, contundendo *Oleaginoſa ſimul cum naturâ ſuâ ſiccioribus*, ſeparatim autem, *quæ per ſe teri ſe ſinunt*, & cum *Aqua Citri & Eſſentia Viperina*, diſſolvenda & diluenda veniunt; omnia ſuperiùs edocta. Fiatque ſic *Antidotus*, ſeu *Theriaca*, debitæ conſiſtentiæ, viribus alexipharmacis præſtantiſſima; quod ipſum palam facient ii, quibus naturæ arcana, vires & effectûs, ſcrutari, deſuper eſt indultum.

Cæterùm, cùm nec Antiquorum Theriaca, cum *Opio* parata, ſuis careat virtutibus, idcircò, ut adverſus ſuperiùs deſcriptos morbos, putà *Diarrhœam*, *Dyſenterias malignas*, *immoderatum Fluxum Muliebrem*, *Hæmorrhagiam Uteri*, & *aſſumpta violenta Cathartica*, valida ſit Antidotus, conſultum fore duxi, ſpecialiter, pro *his affectibus*, Theriacam, cum *Opio*, *aliiſq; potioribus ingredientibus*, *ſed congruis antiquæ deſcriptioni*, mutatis tamen mutandis, diſpenſare; quæ ſanè, in *præfatis infirmitatibus*, & *his affinibus febribus diuturnis*, magnam navabit operam: ſit igitur Compoſitio ſequens:

THERIACA ANDROMACHI CORRECTA, CUM OPIO,

℞. Trochiſcorum de Viperis n. m. parat. aut,
Pulveris Viperarum legit. parati, uncias ſex:
id eſt;
Ratione prioris ponderis, antiquæ Compoſitionis, uncias tres, &, loco Troch. Hedychroi, uncias tres.
Opii priùs correcti, cum ſpiritu vini legitimè extracti, & ad debitam ſpiſſitudinem redacti, uncias tres ſemis,
Piperis longi uncias duas ſemis,
Roſarum rubearum uncias tres:
id eſt;
Ratione prior. pond. antiq. Comp unciam unam ſemis, &, loco Trochiſc. Scillitic. unciam unam ſemis.
Iridis Illyricæ, aut Florent.

Suc-

Succi Liquiritiæ probè colati,
Sem. Napi agreſtis,
Comarum Scordii noſtr. ana unciam unam ſemis,
Opobalſami veri, ſeu Olei Nuc. Moſchat. expreſſi uncias duas ſemis: id eſt;

Ratione prioris pond. antiq. Compoſ. unciam unam ſemis, &, loco Trochiſc. Scilliticorum, unciam unam.

Cinamomi acuti uncias tres: id eſt,

Ratione prioris pond. antiq. Compoſ. unciam unam ſemis, &, loco Trochiſc. Scillit. unciam unam ſemis.

Myrrhæ translucidæ unciam unam ſemis: id eſt;

Ratione prior. pond. antiq. Compoſit. drachm. ſex, &, loco Troch. de Scilla, drachm. ſex.

Coſti odorati, ſeu Zedoariæ, unc. duas: id eſt;

Ratione prioris pond. antiq. Compoſ. drachmas ſex, &, loco Trochiſc. de Scilla drachm. decem.

Croci Auſtriaci opt. unciam unam ſemis: id eſt;

Rat. prior. pond. antiq. Compoſit. drachm. ſex, &, loco Piperis nigri, drachmas ſex.

Caſſiæ ligneæ veræ,
Nardi Indicæ, ana drachmas ſex,
Thuris Maſculi pellucidi unciam unam ſemis:
id eſt;

Ratione prior. pond. antiq. Compoſit. drachm. ſex, & loco Marrubii, drachmas ſex

Fol. Dictamni Cretici,
Stæchad. Arabicæ,
Nepethæ, ſeu Calaminthæ mont.
Terebinthinæ Chiæ,
Zinziberis,
Rad. Pentaphylli, ana drachmas ſex,
Reſinæ Styracis Calam. uncias duas,
id eſt;

Ratione prior. pond. antiq. Compoſ. unciam ſemis, &, loco Piperis albi, drachmas ſex, item, loco Agarici, drachmas ſex.

Meu, ſeu Angelicæ, unciam unam:
id eſt;

Ratione prioris pond. antiq. Compoſ. unciam ſemis, &, loco Nardi Celticæ, unciam ſemis.

Amomi racemoſi, ſeu potiùs ſeminis Citri excorticati, unciam unam ſemis: id eſt,

Ratione prior. pond. antiq. Compoſ. unciam ſemis, &, loco Rhabarbari, drachmas ſex.

Acori, ſeu Calami Aromatici, unciam unam ſemis: id eſt;

Ratione prior. pond. antiq. Compoſ. unciam ſemis, loco Chalcitidis, & Polii Cret. ana unciam ſemis.

Terræ Lemniæ uncias duas, cum drachmis duabus:
id eſt;

Ratione prioris pond. antiq. Compoſ. unciam ſemis, loco verò Agarici, drachmas ſex, & loco Chamædryos, ana unciam ſemis.

Phu Pontici, ſeu Valerian. unciam ſemis,

Macis drachmas ſex: id eſt;

Ratione prioris pond. antiq. Compoſ. drachmas duas, & loco Gummi Arabici, unciam ſemis.

Caryphyllorum drachmas ſex: id eſt;

Rat. prior. pond. antiq. Compoſ. drachmas duas, &, loco Comarum Hyperici, unciam ſemis.

Rad. Gentianæ uncias duas: id eſt;

Ratione prior. pond. antiq. Compoſ. unciam ſemis, loco ſemin. Petroſel. Maced. & Schœnanthi, ana drachmas ſex.

Aniſi,
Fœniculi,
Succi Hypocyſtidis,
Carpobalſami, ſeu Cubebarum,
Cardamomi minoris.
Sem. Seſeleos frag. Maſſ.
Succi Acaciæ,
Thlaſpios,
Ammeos,
Sagapeni, ana unciam ſemis,
Caſtorei recent. unciam ſemis: id eſt;

Rat. prior. pond. antiq. Compoſ. drachmas duas, &, loco Bituminis Judaici, drachmas duas.

Ariſtoloch. longæ unciam ſemis: id eſt;

Ratione prior. pond. antiq. Compoſit, drachmas duas, &, loco ſem. Dauci, drachm. duas.

Centaurii min. ſummit: unciam ſemis: id eſt;

Ratione prior. pond. antiq. Compoſ. drachmas duas, &, loco Opopanacis, drachmas duas.

Galbani drachmas duas,
Mellis puriſſimi, non cocti, ſed ritè, juxta ſuper. informationem extracti, triplum, id eſt, libras quatuordecim, cum unciis ſex.

Fiat *Antidotus*, ſeu *Theriaca*.

Pro faciliori etiam diſpenſatione, ne in illa aberrent Pharmacopœi, hanc ipſam præmiſſam Theriaces correctam Compoſitionem, juxta ordinem ponderum, hîc annectere quoque libet; quæ talis eſt:

℞. Trochiſc. de Viperis, dextrè & legitimè, juxtà n. deſcript. paratorum, ſeu:

Pulveris earundem, uncias ſex,
Opii priùs correcti, cum ſpiritu vini legitimè extracti, & ad debitam ſpiſſitudinem iterum redacti, uncias tres ſemis.
Piperis longi uncias duas ſemis,
Roſarum rub. ſiccat.
Cinamomi opt. ana uncias tres,
Opobalſami veri, ſeu Ol. Nucum Moſchat. expreſſi,
Terræ Lemniæ veræ, ana uncias duas ſemis,
Coſti odorati, ſeu Zedoariæ,
Rad. Gentianæ,
Reſinæ Styracis Calam. ana unc. duas,
Iridis Illyr. ſ. Florent.
Succi Liquiririæ colati,
Sem. Napi agreſtis,
Comarum Scordii,
Myrrhæ translucidæ,
Croci Auſtriaci,

Thu-

Thuris Maſculi,
Amomi, ſeu ſem. Citri excort.
Acori, ſeu Calami Aromat. ana unciam unam ſemis,
Meu, ſeu Angelicæ, unciam unam,
Caſſiæ ligneæ veræ,
Nardi Indicæ,
Fol. Dictamni Cretici,
Stœchad. Arabicæ,
Nepethæ, ſeu Calam. montan.
Terebinthinæ Chiæ,
Zinziberis.
Rad. Penthaphylli,
Macis
Caryophyllorum, ana drachmas ſex,
Phu Pontici, ſeu Valerianæ,
Succi Hypocyſtidis,
Acaciæ,
Sem. Aniſi,
Fœnicnli,
Seſeleos fragilis,
Thlaſpios,
Ammeos,
Cardamomi min.
Carpobalſami, ſeu Cubebarum,
Sagapeni,
Caſtorei,
Ariſtoloch. longæ,
Centaurii minoris, ana unciam ſemis,
Galbani drachmas duas,
Mellis puriſſimi, & clari, legitimo modo, juxta n. præſcript. ſine coctione extracti, triplum, ſeu libras quatuordecim, & uncias ſex.

Hujus Compoſitionis, ſeu Theriacæ anodinæ, conficiendi modus, & mixtura, cum præparatione ſuperioris Theriacæ primæ coincidit; ita, ut, in omnibus rebus, mixtim, & ſeparatim, contundendis; quibusdam diluendis *cum aqua Citri, è Corticibus, ſine additione, ſtillata;* nonnullis verò diſſolvendis, *cum Vino Cretico, in quo Scilla præparata priùs macerata fuerit*, loco *Eſſentiæ Viperinæ*, idem modus & norma ſit obſervanda. Supervacaneum igitur foret, me hîc prolixiorem eſſe; cùm ſapienti pauca ſufficiant, qui uni Ideæ reliqua novit conformare.

Virtutes hujus Antidoti, ſeu Theriacæ, correctæ, anodinæ, quod concernit, eas revelavimus ſuperiùs, ubi Theriacam Veterum, cum omnibus contentis, ventilavimus. Nam infero, ab inductione: Si Veterum Theriaca vires aliquas habet, & quidem ſub ratione univerſalis cujusdam remedii & antipharmaci; à fortiori concludo, quòd noſtra hæc emendatior Compoſitio, & Theriaca, *miſſis inutilibus, auctis & accitis præſtantioribus & alexiteriis*, majores virtutes Cardiacas, Alexipharmacas, Stomachicas, Roborantes &c. ſibi meritò vendicet. Et licet, juſto judicio, hanc ipſam correctam Theriacam, in morbis virulentis, & peſtilentialibus, tantoperè extollere nolim, præſertim curativè adhibendam: (veritus, ne *Opii narcoticum virus*, & *Piperis longi exurens qualitas*, multis officiat) attamen volui doſin *alexiteriorum ingredientium* adaugere, ut vel plurimùm *Dyſenteriæ, Diarrhœæ, aliisq; morbis affinibus Contagioſis, Epidemiis*, prout etiam *Hyſtericis paſſionibus, ab occulto & abdito quodam veneno, ex ſemine corrupto ſuam trahente*

hente geneſin, contra quas, utpotè malignas, affectiones *alexipharmaca multum poſſunt*; aliis autem morbis, qui mitioris naturæ & indolis, nihil derogant, & obſunt, ſubveniret. Latet ergò cura, & medela, in hac correcta Theriaca, non ſolùm in *Malignis, Epidemiis, & Contagioſis, Dyſenteriis, Diarrhœis, Catarrhis; verùm etiam Lienteriis, nimiùm fluidis Menſtruis, Colicâ Hyſtericâ, paſſione, quibuscunque Doloribus, Febribus Quartanis, Hypercatharſi, multisque aliis*: prout omnes ſubſcripturi ſunt, qui ſoli ſe mancipaverint veritati. Cœterùm, neminem ſuâ ſtatione & ſententiâ amotum volo, qui aſſentiri Veterum dogmatibus, & gregem aberrantem inſequi voluerit, oſor meliorum, & recentiorum, quæ proſtant, inventorum. Sordeant illis noſtra; diſplicent nobis, cum ratione, vetera, & utinam non officerent, in mortem usque expianda; prout tot myriadum deplorandorum hominum firmat Cataſtrophe. Sed obſtinatis nihil ad ſalutem vaticinamur, donec inſtet juſta aliquando nemeſis, ac vindex à tergo DEUS, in Spiritu Eliæ detonaturus. *Doſin* hujus Theriacæ *à drachmâ unâ*, ad *duas*, & *unciam ſemis*, licet extendere.

THERIACA SIMPLEX.

℞. Rad. Angelicæ,
Imperatoriæ,
Morſus Diaboli,
Scorzoneræ, ana uncias quatuor,
Enulæ,
Valerianæ, ana uncias duas,
Herb. Scordii noſtrat. recent. unc. ſex,
Rutæ hort. recentis uncias tres,
Bacc. Juniperi uncias quatuor.

Inciſa & contuſa coquantur in ſ. q. *Aquæ ſimpl.* repetitis vicibus, quousque tota eorum vis extracta ſit. Decoctiones omnes, & expreſſiones, junctim, cum *album. ovorum*, clarificentur, &, *in terreo vaſe*, ad Extracti, ſeu Mellis, ſpiſſitudinem evaporent; cui *Extracto*, ſeu *Decocto inſpiſſato*, adde,

Mellis puriſſimi virginei, clari, nunquam cocti, libras octo:

His mixtis porrò *Pulveres ſubſequentes*, minutiſſimè triti, ſub continua agitatione, leni in calore, inſpergantur, & quidem per *cribrum ſetaceum anguſtum*, utpotè:

Pulv. Rad. Zedoariæ unciæ tres,
Angelicæ,
Succiſæ ſeu Morſus Diaboli, ana unciæ duæ,
Gentianæ,
Dictamni albi, ana uncia una ſemis,
Herb. Scordii noſtr. unciæ tres,
Sem. Citri excorticat.
Rutæ hortenſis,
Napi ſylveſtris,
Bacc. Juniperi,
Lauri ana uncia una ſemis,
Croci opt. uncia una, cum Vino Citrato, ad pultis formam, diluti,
Myrrhæ electæ, cum eodem Vino Citrato, ad formam pultis ſolutæ, unciæ duæ,
Cinamomi opt. acuti,
Nucum Moſchatarum, ana uncia una.

Ulti-

Ultimò verò inſpergantur,

Ol. Still. Juniperi drachmæ duæ,
Rutæ drachma una ſemis.

Miſceantur exactè : Fiatque *Electuarium* juſtæ conſiſtentiæ, *præſtans alexipharmacum contra morbos contagioſos & peſtilentiales, febres malignas, quartanas, ad diaphoreſin & ſudores eliciendos*, Theriacâ Andromachi neutiquàm inferius. Doſis *drachma una, duæ, tres, adunciam ſemis*, in vehiculo appropriato.

ANTIDOTUS THERIACALIS.

℞. Rad. Angelicæ,
Imperatoriæ,
Pimpinellæ,
Contrayervæ,
Enulæ Campanæ,
Succiſæ,
Valerianæ, ana uncias tres,
Gentianæ uncias duas,
Herb. Scordii noſt. recent. uncias ſex,
Rutæ recentis uncias quatuor,
Cort. Limon. recent. & extim. uncias duas,
Arantior. recent. & extim. unciam unam ſemis,
Bacc. Lauri uncias duas.

Hæc cuncta recentia, ſi fieri poſſit, aut ad minimum recenter ſiccata, incidantur & contundantur craſſiuſculè, & cum ſ. q. *aquæ ſimpl.* repetitis vicibus affuſæ coquantur ad totalem virtutum extractionem. Decoctiones album. ovorum clarificatæ, ad conſiſtentiam *Extracti*, ſeu *Mellis*, in vaſe terreo vitreato leniter evaporent; cui inſpiſſato decocto adde.

Mellis puriſſimi legitimè juxta informationem extracti, libras ſex,

Rob. Juniperi, dextrè ac diligenter parati, libram unam ſemis:

Huic *Melli* affatim alexipharmacâ virtute jam imprægnato porrò adde, & pedetentim per cribrum anguſtum, ſub continuâ agitatione, & leni in calore, inſperge *Pul. ſequentes*, utpotè:

Pulv. Viperarum, vel Serpentum, ſalubriorum n. m. parati, uncias ſex,
Pul. ex Typhis Cervinis, in *Animadverſionibus* n. edocti, uncias tres,
Pulv. Rad. Contrayervæ uncias duas,
Anthoræ unciam unam,
Zedoariæ uncias tres,
Croci Auſtriaci unciam unam,
diluti priùs ad pulticulam, cum
ſucco ex Corticibus Limon. recentibus expreſſo, vel cum *Vino*, in quod *Cortices Limonum largâ quantitate infuſi fuerint*.
Myrrhæ translucidæ uncias duas,
eodem modo, cum ſ. q.
Vini Citrati ad pulticulam ſoluti,
Cinamomi acuti unciam unam,
Sem. Citri excortic.
Napi ſylveſtris,
Rutæ hortenſis, ana unciam unam ſemis;
Nucum Moſchat. unciam unam;
ultimò inſtillando,

Ol.

Ol. Still. Rutæ drachmam unam,
Juniperi drachmas tres.

Fiat, omnibus ſic exactè mixtis, *Antidotus* ſive *Electuarium*, juſtæ conſiſtentiæ; *in omnibus ac ſingulis morbis contagioſis, peſtilentibus, & deleteriis, præſtantiſſimum.* Cujus doſis *drachma una, ad tres, & unciam ſemis.*

Nota: Quùm non temerè huic Antidoto tam celebre inſcribam elogium ac titulum, lege, quæ ad me literis ſuis expreſſit Vir Doctiſſimus, & Celeberrimus Medicus, Dn. Joannes Chryſoſtomus Irmbler, his formalibus: *Huic Electuario addidi Pulveris Sulphuris vivi, ſolâ liquatione, in fictili tripode, leni igne, à terreſtreitate ſeparati, uncias duas, & exhibui drachm. unam, & drachmas duas, cum aceto Alexipharmaco, & aquâ Alexipharmacâ; &, inter Compoſita ordinaria, nullum, pro Peſte infectis, efficacius reperi. Dedi etiam, à ſumpto veneno, mirabili convulſione à lecto ad trabes usque ſubitò diſtentis, canquam per feneſtram evolaturis, eodem modo; & benè profecit, ſine ordinatione aliorum.* Hæc ille.

ANTIDOTUS THERIACALIS SECUNDA;

DYSENTERIIS MALIGNIS ACCOMMODATA.

℞. Rad. Acori,
Petaſitidis,
Scorzoneræ,
Rad. Succiſæ,
Tormentillæ, ana uncias quatuor,
Cichorii ſylveſtris,
Pimpinellæ, ana uncias tres,
Herb. Scordii noſtrat.
Milleſolii,
Plantag. min.
Equiſeti,
Pyrolæ, ana recent. uncias tres,
Flor. Calendulæ,
Papav. errat. ana unciam unam ſemis,
Roſarum rub. uncias duas ſemis.

Inciſa & contuſa coquantur cum ſ. q. *Aquæ ſimplicis*, reiteratâ affuſſone, colaturâ, & expreſſione, quousque tota eorum vis & efficacia extracta ſit: Decoctiones & expreſſiones junctim album ovorum probè clarificatæ ad ſpiſſitudinem *Extracti*, vel *Mellis*, in vaſe terreo vitreato, leniter coquendo, evaporent: cui decocto inſpiſſato addantur

Mellis opt. puri. n. m. legitimè extracti libræ decem:

Jam verò:

Huic *Melli*, rerum dictarum virtutibus impræguato, ſequentia, ſubtiliſſimè trita, lege artis, incorporentur, ad normam ſuperiùs, in præparatione Theriaces, edoctam: nempe,

Pulv. ex Typhis Cervi, ſeu Bezoardici Cervini ſimpl. *in Anim. adv. n. ad Mantiſſam, pag. 634.* edocti, unciæ quatuor,
Rad. Acori, ſeu Gladioli lutei,
Angelicæ,
Contrayervæ, ana uncia una ſemis,

Dicta-

Dictamni albi,
Tormentillæ,
Zedoariæ, ana unciæ duæ,
Biſtortæ,
Calami Aromatici,
Doronici veri, ana unc. una,
Herb. Scordii noſtr. uncia una ſemis,
Flor. Roſarum rub. unciæ duæ,
Croci opt. Auſtriaci,
Baccarum Lauri,
Sem. Napi agreſtis.
Citri excorticat.
Rutæ hortenſ. ana unc. una.
Nuc. Moſchat. unc. una ſemis.
Terræ Sigill. Sileſ. unciæ duæ,
Myrrhæ translucidæ,
Olibani in granis,
Cort. Citri, ſeu Limon. extim.
Arant. recent. & extim. ſiccat. ana uncia una ſemis,
Reſinæ Styracis Calam.
Terebinthinæ de Cypro, ana uncia una ſemis,
Ol. Nuc. Moſchat. expreſſi uncia una,
Opii correcti, cum Spiritu Vini extracti, ac ad juſtam Mellis conſiſtentiam redacti, unciæ duæ.

Conficiatur ex omnibus, lege artis commixtis, ad normam Theriaces correctæ, *Electuarium*, ſeu *Antidotus*, diluendo *Crocum* ad formam pultis, cum ſ. q. *Vini citrati, in quo nimirum Cortices Citri recentes infuſi fuerint*, pariter & *Myrrham, eodem vino citrato*, ad formam pulticulæ, diſſolvendo.

Præſtat hæc Antidotus *in Dyſenteriis, ac Diarrhœis malignis contagioſis, Sputo Sanguinis, Lienteria, Fluxu Hepatico. & Colicâ paſſione: hæmorrhagias ſiſtit. & quidquid ab aſſumpto violento pharmaco, irritatâ facultate expultrice, profuſus & ſymptomaticas evacuationes minitatur, compeſcit.* Doſis eſt *à drachma una, ad unciam ſemis.*

CONFECTIO ALEXIPHARMACA REGIA.

℞. Rad. Angelicæ,
Contrayervæ,
Morſus Diaboli,
Zedoariæ,
Doronici veri, ana uncias duas,
Herb. Scordii noſtr. recentis uncias quatuor,
Rutæ hort. recent. unc. tres,
Croci Auſtriaci pot. drachmas ſex.
Cort. Limon. extim. recent. unc duas,
Arant recent. & extim. unciam unam ſemis,
Bacc. Juniperi uncias duas,
Lauri unciam ſemis.

Conſcindantur & contundantur craſſiuſculè, ac cum ſ. q. *Spiritûs Vini*, repetitis vicibus affuſi, extrahatur eorum *Eſſentia* tota, quousque *Spiritus* non amplius tingatur: extractiones omnes ad conſiſtentiam Mellis evaporent, deſtillando per M. B. Huic *Extracto* adde

Eſſentiæ Citri ſaccharinæ, ex recentibus Corticibus paratæ, & ſuperiùs edoctæ, uncias quatuor,
Arantiorum ſaccharinæ, ex recentibus etiam corticibus paratæ, uncias tres,

Pulv. ex Typhis Cervi *in Animadverſ. n.* edocti, unciam unam ſemis,

Lapid. Bezoar veri, non adulterati, nec factitii, unciam ſemis,

Bezoar Occident. unciam unam,

Bezoardici aurei, n. m. parati, unciam unam,

Pulv. Unicornu foſſilis albiſſ.

Boli Armen. n. m. parat. ana uncias duas,

Sem. Citri excorticati drachmas ſex,

Nucum Moſchat. unciam unam,

Ol. Still. Cinamomi opt. drach. ſemis,

Mellis Roſati Citrati, ad noſtram informationem, ſuperiùs legitimè parati, libras duas.

Fiatque ſ. a. *Electuarium* juſtæ conſiſtentiæ, & *Confectio Alexipharmaca Regia.*

Eminent virtutes hujus Antidoti nobilis & Regiæ in omnibus *affectibus, in quibus malignitas dominatur*, è quorum cenſu omnes *febres perniciosæ* ſunt, & ipſa *Peſtis: duplici formalitate expetibilis, cùm* curativè, *tùm* prophylacticè. *Curativè* exhibeatur *à drachmâ unâ, ad duas, & duas ſemis: præſervativè* verò tantum, *quantum mucrone cultri* apprehenderis.

Nota, quòd Mel Roſatum Citratum, actu quodam reflexo Regiæ huic Confectioni Alexipharmacæ aſſociârim; quoniam Mel durabilem Electuariis & Antidotis largitur conſiſtentiam: Syrupi verò, vel etiam Saccharum, ad debitam conſiſtentiam coctum, elabentibus annis, aut etiam menſibus, ſuâ ſponte incruſtantur, & cryſtalliſantur, ſaccharum arte candiſatum referendo. Et hinc Electuaria, absque Melle, cum ſolo ſaccharo confecta, brevi indureſcunt, & vel penitus exiccantur. Hoc ut evitetur in hac Compoſitione alexipharmaca, Mel dictum Roſatum, & Citratum, quod & per ſe Cordiales & Alexiterias obtinet facultates, præ aliis Syrupis elegi & ſubſtitui.

DIACORUM STOMACHICUM.

℞. Rad. Acori, ſeu Gladioli recent. uncias ſex,

Calami Aromat.

Eryngii,

Cichorii, ana recent. uncias tres,

Pimpinellæ uncias duas;

Mundatæ optimè, calloſâ, vel lignoſâ parte ſeparatâ, quæ in *Eryngio, Cichorio*, & *Pimpinella* deprehenditur, incidantur radices craſſiori modo, & quadratè; coquantur deinde in vaſe terreo, cum

Succi Cydoniorum recenter expreſſi, vel in cella debitè aſſervati, ſ. q. (libris ſex circiter)

quousque molleſcant; ad normam, quaſi condiri deberent. Radicibus pro neceſſitate coctis, ac interim aſſervatis, nec non à ſucco, in quo coctæ fuerint, ſeparatis colaturâ, & nonnihil ſupra telam & cribrum exſiccatis, ſumito

Suc-

Succum Cydoniorum à coctione relictum. &, additis

Sacchari albiſſimi libris tribus, coquantur ad craſſam Syrupi conſiſtentiam, immittendo ſub finem *ſuperiores, ad mollitiem decoctas, & conſciſſas radices*, quas parum adhuc decoque, donec brodium, ſive Syrupus hic debitam conſiſtentiam nactus fuerit; tandem ſuperaddito

Amygd. dulc. excort.
Piſtach. decort.
Pinearum mundat. ana craſſiuſculè & in quadratas, ſicut radices, inciſarum uncias duas,

Nuc. Moſchat. Indic. condit. ad normam ſuperiùs edoctam inciſarum, uncias tres,

Macis conſciſſi,
Cardamomi conquaſſat.
Cort. Citri,
Arantiorum ana n. modo cond. & ſuperiùs dictâ formâ conſciſſ. unciam unam ſemis,

Zinziberis Indici cond. inciſi unciam unam ſemis,

Olei ſtill. Cinamomi drachm. unam, priùs cum

Eſſentiæ Citri ſacchar. n. m. paratæ, unciis duabus permiſti,

Fiat ſecundum artem *Electuarium Stomachicum gratiſſimum & confortativum: roborat ventriculum, & totam naturam reſtaurat. Senibus, marasmo ac diuturnitate morbi attritis, quàm validè ſuccurrit: cujus uſus frequentior de die commendatur, manè ſcilicet, veſperi, prævio prandio, ac cœna; verbo denique, pro voto & voluntate.*

Nota: Si cui arrideret, *Electuarium* hoc præſtantius & efficacius efficere, Nobilitatique & Magnatibus deſtinare, hic libræ uni Electuarii *Ambræ gryſeæ ſcrupulum unum, vel drachmam ſemis, & Moſchi ſcrupulum ſemis*, ſuperaddere poſſet, *Ambram* priùs cum ſ. q. amygdal. decort. *Moſchum* verò cum particula *Aq. Roſar. vel Flor. Arantiorum*, ad pulticulam ſubigendo. Sic Regibus dignum efficeris condimentum.

CONFECTIO ALKERMES.

VEterum inſiſtendo veſtigiis, nè purpuram, oſtrum, & roſeum decorem; huic detrahamus Confectioni, ſimul etiam circumſpecto, ut magnarum virium & energiæ evadat, primus labor ſit, conficere *Magiſterium granorum Kermes* (cùm ſucco vero & recenti in noſtris regionibus deſtituamur) ſequenti dexteritate:

℞. Granorum Chermes, aut fructûs Kermes, uncias duas;

quæ integra, non contuſa, parum coquantur *in aq. ſimpl.* ſ. q. & quidem repetitis vicibus, inſtillatis ſemper aliquot guttulis *Olei Tartari per deliquium facti*, quousque aqua colore rubro imbuatur. Huic aquæ tinctæ colatæ guttatim, & per vices, infundatur *aqua Aluminis*; (aqua communis ſcilicet, in qua nonnihil aluminis tantùm ſolutum ſit) & præcipitabitur Magiſterium, & vel tota ſubſtantia Granorum Chermes

ſoluta, eaque rubicundiſſima, inſtillando tamen ſæpiùs, & alternatim; *Oleum Tartari*, & *Aquam aluminis*, quoad ſolutio, ſeu aqua tincta à granis, iterum alba & limpida fermè evadat, totaque granorum Tinctura, ſeu Eſſentia & nobilior ſubſtantia præcipitata ſit; quæ per filtrationem ab aquâ ſeparanda, & affuſâ ſæpius *aquâ recenti pura* tamdiu edulcoranda eſt, quousque nulla veſtigia ſuperſunt *aluminis*, *& Olei Tartari*. Relicta Eſſentia, ſeu Magiſterium, in chartâ bibulâ aut filtro, leniſſimo in calore nonnihil exſiccetur, ad inſtar cujusdam pulpæ, interimque aſſervetur.

Jam verò

℞. Succi pomorum redol. recenter expreſſi, ſine diuturnâ depuratione, libras octo,
cui immergantur
Sem. ſeu Granor. Chermes integr. non contuſ. drachm. ſex,
Cort. Limon. recent. & extim. unciæ duæ ſemis,
Arantiorum recent. extim. uncia una ſemis,

Factâ maceratione in loco tepido, vel moderatè calente, per diem, colentur: pòſt Succo colato adde

Sacchari Canar. albi libras quatuor: coquantur leniter ad conſiſtentiam Syrupi paulò craſſioris; cui, dum adhuc parum calet, adde

Ambræ gryſeæ opt. unciam ſemis, priùs cum
Sem. Citri excortic. unciâ ſemis quàm optimè ſubactæ,
Moſchi Orient. drachm. unam, cum partic.
Aq. flor. Arantiorum ad pulticulam ſoluti,
Pulv. Ligni Aloës opt. & gum. unciaſ duas ſemis,
Cinamomi acuti,
Margarit. Orient. præpar.
Corall. rub. præpar.
Lapid. Lazuli præpar. cærulei, vel
Magiſt. ejusdem in *Animadverſionibus n.* edocti, ana unciam unam ſemis,
Magiſt. Gran. Kermes, ſupra deſcripti, nonnihil adhuc humidi, uncias tres:

Miſceantur exactè, fiatque *Confectio nobiliſſima;* cui ad ſaturandos oculos vulgi

Auri folia centum, vel plura, artificioſè uniantur.

Hoc pacto efficitur præſtans illa *Confectio Alkermes*, *quæ primariò Cordi & Vitalitati conſecrata eſt, cujus affectibus & maximè Lipothymiis, apprimè ſuccurrit. Cerebro quoque, & facultati Animali, vires ſubminiſtrat; proindè illam Melancholicis & Hypochondriacis ſuadere velim.* Pro doſi *drachma ſemis*, *ad unam*, *plus minus*, adhiberi poteſt.

Nota: quòd, ſi *Succus Granorum Kermes* legitimus haberi poſſit, ipſe tibi conſilium ſubminiſtro, ut eum ad Confectionem hanc feligas, juxta mentem *D. D. Monſpelienſium*. Verùm, cùm turpis quæſtus omnia ferè noſtrâ hâc tempeſtate adulteret, ac nobis illudat, qui peregrina & exotica adoramus, meliora ruri domique excolentes; quare ſatius fuerit, *Magiſterio* tibi no-

bi notiſſimo inniti, quàm exoticis fallaciter circumagi.

Nota ſecundò: ratione *ſucci pomorum redolentium*, quem *recenter expreſſum, ſine prævia diuturnâ fermentatione, aut depuratione*, (quemadmodum etiam difficillimè depuratur) accipiendum eſſe præcepi; quod & ipſum non ſine ratione ſonticâ factum ſit. Nam *Succus cujusvis fructûs* ſive *Pomorum*, ſive *Cydoniorum*, ſive *Fragorum*, *&c. probè depuratus & clarus*, additâ ſ. q. *Sacchari*, in elegantem quidem Syrupi conſiſtentiam fluidam & permanentem reduci poteſt; verùm ſi *Syrupos ejusmodi ad paulò craſſiorem conſiſtentiam*, quæ quidem non ſolùm ad hanc, ſed etiam ad omnes alias Confectiones ſimiles parandas neceſſaria eſt, coxeris; omnes illi ultra neceſſariam & conſuetam conſiſtentiam decocti Syrupi, in lapillos tandem abeunt, & pro parte cryſtallizantur. Proindè, nè deinceps Electuaria, aut Confectiones, propter *ejusmodi craſſioris conſiſtentiæ Syrupos*, tanquam corpora & baſis eorum, tam exiguo temporis intervallo areſcant, & condenſentur, ſed debitæ ſint durationis; author ſum, ut accipiantur *ſucci recenter prælo expreſſi*, qui, cum *Saccharo* cocti, mucilagineam contrahunt conſiſtentiam, difficulter, aut nunquam, in cryſtallos, aut lapillos, ſaccharinos degenerantes; unde ad has, & ſimiles confectiones, hi *ſucci cum ſaccharo cocti* aptiſſimi ſunt, & durabiles: ex quibus ſimiles confectiones parandæ.

CONFECTIO ANACARDINA CEPHALICA.

℞. Aquar. Majoranæ,
Flor. Arantiorum,
Tunicæ, ana ſine additione aq. ſimpl. ex Baln. n. vaporoſo ſtill. unc. ſex.

Quibus, Cucurbitæ vitreæ infuſis, immergantur

Anacardiorum n. m. præparat. unciæ tres:

Factâ maceratione in vitro probè clauſo, horis circiter XXIV. fiat colatura; in colaturâ hâc diſſolve

Sacchari Canarii libras duas;

ac ſolâ ejusdem diſſolutione in Syrupum debitæ conſiſtentiæ redige; cui demum admiſceantur, adhuc calente Syruno, ut in ipſo veluti liquefiapt.

Ambræ gryſeæ drachma una,
priùs cum
Sem. Citri excort. drachmâ una probè ſubactæ,
Reſinæ Styracis drachmæ duæ,
Ladani drachma una

His liquatis, etiam reliqua, quæ ſequuntur, adjiciantur; nimirum,

Pul. Anacardiorum præp. uncia una,
Rad. Doronici veri uncia una ſemis,
Ligni Aloës gummoſi uncia una,
Cardamomi min.
Cubebarum,
Coriandr. ana drachmæ duæ,
Nuc. Moſchatar. uncia ſemis,
Macis drachmæ tres,
Caryophyllorum drachmæ duæ,

Nuc. Moſchat. Indic. conditarum, ac ſubtiliſſimè ad formam pulpæ contuſarum, unciæ tres,
Ol. Cinamomi ſtill. ſcrupul. unus, priùs cum
Sacchari n. Roſati uncia ſemis permiſti.

Miſceantur exactè, fiatque *Electuarium preciosum & maximè excellens, in refrigeratâ, eaque debili, facultate Animali, & Cerebro, confortando Ventriculo, arcendis Apoplexiis, Epilepſiis, ſenio reſocillando, Memoriæ laborantis defectibus, & quidquid demum vitii Cerebro & Ventriculo accidit, ſupplendis, à cauſa frigida derivatis, utiliſſimum. Doſis drachmæ duæ, ad unciam ſemis.*

ELECTUARIUM DE BACCIS LAURI, CARMINATIVUM.

℞. Mellis Menthæ n. m. legitimè parati libras duas;
In quo, dum benè calet, liquefac
Reſinæ Styracis Calam. drachm. duas,
Ladani drachmam unam ſemis,
ſuperaddendo
Pulv. Bacc. Lauri uncias duas,
Caſtorei drachmas tres,
Calami Aromatici drachm. ſex,
Sem. Carui,
Cumini,
Coriandri,
Aniſi,
Fœniculi,
Rutæ,
Macis, ana unciam ſemis,
Caryophyllorum drachmas tres,
Croci Auſtriaci drachmas duas.

Miſceantur, & fiat *Electuarium, præſtans ad Colicam & Iliacam paſſionem, ſicut & Inteſtinorum quascunque torturas, ſive à flatibus intercurrentibus, ſive à cauſa frigida deriventur.* Admiſceri etiam conſultò poterit Enematibus, ad flatûs diſſipandos.

ELECTUARIUM CHALYBEATUM.

PAretur hoc *Electuarium* juxta modum in *Pharmacopœia Auguſtanâ & noſtr. Animadverſionibus* ſuper idem factis, expoſitum, & optimo ſucceſſu operabitur.

CONFECTIO CORDIALIS REGIA.

℞. Cort. Citri recent. & extimorum, radula comminut. uncias octo,
Arant. recent. & ext. radulâ etiam comminut. uncias quatuor;
Nuc. Indic. Moſch. condit. uncias ſex,
Florum Arantiorum recent. unciam unam ſemis,
ſeu, quod melius,
Fructuum Arantiorum immaturorum & minutiſſimorum, adhuc viridium, ſummâ fragrantiâ & virtute eminentium, uncias duas,
Nuc. Moſchatarum unciam unam,

Eſſen-

Eſſentiæ Citri ſaccharinæ n. ſupra edoctæ,
Sacchari Roſati n. ſupra edocti, ana uncias quatuor:
contundantur ſimul juncta debitè ac diu in mortario lapideo, ad pultis ſubtiliſſimam formam, ut per ſetaceum transmitti poſſint: adde pòſt
Pulv. Croci Auſtriaci ſubtiliſſ. triti unciam ſemis,
Ligni Aloës gum. unciam unam ſemis,
Ambræ gryſeæ drachmas tres, priùs cum
Sem. Citri excort. drach. duabus probè ſubactæ,
Moſchi Orientalis drachmam unam, ſoluti in ſ. q.
Aq. flor. Arant. ad pulticulam,
Magiſt. n. ſolub. Coralliorum rub.
Perlar. Oriental. ana unciam unam,
Gran. Chermes, humidi adhuc, paulò ſupra edocti, uncias tres,
Ol. ſtill. Cinamomi drachmas duas,
Caryophyllorum drachmam unam,
Roſarum veri drachm. ſemis, priùs cum
Sacchari n. Roſati, ſuperiùs edocti, unciis quinque,
in Hæoſaccharum corvenſis,
Syr. de Corticibus Citri, ſuperiùs, *in Claſſe prima*, deſcripti, q. ſ. ad *Electuarii* juſtam conſiſtentiam.

Miſceantur omnia exactè in *vaſe terreo*, vel *mortario lapideo*, & ſervenţur in vitro benè clauſo, tanquam *Regia Confectio*; quæ ſanè longiſſimè Confectionem Alkermes antevertit, ſuis proindè digna encomiis *in quacunque Epilepſiâ, Apoplexiâ, Lipothymiâ, Syncope, Senio atterente, ipſâ Peſte, & quidquid è malignis pullulat: ſpirituoſo generi amica, ad quos reſtaurante & conſervante actione influit, multum expetibilis. Doſis drachma ſemis*, vel, ad lubitum, *quantum mucrone cultri apprehenderis*, ſæpè aſſumendo.

CONFECTIO CORDIALIS ALIA.

℞. Granorum Chermes legitimorum drachm. ſex,
Cort. Limon. recent. & extimor. uncias duas.

Coquantur integra, & non conquaſſata, in libris duabus, vel tribus, circiter, *Succi Pomorum redolent.* recenter expreſſi, ad remanentiam libræ unius cum dimidia: in colatura diſſolve

Sacchari Canarii albi libras tres,

ac ad conſiſtentiam mucilagineam, ad inſtar Gelatinæ, leni coctura rediganţur; cui, dum adhuc calet, injiciantur ſubſequentia ſubtiliſſimè priùs inciſa, & contuſa ad pulpæ ſubtiliſſimæ formam, ut per ſetaceum transmitti poſſint, in *mortario tamen lapideo*: videlicet.

Flor. recent. Arantiorum,
Limon. ſeu Citri,
Tunicæ rub.
Roſarum rub. ana unciæ duæ,

Fruct.

Fruct. seu pomell. Arant. immaturorum recent. & fragrantiss. unciæ tres,
Limon. immaturorum recent. & fragran.
Cort. Citri recent. & extimor.
Arant recent. & extim. ana radulâ priùs comminut. unciæ duæ.

Item:

Ambræ gryseæ drachm. duæ, vel tres,
priùs cum
Sem. Citri excort. drachma una probè subactæ,
Mosthi Orient. drachma semis, vel una,
soluti priùs in s. q.
Aquæ Cinamomi ad pulticulam,
Magist. n. solubil. Corall. rub.
Margarit. Orient.
Matris Perlarum, ana uncia semis,
Gran. Chermes, humidi adhuc, suprà edocti, unciæ duæ, vel tres,
Pulv. Ligni Aloës opt. uncia una,
Croci Austriaci uncia semis,
Ol. Still. Cinamomi opt. drachm. una semis,
Caryophyllorum drachm. sem.
Rosarum ver. scrupulus unus,
Nuc. Moschatar. expressi drachmæ duæ,
Priùs quidem cuncta hæc Olea cum Sacchari rosati n. superiùs ostensi, unciis quatuor permiscendo:
Syr. de Cortic. Citri n. superiùs, *in Classe prima*, descripti unciæ sex.

Fiat, lege artis, *Confectio Cordialis* nobilis & præstantissima, gustu acodore grato: cujus virtutes, usus, & dosis, ex superiore confectione patent.

Nota, quod si quis has *Confectiones* efficaciores ac altioris ordinis efficere cupiat, additione *Auri*, is Croci n. Aureopurpurei, in Animadversionibus expositi, vel Bezoard. n. aurei, aut Auri nostri cum Tinctura Antimonii fermentati drachmas tres, vel unciam semis, plus minusvè, addat.

ELECTUARIUM CONTRA DYSENTERIAM.

℞. Rad. Scorzoneræ,
Tormentillæ ana unciam unam semis,
Bistortæ unciam unam,
Herb. Equiseti,
Scordii nostr.
Millefolii, ana unciam unam,
Flor. Rosarum rub. unciam unam semis,
Papav. errat.
Tunicæ, ana sicc. unciam unam,
Balaust. unciam semis.

Incisa & conquassata coquantur in s. q. *Aquæ simpl.* frequentiùs recentem affundendo, & decoctiones exprimendo, quousque tota vis sit extracta: decoctiones expressæ, conjunctim cum *alb. ovorum* optimè clarificentur, &, additis

Sacchari Canar. albiss. libris duabus, radi-

redigantur, coquendo, ad conſiſtentiam Syrupi, conſuetâ paulò ſpiſſiorem; cui ſequentia lege artis immiſce: videlicet

Pulv. ex Tyhis Cervi ritè parati unciam unam ſemis,
Terræ Sigillatæ Sileſicæ uncias duas,
Flor. ferri præparat.
Ocul. Cancror. præparat.
Corall. rub. præparat. ana unciam unam ſemis,
Nuc. Moſchatarum unciam unam ſemis, vel duas,
Pulv. Roſarum rubear. unciam unam,
Balauſtiorum unciam ſemis,
Olibani in granis drachmas ſex,
Sem. quatuor frig. major. excort. ana drachmas duas,
Papav. albi unciam ſemis,
Citri excort. drachmas duas,
Amygd. dulc. decort. unciam unam; quæ Semina & Amygdalæ cum ſ. q. *ſuperioris, ad id aſſervandi, decocti* ad pulpæ formam contundendo rediguntur, & per cribrum ſetaceum anguſtum transmittantur:
Opii n. m. præpar. ſeu correcti, & extracti, drachmas duas.

Fiat, lege artis, *Electuarium præſtans in Dyſenteriâ, Diarrhœâ, Lienteriâ, Fluxu Hepatico, & Hæmorrhagiâ uteri. Doſis drachmæ duæ, & unciam ſemis.*

CONFECTIO HEPATICA CALIDA.

℞. Rad. recent Pimpinellæ,
Apii, ana uncias quatuor,
Enulæ,
Cichorii ſylv. ana uncias tres; mundentur, & conſcindantur craſſiuſculè in quadraturas, *parte calloſâ* ſeparatâ; decoquantur mox in
Succ. Agrimoniæ,
Chamædryos,
Hepat. nobilis,
Succ. Abſinthii, ana depurat. libra una,
Pomorum redolent. libris duabus,
quousque' molleſcant, quaſi condiri deberent: quibus ſufficienter coctis, & aſſervatis interim, ſumito
Succos reſiduos à decoctione Radicum &, additis
Sacchari albi Canar. libris tribus; porrò coquantur ad Syrupi craſſioris conſiſtentiam, aduniendo ſub finem *ſuperiores decoctas & inciſas Radices*, ut parum adhuc junctim ebulliant, ad debitam & craſſiorem ſyrupalem conſiſtentiam; quibus ſuperadde
Nuc. Moſchat. condit. & craſſ. conſciſſar. uncias tres,
Zinziberis Ind. cond. conſciſſi uncias duas,
Cort. Arantiorum,
Citri, ana cond. & conciſ. unciam unam,
Conſ. Abſynthii Rom.
Hepat. nobil. ana uncias duas,
Roſarum rub. uncias tres,
Flor. Cichorii,
Naſturtii hortenſ. ana uncias duas,
Pulv. Cardamomi min.
Nuc. Moſchat. ana unciam unam,

Sem. Naſturtii drachmas ſex,
Magiſt. n. ſolub. Corall. rub.
Ocul. Cancror. ana unciam ſemis,
Olei Cinamomi ſtill. drachmam ſemis,
priùs cum
Eſſentiæ Citri ſacchar. noſtr. uncia una permiſti,
Spiritûs Salis rectificati drachm. unam.

Miſceantur omnia probè, & fiat *Electuarium* juſtæ conſiſtentiæ, quod *Cachecticis, & ad Hydropem declinantibus, præſentaneum eſt remedium: Viſcerum obſtructiones reſerat, Scorbuticis ſubvenit, Urinamque propellit. Doſis manè & veſperi uncia ſemis, ad unam.*

CONFECTIO HEPATICA. REFRIGERANS.

℞. Rad. recent. Cichorii ſylv. uncias octo, Pimpinellæ uncias tres;

Mundetur optimè, rejectis *callofis partibus interioribus*; ſcindantur craſſiuſculè in quadratum; coquantur deinde, in vaſe terreo vitreato, cum
Succi Endiviæ,
Acetoſæ,
Acetoſellæ,
Cichorii ſylv. ana depurat. & recent. expr. librâ unâ,
Pomorum redolent.
Infuſi Roſarum rub. fortis, ana unciis quindecim,
quousque molleſcant, quaſi condiri deberent: Radicibus autem ſatis coctis, ac interim aſſervatis, accipe:
Succos à decoctione Radicum reſiduos, &, additis
Sacchari Canarii albi libris tribus,
denuò ad conſiſtentiam Syrupi craſſioris decoquantur, immittendo poſtremò *ſuperiores decoctas & inciſas radices*; quæ adhuc modicum ebulliant, ad debitam conſiſtentiam, & exhalationem ſuperfluæ humiditatis, coctis radicibus adhuc adhærentis; quibus porrò ſuperinjiciantur.
Lactucæ Hiſpan. cond. & inciſæ, unciæ quatuor,
Cort. Citri n. m. condit. & conſciſſ. unciæ duæ,
Conſervæ Roſarum rub. ex æqua parte Roſar. & Sacch. paratæ, unciæ ſex,
Flor. Cichorii,
Tunicæ,
Hepat. nobil. ana ex æqua parte flor. & ſacch. parat. unciæ duæ,
Feculæ, ſeu Salis eſſentialis, Acetoſellæ puræ drachmæ ſex,
Spiritûs Vitrioli Martis drachma ſemis, vel una.

Miſceantur exactè in terreo, lapideo, aut vitreo vaſe, fiatque *Conditum Hepaticum refrigerans præſtans, quod hepatis & præcordiorum æſtûs mitigat, ac etiam reliqua naturalia viſcera corroborat; Febricitantibus item plurimum conducens. Doſis illius eſt quantitas Caſtaneæ*, ſæpiùs ſumpta, & repetita.

ELE-

ELECTUARIUM MITIGATIVUM, SEU ANODINUM.

℞. Sem. quatuor frig. major. excort. ana drachmas ſex,
Papav. albi unciam unam ſemis,
Citri excort. unciam ſemis.
Contundantur probè in mortario, additâ, per vices, *Aquæ Papav. errat. ſine addit. ſtillatæ, particulâ*, ad formam pulpæ, ut ferè totaliter per cribrum ſetaceum cogi queant: quibus addito

Eſſent. Citri ſacchar. ſuperiùs edoctæ, uncias quatuor,
Conſervæ Roſarum rubear.
Flor. Papav. errat. ana uncias tres,
Pulv. Croci Auſtriaci,
Opii n. m. parati & extracti, ana drachmas duas,
Ol. Nuc. Moſchat. expreſſi drachmas duas ſemis,
priùs cum
Sacchari Roſati, vel Citrati n. unciâ unâ,
permiſti:
Syr. de Papav. Rhæad. uncias tres,
vel q. ſ. pro debitâ *Electuarii* conſiſtentiâ.

Miſceantur exactè; ſervetur uſui. *Mitigat & lenit Dolores quoscunque & ubicunq;, valet, in Dyſenteria, Diarrhœa, Fluxu Hepatico, Colicâ paſſione. Doſis drachmæ duæ, ad unciam ſemis.*

CONFECTIO, SEU CONDITUM PECTORALE ANTI PHTHISICUM.

℞. Rad. recent. Enulæ Camp.
Cichorii ſylv. ana uncias quinque,
Pimpinellæ uncias tres.
Radices omnes mundatæ, & *Cichorii, & Pimpinellæ, à calloſâ & durâ internâ parte* ſeparatæ, coquantur in
Succi Hederæ terreſtris,
Millefolii,
Plantag. min.
Veronicæ,
Infuſionis fortis flor. Papav. errat. ana opt. depurat. libra una, donec emolleſcant, ac ſi condiri deberent; quibus ſufficienter coctis, & à *ſuccis reſiduis* ſeparatis, addantur

Rad. Symphyti majoris recent. ſeparatim ad mollitiem in aqua ſimplici coctarum, unciæ quinque:

incidantur & contundantur in mortario lapideo, ad formam pultis, *quâ interim aſſervatâ pulpâ*, accipito

Succos à coctione Radicum reſiduos, &, additâ
Sacchari Canar. albi libra unâ,

coquantur ad conſiſtentiam ſatis craſſam, immittendo ultimò

ſuperiores coctas & inciſas Radices; ac denuò adhuc parum ebulliant ad Syrupi conſiſtentiam; quibus porrò adde

Mellis puriſſimi virginei, nunquam cocti, ſed legitimè n. m. extracti, libras duas,

Conſ. Roſarum rubear.
pallidarum, ana n. m. cum æqua port. ſacchari & flor. paratar. uncias ſex,
Violarum Martial.
Hederæ terreſtr.
Veronicæ,
Papav. Rhæad. ana n. m. uti ſupra, parat. uncias quatuor,
Pulv. Croci opt. unciam ſemis,
Olibani unciam unam,
Nuc. Moſchatarum,
Flor. Sulphuris, ana unciam unam ſemis,
Sacchari Saturni reſolubilis, ex Minio, vel ipſo Plumbo, facti drach. tres,
Spiritûs Sulphuris, per Campan. ſtillati, ſcrupulum unum, vel drachm. ſemis.

Miſceantur debitè in *Conditum:* quod *internis Exulcerationibus, maximè verò Pulmonum, apprimè medetur, iterum atque iterum exhibitum. Doſis* ſit *uncia ſemis*, plus minus, quoties libuerit.

CONDIT. DIASATYRIUM.

℞. Rad. Satyr. recent. & mund. uncias octo,
Eryngii,
Pimpinellæ, ana recent. mund. & à parte calloſa ſepar. uncias tres.

Incidantur minutim, coquanturque in ſuffic. quant. Succi Cydoniorum recent. ad ipſarum mollitiem, pari modo, ac ſi condiri deberent; quibus è ſucco exemptis, ac contuſis minutim, interimque ſervatis, addantur reſiduo liquori, ſeu ſucco, in quo radices ad mollitiem coctæ ſunt,

Sacchari Canar. albi libræ duæ ſemis; coquantur denuò ad Syrupi craſſioris conſiſtentiam, in fine adjiciendo *prædictas antea coctas Radices*, quò etiam illarum attracta humiditas unâ vel altera ebullitione evaporet; &, poſtquam refrixerunt, ſuperaddantur
Nuc. Indicarum conditarum,
Zinzib. Indici condit. ana craſſiuſculè inciſ. unciæ quatuor,
Pinearum mundat.
Piſtach. decorticat. ana inciſ. unciæ duæ,
Pulv. Caryophyllorum drachmæ tres,
Cardamomi min.
Nuc. Moſchat. ana uncia una,
Piperis longi drachmæ tres,
Boleti Cervini,
Veratri Cervi raſpati,
Sem. Linguæ avis.
Erucæ,
Urticæ, ana uncia ſemis,
Ambræ gryſeæ drachma una, priùs cum
Sem. Citri excort. drachma una ſubactæ:
(*ſin minùs arrideat Ambra, omittatur:*)
Ol. Still. Cinamomi ſcrupuli duo, priùs cum
Eſſentiæ Citri ſaccharinæ n. unciâ unâ permiſti.

Fiat

Fiat *Electuarium* & *Conditum* nobile, quod *consumptos, & quasi refrigeratos reficit, semen auget, & ad Venerem stimulat. Dosis uncia semis, plus minusvè*, sæpiùs assumpta.

CONFECTIO SPLENETICA.

℞. Rad. recent. Pimpinellæ unc. quatuor,
Apii,
Fœniculi,
Enulæ, ana uncias duas.

mundentur, demptâ parte calloſa prius, incidantur craſſiuſculè quadratè, &, ſuperaffuſis

Succ. Matriſylviæ,
Naſturtii hortenſ.
Verbenæ,
Hederæ terreſtr.
Pomorum redolent. ana libr. unâ,
Decocti fortis Cort. Tamariſci,
Rad Capparum, ana libra ſemis,

coquantur ad mollitiem: quibus interim ſervatis radicibus, ſucci, jam à decoctione Radicum ſuperſtites, additis

Sacchari albi Can. libris duabus ſemis,

coquantur denuò ad craſſiorem Syrupi conſiſtentiam, immittendo ultimò *ſuperiùs decoctas & inciſas Radices*, & adhuc parum ebulliant ad debitam, & ſatis craſſam, conſiſtentiam, ſuperaddendo

Conſ. Cochleariæ,
Naſturtii hortenſis,
Flor. Cichorii, ana n. m. paratar. uncias quatuor,
Magiſt. n ſolub. Ocul. Cancr. unciam unam,
Pulv. Nuc. Moſchatarum,
Cardamomi,
Sem. Naſturtii,
Cinamomi acuti,
Rad. Doronici veri, ana drachm. ſex,
Sem. Fœniculi unciam ſemis,
Caryophyllorum drachmas tres,
Spiritûs Salis ammon. acidi chalybeati drachmam unam ſemis.

Miſceantur exactè in *vaſe terreo vitreato*, vel *lapideo*, pro *Condito Splenetico*, quod *obſtructiones Lienis reſerat, Scirrhos ac Tumores reſolvit, ac ipſum viſcus confortat. Doſis mane & veſperi uncia ſemis, vel una.*

SOTIRELLA, SeU MASSA AD DENTES.

℞. Ol. Nuc. Moſchat. expreſſi drach. duas,
Fuliginis deſtillati drachm. ſemis,
Opii correcti ſcrupulos duos,
Sem. Hyoſcyami,
Extracti Croci, ana gr. xv,
Camphoræ ſcrupulum unum,
Fuliginis ſplendid. drachmam ſemis,

M. fiat Maſſa duriuſcula, cavernis dentium morbidorum imponenda.

DIACYDONITES SIMPLEX.

℞. Cydoniorum maturorum num xx. vel quantum placet.

Mundata, dividantur in talcolas, *feminibus remotis*, coquantur in ſ. q. *Aquæ ſimplicis*, (precium ei addideris, ſi cum *proprio ſucco Cydoniorum expreſſo*, tanquam ſymbolo, coxeris) ad mollitiem, in vaſe terreo, mollia deinde *Cydonia* per cribrum ſetaceum cogantur, ut fiat pulpa; quâ interim aſſervatâ, accipe *aquam à decoctione Cydoniorum reſiduam*, vel *ſuccum Cydoniorum*, ſi illum pro decoctione Cydoniorum ſumpſeris, & additis, pro *qualibet libra unâ Pulpæ*,

Sacchari Canar. albi unciis octo, vel libra unâ,

coquantur denuò in vaſe terreo l. a. ad juſtam conſiſtentiam *Paſtæ*, ut poſſit recondi ad *Scatulas*.

DIACYDONITES AROMATICUM.

Diacydonitidi juxta modum ſuperiùs traditum dextrè parato, & ad juſtam *Paſtæ* conſiſtentiam cocto, ſub finem, ab igne priùs remoto, adde, & quidem, pro *ſingulis unciis*,

Nuc. Indicarum condit. & inciſarum drachmas ſex,
Zinziberis Cond. Indici & inciſ. unciam ſemis,
Cort. Arantiorum,
Citri, ana n. m. cond. & inciſ. unciam ſemis,
Nucum Moſchatarum,
Cinamomi acuti, ana craſſiuſculè inciſ. drachmas duas,
Caryophyll. inciſ. drachmam unam:

Miſceantur exactè, & fundantur ad *Scatulas*.

DIACYDONIUM PELLUCIDUM.

℞. Cydoniorum maturorum & mundat. in aliquot fruſtula majora conciſorum, abjectis ſeminibus, num. xxx. circiter;

Coquantur cum *Aq. ſimplicis* ſuff. q. in vaſe terreo, vel cupreo, ſtanno obducto, quousque nonnihil mucilaginoſum, aſt clarum reddatur decoctum; cui colato, & aliquantum è Cydoniis expreſſo, adde, & quidem pro *ſingulis libris duabus hujus accocti mucilaginoſi*,

Sacchari Canar. albi libram unam, et ad conſiſtentiam *Gelatinæ* percoquito; cui ab igne remotæ adde, ſi lubet, pro *divitibus*,

Ol. Still. Cinamomi ſcrupulum unum,
Caryophyll. rum ſcrup. ſemis, priùs cum
Eſſent. Sacchar. Citri n. drachm. ſex, permiſtorum:

et, ſi ſic arrideat, pro *Magnatibus*

Ambræ gryſeæ ſcrupulum unum, priùs cum
Amygdalis dulcibus probè ſubactæ,
Moſchi Oriental. opt. ſcrup. ſemis, priùs cum partic.
Aq. flor. Arantiorum, vel Roſarum, ad pulticulam ſoluti, & tandem

ambo-

amborum cum
Eſſent. Citri n. ſaccharinæ unc. ſemis,
permiſtorum.

Fiatque *Gelatina* præſtans, effundatur in exſculptas Figuras Plumbeas aut Stanneas, nonnihil humectatas *Aquâ Roſarum*, & ex his transferatur in Scatulas *Oleo Cinamomi & Caryophyllorum* parum imbutas.

Omnia hæc, & ſingula, è *Cydoniis* diſpenſata *Electuaria*, ac *Gelatinæ*, roborando & diſponendo Ventriculo dedicata ſunt: Digniſſima quoque, quæ, inter *Bellaria*, Magnatum epulas adornent, deliciæ ſimul & medicamina futura. *Doſin* cujusque arbitrio relinquimus.

DE CONDITIS ET CONSERVIS.

COndita quâ ratione ac dexteritate paranda ſint, ne à ſua degenerent indole, & effœta in viribus ſuis reddantur, ſed efficacia, genuini ſaporis, energiæ, & propriarum qualitatum, ne ſcilicet omnis *rerum condiendarum* virtus per coctionem veluti eluatur, excoquatur, & profundatur, id *Animadverſiones n. ſuper ea ipſa Condita* factæ, *pag. 365.* luculenter demonſtrant; quas B L. recolat ac conſulat. Proindè vel maximè Pharmacopœis intimandum, ne in *Radicum quarundam conditura*, ſicut & *Fructuum*, *Corticum &c.* utpotè *Radicum Cichorii, Pimpinellæ, Enulæ, Eryngii, Acori, Cydoniorum, & Perſicorum malorum, Pyrorum Moſchatell. Lactuc. Hiſpan. Cortic. Arantiorum & Citri &c. Aquas, in quibus ad mollitiem illa decoquuntur*, tanquam inutiles & effœtæ forent, abjiciant aut effundant; quin potiùs cautè reſervent: ſiquidem *mediantibus illis, ſaccharum pro conditura illarum rerum*, diſſolvendum, ſimul clarificandum, & ad debitam conſiſtentiam redigendum; ut hâc arte & praxi virtutes *rerum condiendarum*, quæ *hiſce aquis* maximâ ex parte concreditæ ſunt, in *proprium ſubjectum* iterum transmigrent, illudque denuò nobilitent: quoniam in *talibus decoctis* potiores rerum virtutes & dotes latitant, *Radicum nimirum, Fructuum & Corticum decoctorum*; vel ipſo nos ad hoc manuducente guſtu, & ſapore, quem ex talibus percipimus; adeò, ut, ſi *mala Cydonia*, aut *Citri Cortices*, frigidè etiam infundimus in *aquam*, genuinum ſaporem rerum in aqua perſentiamus, qui ſapor ſive amarus ſit, (*à radicibus ſcil. Cichorii, Corticibus Arantiorum, & Citri*) ſive dulcis, (*à Cydoniis, Pyris, malis Perſicis &c.*) aut nonnihil acris, (*à radicibus pimpinellæ, Enulæ &c.*) aut adſtringens (*ab Acoro vulgari*) certè ipſa ſubſtantia ſolubilis, & portio magis ſubtilis illa eſt, in qua rerum proprietas, virtus, & efficacia delitescit. Hanc igitur *Aquam, eſſentiâ rerum turgidam*, ac beneficio extractionis aut coctionis imbutam, temerè adeò, & incuriè, peſſundare, uti multis non ſine gravi notâ hactenus uſitatum fuit, ſanè nec prudentis, nec exercitati Pharmacopœi eſt, ſed rudis cerebri,

rebri, & imbecillis mulierculæ. Et quamquam hoc noſtrum Theorema & aſſertum tam evidens ſit, & demonſtrativè vel ipſo ſenſu guſtûs verificetur, nihilominus tamen vix nonnullis perſuaſerim, qui, quo ſemel eſt imbuta recens, & immobilis opinio, irrefragabili planè conſtantiâ, ſuum potius propugnant errorem, virtutes rerum eluunt, & macerando caſtrant, decocta, ſubtili & præpotente virtute ac vi ipſorum vegetabilium imprægnata, diffundunt, ac dilapidant; magnum quid, in arte ſe præſtitiſſe, autumantes, ſi condita jucunda ſaltem, dulcia, grata, ſaccharina tùm ægris tùm ſanis, proponant, magis utilia & grata, *ſapores nimirum amariuſculos; ſubacidos &c.* crebris infuſionibus aut coctionibus elicitos, tanquam ineptum quid (ut illi inſulsè philoſophantur, cùm tota ferè rerũ craſis & eſſentia in his lateat) ſegregantes, ac nihil aliud diſpenſantes, quàm terreſtres & exſuccas partes, condita *Saccharo, & Aromatum fragrantiâ* adulterata; ut apertè conſtat in *conditis Nucibus Juglandis, & Caſſe Citri*; cùm tamen ejusmodi condita minimè fiant, ut palatum ſaltem demulceant, & ſint deliciarum & effœminatæ ſenſualitatis illecebræ, ſed ut virtutes earum hâc formâ & ſubſtantia ſartas tectas ac intactas tutemur; in quem ſcopum *Saccharum, & Aromata*, addimus, ut ab interitu, ſitu, & corruptione vindicemus, ægris etiam plerumque nauſeabundis hoc dulci aſtu & fragrantiâ conſulentes

Conſervas verò quod attinet, unicum occurrit, quod in earum præparationibus correctione quâdam indiget, nimirûm *dupla ſacchari quantitas*, quæ, reſpectu *Florum & Herbarum*, imperatur. Etenim, ut jam paulò ſuprà reſolvi, acceſſorium ſequitur principale; &, ut ait Philoſophus: propter quod unumquodque tale, illud magis eſt tale. *Flores, Herbæ, earumq; eſſentia & vigor*, ſunt ratio & cauſa principalis, cur diſpenſamus Conſervas; non verò *Sacchari & Aromatum deliciæ*, quæ acceſſoria ſunt, & conditio, ſine qua ejusmodi durabilia non ſunt. Quare nimia eſt *Sacchari quantitas*, ſed ſufficit in ſiccioribus *æquale pondus Sacchari*; in *ſuccoſis verò, & mucilaginoſis, herbis & floribus, libra una, cum dimidia, Sacchari, ad libram unam Florum aut Herbarum*: ne profuſa *Sacchari quantitas* precium, doſin, & nauſeam, augeat, imò, ut multi Authorum volunt, ventriculo inimico ſuo fermento, (quod vel à calce *vivâ*, aut figulorum argillâ, inter clarificandum arripuit) ex toto hoſtile digeſtionibus efficiatur, remediorum vires ac virtutem retundat, & infirmet, multaque incommoda accerſat.

Plura, quæ de *Conſervis* agenda ſorent, quâ ratione ſcilicet parandæ, ut ſuo colore perſeverent, præſertim *Conſerva Roſarum, Violarum*: Item; qui *Flores* priùs ſubtiliſſimè incidendi ſint, priusquam in mortario lapideo contundantur, utpotè *Roſæ rubræ, Flores Anthos &c.* ſi dextrè & pereleganter efficere velis earum Conſervas; &, an *Saccharum pulveriſatum*, an verò *diſſolutum, ac iteratò ad conſiſtentiam Tabulati coctum* addendum veniat; ea

omnia

omnia exercitatis Pharmacopœis trita ac decantata sunt. Quare supersedeo, finemque huic Classi impono, in qua multa Christiano candore abdita revelavi, albo dignissima calculo.

Habes igitur, Amice Lector, preciosam medicamentorum penum, perfacilem ac dilucidam methodum, ad scientiæ Pharmaceuticæ hujus Encyclopædiam addiscendam, stylo humili, citra verborum lenocinia, aut hyperbolismos, non tàm ad clamosas Peripateticorum porticûs vociferando, quàm amico Musis silentio, & verborum modestiâ tibi revelatam. Habes, inquam, quidquid auxilii humana fragilitas à te sollicitat, quo tàm Cordi, & Cerebro, tanquam principibus, quàm Ventriculo, Lieni & Hepati, vicariis & subalternantibus visceribus, citò, tutò, ac jucundè subvenire possis. Et, quod maximum, tene: habes in malignis & deleteriis affectibus (quos solos nostra saginare cæmiteria, tradidit Helmontius,) utpote à tota substantiâ nobis hostilibus, in quibus confidas, remedia, ac minimè anceps auxilium experiaris. Quòd si tamen, (quod minimè confiderim) & Tibi, & auxiliis, effectum ac concursum subtrahi quandoque, videris, scias, velim; multas esse in Natura abditas causas, & DEUM abyssum multam.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS DECIMA QUINTA,

AQUARUM COMPOSITARUM, infusionum, & essentiarum, absolutissimam Præparationem exhibens.

DUce Philosophiâ, & exactâ rerum naturalium cognitione, opus habet, quisquis dextrè Aquas Compositas dispensare velit: quas ut ad amussim & concinnè componas, regula & gnomon tibi erunt, L. B. *præmissæ Animadversiones nostræ, ad Augustanam Pharmacopœiam, titulo de Aquis Compositis, de destillatione* item *Aquarum Simplicium in genere, à pag. 308. inclusivè, ad pag. 313.* uti & *Appendix Animadversionibus nostris superaddita.* Ex quibus omnibus & singulis genuinus artis Zelotes & æmulator compendiariâ brevitate ediscet, quàm abdita hactenus fuerit ars destillatoria; quàm obscura & inaccessa, ne dicam

dicam incognita, Galenicorum & Chymicorum noſtri ſeculi evulgatis libris; quàm denique ſpuria ſit, quæ paſſim venditur, lippis nota & tonſoribus. Patitur ſanè difficultates ſuas, easque prægraves, nec paucas, *Aquarum Compoſitarum genuina deſtillatio*; ut proindè demirari ſatis non poſſim Scriptores ævi noſtri, quòd maneam adeò, & rudi Minervâ, principem hanc Chymiæ & Pharmaciæ partem ad nos tranſcripſerint, & tractârint: quanquam indulgerem nonnihil imbecillitati eorum, niſi à rectô tramite deviantes, citra rerum naturalium delectum, præpoſterâ methodo, *fixa* pariter & *volatilia*, *Mineralia* cum *vegetabilibus* & *animalibus*, quin ipſa *perfectiſſima Metalla*, eidem committerent deſtillationi, informe Chaos producendo. An ad Meridianum cœcutiunt, quòd non deprehendunt, hanc eſſe amethodum; *Mineralia* & *fixiſſima quæque*, *acutiſſimo ignis gradui etiam reſiſtentia*, leni elixatione, aut deſtillatione, in minimas Atomos velle reſolvere, *fixiſſima*, affuſo liquore, beneficio Alembici, volatilizare, ut, noſtræ auſcultantes torturæ, parte, quâ pollent, ſpirituoſâ, & volatili, ſuppoſitos atque affuſos liquores imprægnent? Ampliſſimus nobis pateret campus, pluribus ſuper hâc re commentandi: ne tamen actum agamus, B.L. *ad Animadverſiones noſtras*, & *Appendicem*, directum volumus, tempus vindicantes, omnem inde habiturum ſatisfactionem. Impræſentiarum ſolummodò eas tractabo *Aquarum Compoſitiones*, quæ homogeneâ magis Ingredientium ſimilitudine, & analogiâ, rationi & uſui deſerviunt. Quanquàm, ut ingenuè fatear, quod ſentio, plus virium & emolumenti tribuam *Eſſentiis rerum* & *Infuſionibus l. a. elicitis*, quam ejusmodi *Aquis Compoſitis deſtillatis*; eò, quòd *earum virtus concentrata* feliciorem longè & celerem ſortiatur effectum. Unde decurſu temporis de ejusmodi *Eſſentiis*, & *Liquoribus*, Canonem & formulas interpolabo.

Et, cùm, *in præmiſſis Animadverſionibus noſtris*, *ſuper Aquas ſimplices*, *pag. 313.* modus indigitarim, ex vegetabilibus recentibus aquas dextrè eliciendi, *nullo peregrino liquore*, *nec aquâ etiam ſimplici affuſâ*, conſervatâ individuali perfectione, vi, & virtute, quâ imprægnatæ ſunt & gaudent res deſtillandæ, *quarumq; uncia una plus energiæ & roboris habeat*, quàm *libra una*, *ad normam Officinarum elicitarum*: prædicti verò deſtillandi modi difficultates quasdam involvant, ut, qui non continuò attentis oculis deſtillationibus illis præſit, ignemque moderatiſſimè regere ſciat, facilè *res deſtillandas* comburat; unde pòſt *Aquæ* Empyrevma ſpirant, atque ingratæ fiunt; idcircò, nè & hoc impoſterùm contingat, ac quivis, penès alios ſuos labores, pauciſſimorum carbonum conſumptione, exiguóque labore, hanc deſtillationem peragere poſſit; en, L. Benevole! *Inſtrumentum deſtillatorium*, ſeu *Balneum vaporoſum*, *nuper à me inventum*, *ari inciſum*, *typoq; hic expreſſum*, in gratiam Tui communico; quod ex cupro, vel terrâ figulinâ, parari poteſt,



Constat autem partibus tribus : *Infernâ* scilicet, *cui aqua simplex infunditur*, parvô rostro, à latere pervia, per quod, deficiente aquâ calidâ, in destillatione, nova reaffunditur; superiùs verò planè apertâ, ut medium vas & pars arctè superimponi, & suis commissuris adaptari possit. *Secunda regio figuram Alembici repræsentat*, fundum habens planum; &, ut Capitellum tantò pressius aptari possit, in conum assurgit; unde pars hæc stanno probè obducenda ad intrò. Hæc enim regio ea suscipit, quæ *ex vegetabilibus*, seu *Radicibus*, *Herbis*, *Floribus*, *Succis*, *Fructibus*, *Seminibus*, *Corticibus*, *Aquis etiam compositis*, destillationi inserviunt. *Succedit denique ipsum Capitellum*, *Tertia pars balnei*, prout manu Chalcographi dextrè delineatum vides.

Balneum hoc vaporosum paucis sumpti-

ſumptibus, exiguô, & ferè planè nullo labore *deſtillationibus omnis generis, liquoribus ſimplicibus æquè ac compoſitis*, ſubſerviet; di pari tamen ratione, ac reliqua *Balnea*; eò, quòd *in noſtro* rerum integræ, Eſſentiæ, primogeneæ qualitates, virtutesque balſamicæ ſerventur ac perdurent; uti vel maximè in *Oleis Eſſentialibus ſtillatis Corticum Arantiorum & Citri* obſervandum venit; quorum *nativa fragrantia, vires & virtus*, multis paraſangis *reliqua olea* antevertunt, quæ *largiori aquâ affuſa* eliciuntur. Et in promptu hujus ratio eſt, quòd *per aquas*, quas addunt, *ſpiritus volatilis, oleaginoſus & ſulphureus* (in quô rerum virtus delitescit) in deſtillatione fugetur & ſalvatur; quod graphicè demonſtro in *rectificatione dictorum Oleorum Eſſentialium*, quæ ſi affuſione *aquæ communis*, rectificaveris, dimidiam partem haud nanciſceris: quorſum ergò abſorbta? num in auras, & Lunæ concavum, evolavit? an in *aquâ ſimplici*, quâ cum rectificaſti *Olea prædicta*, delitescit? Verùm hoc ſic eſſe, docebunt communia, cum *oleis*, accidentia, *odor* ſcilicet, & *fragrantia* ac *ſapor*, quæ poſt rectificationem in *aquâ* perdurant. *Olea Eſſentialia Citri*, & *Corticum Arantiorum*, quæ citra additionem *aquæ ſimplicis* eliciuntur, totô ente differunt ab iis, quibus aquas affundunt: in iis enim *odor genuinus* perſeverat, & *conſiſtentiâ ſuâ* ad annos plures durant; cùm ex oppoſito illa, quæ *cum aquâ* deſtillaveris, peregrinum quid oleant; ad *Terebinthinam* ſpirent; vel maximè, ſi fermentatio præceſſerit, incraſſantur temporis ſucceſſu, ac *Terebinthinam* tenacitate ſuâ æmulantur, nihil minùs, quàm primævam *Arantiorum* aut *Citri fragrantiam* referentia. Verùm oppones, hanc meam aſſertionem contradictorium involvere, cùm in præmiſſis docuerim, quòd, quô remiſſiori ignis gradu vegetabilia deſtillantur, *eò ſubtiliores ſalium eorum partes* aſcendant, atque per Alembicum tranſeant, deſideratis aliquantò *partibus terreſtribus & fixioribus*, non contemnendæ virtutis, in reſiduo: hoc verò locô aliò aſſeram, quòd, quò *intenſiori ignis gradu* (ſubintellige proportionatum huic generi deſtillationum) vegetabilia per Alembicum deſtillentur, eò plùs de virtutibus paulò terreſtrioribus transmittant. Sed *Balneum Vaporoſum* leniſſimum vulgò deſtillandi genus eſt, ergò per illud *partes tantùm ſpirituoſæ & volatiles* elicientur, remanentibus aliquantò *terreſtrioribus*. Ad quod notandum, improbabilem eſſe eorum ſententiam, ne dicam minùs veram, qui hoc adſtruunt, *Balneum ſcilicet Vaporoſum* leviſſimum eſſe deſtillandi genus. Conceſſerim, quòd vapor aquæ calidæ, non prævidæ, qualis in digeſtionibus & circulationibus Chymicorum familariſſimus, ſit *leniſſimus ignis gradus*, ad res digerendas putrefaciendasque aptus; ineptus tamen eſt ad quamlibet fixationem. Verùm vapor *aquæ fortiter bullientis ferventis*, & quidem incluſus, licet actualiter non comburat, & incineret (obſtante humiditate, & deficiente ſiccitate, quæ proprium ignis eſt in quartô modo) eâ tamen

urendi virtute pollet, ut *gradum caloris arenæ*, quem ſimile deſtillationum genus alioquin ferre poteſt, non parum exſuperet. Cujus rei periculum facere, liberum cuique eſto, digitum admovendo *vapori aquæ bullientis*, à cujus momentaneâ actione & uſtione experietur, quàm *penetrativus* hic ſit *calor*, quàm aptus ad partes *æquè terreſtriores* & *paulò fixiores*, quàm *ſpirituoſas & volatiles* per Alembicum ducendas; quæ nec per *arenam* quandoque elevantur. Quæcunque enim in *hoc Balneo* deſtillantur, *humiditas* eorum & *odor* per minima abſtrahitur, citrà ullius empyreumatis veſtigia, quin imò craſis ipſius vegetabilis, odor, & reliqua accidentia (ſuppoſito, quod deſtillationi huic aptum fuerit, naturæque ſulphureæ) per omnia conſervantur; quod in vulgata deſtillationum norma haud reperies.

Author proindè ſum omnibus præclaræ notæ Pharmacopœis, ut *hujus Inſtrumenti, & Balnei Vaporoſi*, ſibi copiam faciant, *eſſentiales deinceps Aquas, ſpiritu & virtute propria plenas* deſtillent; ad quas Medicus æquè, ac Æger, tanquam ad ſacram anchoram, tutò confugere poſſit.

Adhiberi etiam poteſt ſæpè dictum *Balneum* ad ea, quæ deſiccatione opus habent; è quorum claſſe ſunt *Viperæ*, aut *Serpentes, partes Animalium, Typhi Cervorum, ad Pulveres legitimè ex ipſis conficiendos.* Servit & ad deſtillationem *aquarum ex vivis Animalibus, Catellis, Hirundinibus &c.* eo emolumentô, quod ignis vel ab ipſo puero, adſcendendo & deſcendendo per gradûs, pro *rei deſtillandæ naturâ & exigentia*, gubernari ſe patiatur. Hoc tamen notandum venit; quòd ad intendendum *caloris gradum hujus Balnei*, inter deſtillandum, *prima pars Deſtillatorii*, quæ infimum aheni eſt, præſertim ſi ex cupro conſtet, dextrè adeò conficienda ſit, ut *ſecunda*, ſeu *media pars Balnei* (quæ inſtar Alembici eſt plani in fundo) *ab illo primo aheno ad medium uſq;* excipiatur & comprehendatur; ut & ſuperiùs operculo benè muniatur, ad normam reliquorum balneorum, ne vapori fervidiſſimo pateat exitus, quin potius *mediam Deſtillatorii partem, ſive Alembicum illum planum*, ambiat undique, prout *figura ſecunda* delineat. Hôc pactô deſtillationes Tuas abſolves intenſô caloris gradu, utiliſſimo *ad Olea eſſentialia, & quæ fixa aut terreſtria paulò ſunt*, impellenda. Hæc de *Aquis ſimplicibus*, & *compoſitis*, deſtillandis præmittenda duxi. Nunc ad *Aquas Compoſitas*, obſervatô legitimô ordine, convertar.

AQUA ANTAPOPLECTICA.

℞. Vini Malvatici, vel Hiſpanici, lib. ſex,

Spir. Vini Aniſat. puri, non phlegmatici, libras octo,

Ceraſorum nigr. ardent. libras duas,

Aq. Lilior. Convall. ſine addit. ex Baln. n. Vaporoſo ſtill. libram unam,

qui-

quibus immergantur ſucceſſivè, & quidem tempore Veris, ſubſequentia:

Rad. recent. Pœoniæ unciæ duæ,
Doronic. veri unciæ duæ ſemis,
Cyperi rotundi uncia una,
Zedoariæ uncia una ſemis,
Herb. recent. Baſilici,
Betonicæ.
Hormini, ſeu Salv. ſylv.
Majoranæ,
Menthæ odoratæ,
Pulegii,
Calaminthæ mont.
Rorismarini,
Salviæ,
Serpilli,
Thymi, ana floreſc. unciæ quatuor,
Flor. recent. Acaciæ,
Lilior. convall.
Cheyri,
Lavendulæ,
Paralyſeos,
Pœoniæ,
Tiliæ,
Tunicæ, ana unciæ tres,
Sem. Coriandri uncia una ſemis,
Cardamomi min. in capſulis unc. duæ,
Cubebar. uncia una ſemis,
Cinamomi optimi unciæ ſex,
Caryophyllorum unciæ duæ,
Nucum Moſchatar. unciæ tres,
Baccar. Lauri,
Juniperi, ana unciæ duæ,
Ligni Rhodii,
Santali Citrin, ana uncia una ſemis,
Aloës opt. odorif. uncia una,
Cortic. Arantiorum recent. extim.
Citri recent extim. ana uncia una ſemis.

Omnia debitô tempore collecta & infuſa deſtillentur tandem in Balneo n. vaporoſo ad ſiccitatem ferè ſpecierum, capitello, vel ejus roſtro, immiſſis

Ligni Aloës opt. inciſ. craſſ. drach. unâ, &, ſi lubet,
Ambræ gryſeæ drachmâ ſemis,
Moſchi opt. Oriental. ſcrupulô unô.

Abſolutâ deſtillatione, *Aqua* uſui aſſervanda, cui, ſi ita arriſerit,

Julapii noſtri de Vino libra una, vel plus, pro conciliandâ gratiâ, addi poteſt. *Aqua* hæc *roborando Cerebro, & univerſo Nervorum generi, dicata eſt; ad roborandam Memoriam, arcendam Apoplexiam, & Paralyſin, præſtantiſſima.*

Nota: Cùm ſexus Muliebris Moſchum & Ambram, pro potiori parte, abominetur, dimidia tantùm hujus Aquæ pars illis compleri poteſt.

AQUA APOPLECTICA ALIA.

℞. Aquæ Cinamomi, cum vino ſtillat.
Vini Malvatici, ana libras quatuor;

Hiſce mixtis immergantur
Cinamomi acuti unciæ octo,
Caryophyllorum uncia una,
Nucum Moſchat. unciæ duæ.
Macis uncia una,
Rad. recent. Pœoniæ uncia una ſemis,

Doro-

Doronici veri uncia una,
Cyperi rotundi uncia una ſemis,
Sem. Coriandri uncia una,
Anſi uncia una ſemis,
Baccar. Lauri uncia una,
Cardamomi min. uncia una ſemis,
Cubebar. uncia una;

factâ maceratione deſtillentur per *Balneum n. vaporoſum*, ad ſiccitatem ferè ſpecierum, roſtro capitelli in petia ligatis immiſſis

Ligni Aloës, craſſ. inciſ. drachmâ unâ, &, ſi lubet,
Ambræ gryſeæ drachmâ ſemis.

Præſtans hæc *Aqua deſtillata* ſervetur uſui ſuperiùs edocto.

AQUA ANTAPOPLECTICA MINERALIS.

℞. Cremoris Tartari libram unam,
Mineræ Antimonii lib. unam ſemis.

Deſtilletur ex iis per *Retortam*, igne moderato, *Spiritus acidus*, qui rectificetur. Hinc

℞. Illius Spiritûs uncias ſex;
cui adde
Spiritûs Veneris ex viridi æris unc. tres,
Saturni ardentis, ex ſaccharo ſtillar. unciam unam ſemis,
Vitrioli volatilis ſulphurei, ab acido ſuo ſpiritu rectificati, uncias quatuor;

Miſceantur ad uſum.

Eſt *Aqua*, ſeu *Spiritus ſubacidus*, præſtans *in affectibus Apoplecticis, Epilepticis, ſoporoſis, ſummè expetendus. Reſerat meatus Cerebri, ſecundæ regionis & medii ventris, ut influentibus ſpiritibus vitalibus & animalibus liber pateat aditus, quo uberius partes contentas irradient.* In *Epilepſia Infantum* ſecuriſſimè adhibetur, *à drachmunâ, ad drachmas duas, in grato aliquo vehiculo.*

AQUA ARTHRITICA.

℞. Rad. Cyperi rotundi,
Pœoniæ recent.
Cardopatiæ,
Pyrethri, ana unciam unam ſemis,
Herb. recent Chamæpyth.
Calaminthæ mont.
Majoranæ,
Rorismarin,
Salviæ hortens.
Saturejæ,
Serpilli,
Flor. recent. Lavendulæ,
Spicæ, ana uncias tres,
Summitat. Abietis arbor. recent.
Oculor. populi arbor. recent. ana uncias ſex.
Cinamomi acuti,
Coriandri, ana uncias duas,
Caryophyllor. unciam unam ſemis,
Cardamomi,
Cubebarum,
Macis, ana unciam unam,
Baccar. Lauri uncias tres,
Jnniperi recent. virid. uncias quatuor.

Cuncta inciſa & contuſa immergantur in

in *Spiritûs Vini rectificati libras octo:* Factâque maceratione in vaſe probè clauſô, deſtillentur per *Balneum n. vaporoſ.* ad totalem ſpecierum ſiccitatem. *Liquor exſtillatus* ſervetur ad uſum.

Frigidis Articulorum affectibus opitulatur, Nervos corroborat, lentos viſcoſoſq; humores, partibus muſculoſis & junctûris impactos, quiq; profundius delitescunt, allicit, attenuat, & ad διαφόρησιν *diſponit.* Uſus ejus ab extrà nimirùm; unde & *Paralyticis, imò Paraplecticis etiam ſolatio eſt.*

AQUA ALEXIPHARMACA.

℞. Rad. recent. Angelicæ,
Leviſtici,
Enulæ, ana uncias tres,
Zedoariæ,
Oſtrutii,
Contrajervæ, ana unciam unam ſemis,
Herb. recent. Rutæ hortens.
Scordii noſtr. ana uncias octo,
Meliſſæ citrat. unc. ſex,
Sem. Rutæ recent. collect. unciam unam,
Bacc. Juniperi uncias quinque,
Lauri uncias duas,
Cortic. Arantiorum recent. unc. tres,
Citri recent. & ext. unc. quatuor,
Cinamomi optimi uncias duas,
Macis unciam unam,
Caryophyllorum unciam ſemis.

Inciſa & contuſa immittantur in cucurbitam vitreatam, ſuperaffundendo

Vini albi boni libras ſex:

factâ digeſtione, fiat deſtillatio per *Arenam*, aut per *Balneum n. vaporoſum*, ad ſiccitatem ferè ſpecierum, immiſſis proboſcidi Alembici

Croci Auſtriaci, vel Orient.
Myrrhæ electæ, ana drachmâ unâ,
Camphoræ drachmâ ſemis:

Aqua prolecta cum cautelâ aſſervetur. Quæ cùm in uſum petetur, *Syrupo de Scordio ſimplici*, vel *compoſito*, aut *de Corticibus Citri*, edulcorari poterit. *E reſiduis* autem *ſpeciebus*, beneficiô *aquæ, ſeu ſpiritus vini, Extractum* parari poteſt; cùm ad prophylaxin, tùm etiam curationem. Quòd ſi efficacius Extractum velis, guſtuique conſulere, additis *Elæoſacchari Rutæ, Citri, & Angelicæ, ana unciâ unâ vel drachmis ſex*, hoc ipſum præſtabis. Cœterùm, *Aqua hæc Alexipharmaca in omnibus morbis, qui Malignantis naturæ ſunt, quin in ipſa Peſte, tùm præſervativè, tùm curativè, in uſum vocanda.* Suaſerim etiam, deficiente alio vehiculo, ut in prædicta *Aqua Species Alexipharmacæ, Pulveres, Electuaria, Confectiones Antidotales* diluantur, & ægris propinentur. *Doſis uncia una, vel unæ ſemis*, pro *ſudore eliciendo.*

AQUA AD AUDITUM.

EJus accurata Deſcriptio, Utendi modus, & Prærogativæ, annexis inſuper cautionibus, ex *Appendice ad Animadverſiones, pag. 28. 29. & 30.*

repetantur; quò B. L. directum volumus.

AQUA ASTHMATICA.

℞. Spiritûs Vini Aniſati, & rectificati libras tres,
Vini Malvatici libras duas:
His mixtis immergantur
Rad. recent. Enulæ unciæ duæ, ad quatuor,
Calami Aromat. unciæ duæ,
Pimpinellæ unciæ tres,
Herb. recent Anethi,
Calaminthæ mont.
Hyſſopi,
Meliſſæ,
Rorismarini,
Salviæ hortenſ. ana unciæ duæ,
Sem. Anethi,
Aniſi,
Carui,
Naſturtii, ana uncia una,
Cinamomi acuti unciæ duæ,
Macis uncia una,
Benzoës,
Styracis Calam. ana drachmæ ſex,
Croci opt. Orient. vel Auſtriaci, drachmæ tres, vel uncia ſemis,
Bacc. Lauri uncia una,
Juniperi uncia ſemis:

Factâ maceratione ſufficiente, donec nimirùm omnia infuſa & collecta ſint, deſtillentur ex *Balneô noſtro vaporoſo*, ad ſiccitatem ferè ſpecierum, proboſcidi alembici priùs immittendo

Croci optimi drachmam ſemis.

Aqua exinde deſtillata ſervetur uſui; in quem ubi, neceſſitate adurgente, vocanda, *Syrupo noſtro Aſthmatico*, vel *Syrupo de Enulâ*, edulcorari poteſt. Solatio eſt iis, qui cum *ſtercore phlegmata ſecernunt*, & *quibus citatior anhelitus*, *aſthmate præfocatis*, *ſenibus catarrho frigido detentis*; *Pulmonibus denique dicata*.

Nota: Ad pleniorem deſtillandi cognitionem ea revocentur, quæ in Animadverſionibus ſuper hanc Aquam, pag. 233. in Appendice ad Animadverſiones, pag. 31. 32. 33. præmiſimus, ſcitu digniſſima, quin & apprimè neceſſaria.

AQUA ANTISCORBUTICA.

℞. Aq. Beccabungæ,
Cochleariæ,
Naſturtii hortenſ.
Chærefolii,
Chamædryos, ana ſine addit. ex *Baln. n. vaporoſo* ſtillat. libram unam,
Ceraſorum nigror. itidem ſine addit. ſtillat. libram unam ſemis.
His Aquis mixtis immergantur
Rad. recent. Raphani ſylveſtr. unc. ſex,
Apii cum toto,
Enulæ,
Calami Aromat.
Pimpinellæ, ana unciæ quatuor,
Baccar. Lauri,
Juniperi virid. ana uncia ſemis,

Sem.

Sem. Naſturtii,
Urticæ,
Fœniculi,
Coriandri, ana uncia una,
Cinamomi optimi unciæ tres,
Nucum Moſchat. uncia una ſemis,
Macis uncia una:

Factâ brevi maceratione, poſtquàm ſingula collecta fuerint, deſtillentur ex *Baln. m. vaporoſo*; ſerveturque uſui. *Præſentaneum remedium eſt Scorbuticis*, (qui Æquinoctiali lineæ Endemius) *Hypochondriacis*, *& quibus Lien globatus in molem*; *quod roborando*, *attenuandoq; humores perficit*. Ea tamen in conſiderationem trahi hîc velim, quæ, in *Appendice n. pag. 31.* vel *32. de Aqua Anti-Scorbutica D. D. Auguſtanorum* præfati ſumus.

Nota: Quamquam dictarum Radicum & craſis & temperamentum ad ſiccum tendat, nec earum virtus tota beneficiô deſtillationis elici poſſit, ne tamen perperam hanc deſtillationem præceptam fuiſſe arbitreris. Pro potiori enim parte virtutem communicant; quod ex odore harum percipies, maximè ſi recentes ſint. Unde & pondus earum haud auxi; cùm tolerabili pretio undique venales proſtent.

AQUA SEU BALSAMUM EMBRYONUM.

TAmetſi ſuperius, *in Appendice ad Animadverſiones*, *pag. 33. & 34.* elegantem, ac numeris omnibus abſolutam, hujus, ut vocant, *Balſami*, & *Aquæ*, deſcriptionem præmiſerim: paremilli tamen hîc Lectori ſiſto: *ſolis ſalem Roſis*, *carumq; Spiritu*, *dimiſſis*; quarum fragrantia ſexui fœmineo ut plurimùm adverſatur. Ea tamen, quæ, *ibidem*, commentati ſumus, Lector in memoriam revocet. Hanc ergo Aquæ, aut Balſami, præparationem nunc aggredior.

Primo Vere, & ſuccedente Æſtate, hæc colligantur:

Flor. recent. Lilior. convall. libra una ſemis,
Paralyſeos,
Violar. Martial.
Tiliæ,
Tunicæ, ana unciæ octo,
Arantiorum unciæ ſex,
Lavendulæ,
Anthos cum fol.
Borraginis,
Buglo ſſæ ana unciæ quatuor, vel quinque,
Fol. Menthæ recent.
Salviæ cum flor. recent.
Majoranæ recent. ana unciæ quatuor,
Rad. recent. Pœoniæ unciæ duæ,
Cort. Arantiorum,
Citri, ſeu Limon. ana recent & extim. unciæ quatuor, vel quinque,
Cinamomi optimi unciæ octo,
Nuc. Moſchatar. unciæ duæ,
Macis uncia una ſemis,
Cardamomi,
Cubebarum,
Caryophyllor. ana uncia una,
Croci Auſtriaci drachmæ ſex,
Sem. Caruï,
Sem. Fœniculi, ana uncia ſemis,
Coriandri uncia una:

Horum quædam inciſa & contuſa, nonnulla etiam integra, utpotè *Flores Liliorum convall. Arantiorum*, *Tunicæ* (propter tetrum odorem, quem concipiunt, ſi contundantur) immergantur in

Vini Malvatici boni libras decem,
Spirit. Ceraſor. ardent.
Fragorum ardent. ana libram unam ſemis,
Aq. Pœoniæ florum,
Meliſſæ citratæ,
Baſilici,
Menthæ, ana ſine addit. per Baln. n. vaporoſ. ſtillat. libram unam;

recondantur in loco ſubterraneo, ad plenam omnium collectionem & infuſionem factam; tùm deſtillentur per *Arenam*, vel potius per *Baln. n. vaporoſum*, ad ſpecierum ferè ſiccitatem: quæ ubi peracta, ſervetur *Aqua* ad deſtinatos ipſi uſus. *Syrupo n. de Cinamomo*, vel *de Corticib. Citri*, aut *Julapio noſtro Gemmato*, edulcorata propinanda.

Vires *habet maximas facultatem Vitalem reſtaurandi. Præcipuè autem Fœtui adhuc inter uteri anguſtias deprehenſo, quin & Matri dicata eſt.* Adhiberi etiam poteſt in *quocunq; languore utriusque ſexus; interne ab unciâ ſemis, ad drachmas ſex: externè*, immerſis in illam petiolis, & umbilico gravidarum, regioni cordis, & pulſuum, applicatis: habitâ tamen ſemper conſideratione, ne morbus quispiam exæſtuans contraindicet.

Nota; quòd ſi fortè, in quibusdam Pharmacopoliis, dicti Ceraſorum, & Fragorum, Spiritûs ardentes non proſtarent: (licet paratu faciles ſint, ſi Pharmacopœi conſiderarent; quoniam Dii laboribus omnia vendunt) ſubſtituatur Spiritus Vini, à Ceraſis ſic is conquaſſatis, & à Fragis recentibus, ſemel atque iterùm abſtractus.

AQUA CORDIALIS CALIDA.

℞. Cortic. Arantiorum,
Citri, ſeu Limon. ana recent. & extim. uncias quatuor.
Roſar. recent. ſeu ſale condit. libr. unam,
Flor. Tunicæ recent.
Arantior. recent. ana uncias tres,
Herb. recent. Baſiliconis,
Meliſſæ citratæ, ana uncias quatuor,
Cinamomi opt. acuti uncias quatuor ſemis,
Macis,
Nucum Moſchat. ana unciam unam ſemis,
Caryophyllor. unciam unam,
Croci Auſtriaci, ſeu Orient. drachmas ſex,

quibus inciſis & contuſis, nec non cucurbitæ vitreæ immiſſis, ſuperinfundantur

Vini Malvatici, ſeu Hiſpanici, libræ quinque,
Aq. Fragorum, de Rubo Idæo,
Lilior. convall. ana ſine addit. ſtillat. libra una:

Facta

Factâ digestione, destillentur, immissis Alembici rostro, in petiâ ligatis

Ambræ gryseæ,
Moschi Orient. ana scrupulo unô,
Croci Austriac. drachmâ semis.

Aqua preciosa & fragrans serveturusui. *Animi deliquia & lipothymias arcet, morbis chronicis & inveteratis detentos solatur. Interne* (ubi ægri non nimiùm ferveant) *& externe, madefactis ea linteolis, Cordi & Pulsibus adhibetur.*

AQUA CORDIALIS FRIGIDA.

℞. Aq. Flor. Arantiorum sine addit. stillat. uncias sex,
Liliorum convallium,
Melissæ citratæ,
de Rubo Idæo, ana sine addit. stillat. libras duas,
Rosar. pariter sine addit. aquar. sed per baln. n. vaporos. stillat. libras tres:
His immergantur,
Herb. recent. Basilici,
Melissæ citratæ, ana unciæ sex,
Majoranæ unc. quatuor,
Flor. recent. Arantior. unciæ tres,
Anthos cum foliis,
Buglossæ,
Tunicæ,
Violar. Martial. ana unciæ quatuor,
Lavendulæ unciæ tres,
Cort. Arantiorum,
Citri recent. & extim. ana unciæ tres, vel quatuor,
Cinamomi unciæ duæ,
Macis uncia semis,
Nuc. Moschat. uncia una,
Croci opt. Orient. drachmæ sex;

factâ pòst maceratione brevi, destillentur ex *Bain. n. vaporoso*, rostro capitelli, si lubet, immissis

Croci optimi Austriac. drachmâ semis,
Ambræ gryseæ,
Moschi Oriental. opt. ana scrupul. unô,

fiat *Aqua cordialis* pretiosa. Vires cum superiori communicat. In *morbis calidioribus* est tutior, quòd minùs calidis constet.

AQUA CORDIALIS FRIGIDA ALIA.

℞. Aq. Fragorum,
de Rubo Idæo,
Melissæ citratæ,
Borraginis ex floribus,
Buglossæ ex floribus,
Violar. Martial.
Flor. Tunicæ,
Lilior. conval. ana sine addit. aq. simpl. in baln. n. vaporoso stillat. libram unam:
His Aquis immergantur
Rosar. recent. pallidar. libræ duæ,
Flor. Tunicæ recent. unciæ octo,
Cort. seu Flaved. Arantiorum,
Citri, seu Limonum, ana unciæ quatuor,
Cinamomi optimi unciæ quatuor semi.
Nucum Mosch. uncia una,
Croci opt. Orient. drachmæ sex.

Factâ brevi maceratione, deſtilletur per *Balneum n. vaporoſum*, ad ſiccitatem ferè ſpecierum. Servetur *Aqua*: vires ejus *ex ſuperioribus* patent.

AQUA CARMINATIVA.

℞. Aq. flor. Chamomill. ſine addit. ſtillat. libras ſex,
Anethi ex ſummit. cum vino generoſo ſtillat. libras quinque:
His Aquis mixtis immergantur
Flor. Chamomill. Rom. recent. unciæ ſex,
Herb. recent. Meliſſæ,
Origani,
Thymi, ana unciæ tres, vel quatuor,
Sem. Anethi,
Aniſi,
Fœniculi,
Carui, ana uncia una ſemis,
Cumini uncia una,
Flaved. ſeu Cort. Arantiorum,
Citri, ana recent. unciæ duæ,
Baccar. Lauri,
Juniperi, ana uncia una ſemis,
Cinamomi acuti unciæ duæ,
Macis uncia una;

Factâ maceratione brevi, deſtillentur in *Baln. n. vaporoſo*, ad ſiccitatem ſpecierum. *Aqua* ſerveturque uſui. *Carminativa eſt, adeoque iis, qui Colicâ flatulentâ, torminibus ventris & crebris eructationibus nidoroſis excruciantur, utiliſſima: roborat Caput & Ventriculum, digeſtiones vitiatas corrigit. Doſis uncia una*, vel *una ſemis*.

AQUA PRO EPITHEMATE CORDIS.

Hujus Aquæ deſcriptio petatur *ex Animadverſionibus n. Pharm. Auguſt. ſuper Aquam pro Epithemate Cordis factis*, *pag. 296*. & juxta illas præſtantiſſima *Aqua* ad uſus externos, *pro Epithematibus*, deſtilletur & aſſervetur.

AQUA ANTEPILEPTICA ET CEPHALICA.

℞. Aq. Lilior. convall. ſine addit. ſtillat. libras duas,
Betonicæ,
Flor. Tiliæ,
Pœoniæ,
Aq. Ceraſorum nigrorum, ana ſine addit. aq. ſimpl. ſtillat. libras duas ſemis,
Roſarum ſine addit. ſtillat. & bis à Roſis recent. cohobat. libras duas,
Vini Hiſpanici libras quatuor.
His mixtis ſucceſſivè immergantur,
Flor. recent. Acaciæ,
Cheyri,
Paralyſeos,
Tunicæ, ana unciæ quinque,
Lavendulæ,
Anthos cum foliis, ana unciæ tres ſemis,

Herb.

Herb. recent. Baſiliconis,
Majoranæ,
Thymi, ana unciæ quatuor,
Rad. recent. Pœoniæ unciæ tres,
Cinamomi acuti opt. unciæ quatuor,
Nucum Moſchatar. unciæ duæ,
Macis uncia una ſemis,
Caroamomi miuoris,
Cubebarum,
Sem. Anisi, ana uncia una,
Coriandri uncia ſemis:

Factâ brevi maceratione, ingredientibus omnibus collectis, deſtillentur per *Arenam*, vel *Baln. n. vaporoſum*, roſtro capitelli immiſſis.

Rat. Doronici veri drachmis duabus,
Ligni Aloës drachmâ ſemis:

Aqua deſtillatione prolecta ſervetur uſui. *Virtus ejus Epilepſiam, Vertiginem, hi & affines Capitis affectus reſpicit;* quam Præſervationis locô omni tempore, proximè quadram Lunæ antecedente, adhibeas: Curativè autem ipſô inſultu Epileptico & Paroxyſmo inſtante, externè applicetur, &, ſi vires ferant, intùs aſſumatur, vel infundatur.

AQUA ANTEPILEPTICA ALIA, SEU HIRUNDINUM COMPOSITA.

℞. Aq. Flor. Lilior. convall.
Pœoniæ,
Tiliæ,
Betonicæ, ana ſine addit. aq. ſ. deſtillat. libras duas;

His Aquis mixtis, ſucceſſu temporis, immergantur

Flor. recent. Anthos cum foliis,
Cheyri,
Paralyſeos,
Tunicæ,
Flor. recent. Majoranæ,
Rutæ,
Thymi, ana unciæ tres vel quatuor,
Radic. recent. Pœoniæ unciæ tres,
Cardamomi, in capſulis adhuc, uncia una ſemis,
Cinamomi optimi unciæ duæ,
Macis,
Cubebarum,
Coriandri, ana uncia una,
Caſtorei drachmæ ſex:

Collectis omnibus, & infuſis, fiat deſtillatio in *Balneo n. vaporoſo*, ad ſiccitatem ferè ſpecierum. *Aqua* in vitro benè clauſo aſſervetur.

Jam verò accipe
Pullorum Hirundinum vivorum, non verò crudeliter diſcerptorum, unum. xxx.

immittantur *vivi adhuc* Balneo n. vaporoſo, vel Alembico vitreo, & ſtatim appoſito agglutinatoque Capitello vitreô, ac præpoſito Recipiente, qui *ſuprà deſtillatam Aquam* adhuc contineat, fiat *Deſtillatio* ad omnimodam *pullorum hirundinum* exſiccationem (quî à rarefacto nimium vapore, & calore, citra magnum doloris ſenſum, illicò præfocantur.) Sic enim *Spiritus vivificus*, unà cum *elementari aqua*

aquæ Hirundium, *superiori aquæ* unitus, consortii jure efficacissimum reddit liquorem, virtuteque suâ imprægnat (quique aliàs, ex quibuscunque animalibus cum destilles, nullô pacto se figi sinit, qui brevî æthera perat, solo elementari, effœto, & vappæ consimili liquore relicto) arctissimâ copulâ stabilitur & perdurat; quod quidem tantò magis accidet, si *primæ Aquæ stillatæ compositæ* nonnihil *de sale quôdam fixo* superaddatur, priusquàm *spiritus*, *vitam & symbolum animalis referens*, *superiori aquæ*, beneficiô alembici, uniatur. Contingit hæc unio inter *Salia hæc fixa* & *volatilia*, ob symbolum, & naturale sigillum, quod ad se mutuò referuntur. Proindè non inconsultum foret, si *ex Speciebus omnibus ac singulis* (quarum non paucæ sunt) *à destillatione primæ aquæ residuis*, inque cineres redactis, beneficio *Aquæ pluvialis Sal* eliceretur, & sæpè dictæ *Aquæ stillatæ* incorporaretur. Hâc enim ratione hæc *Aqua* Cephalica, Epileptica, Hysterica, simul & Uterina, virtute suâ efficeretur, interno externoque usui dicata. In *dosi* assignanda haud error committi potest, cùm in qualitatibus suis temperata sit; à *duobus* ergò, ad *tria cochlearia* tutò propinare licebit.

Nota: Qui *Aquam Hirundinum simplicem*, ex *solis* nimirum *Hirundinum pullis*. ad eliciendum *vivificum earum Spiritum*, sine additione *aliarum rerum*, destillare satagit, huic Author sum, ut probè observatâ nostrâ, suprà datâ, traditione, illicò *Salem fixum* quendam seu *Alkali*, aquæ exstillatæ jungat, cui *spiritus ille vivificus* perpetuo nexu sese unire, & constans persistere possit: secus si operatus fueris, nullis limitibus *his spiritûs* continebis, utut vitrum munias, quin evanescant. Ut autem Tibi, L. B omnia ad amussim & clarissimè demonstrem, quâ ratione *ex animalibus virtus nativa & essentia tota* sit elicienda, ut beneficio destillationis aquis stillatis compositis pleniſſimè communicetur, sequentem habeto Canonem: Accipe *Pullos Hirundinum siccos & aridos*, è quibus, beneficio Alembici, *spiritus vivificus*, & *aqua elementaris*, exstillavit, ad normam superiùs traditæ *Aquæ Hirundinum: Hos contusos & deplumatos*, quantum fieri potest, Retortæ vitreæ committo, & in arenâ, vel igne etiam aperto, collocato, præpositóque Recipiente destillato, augendo ignem per gradûs, ad totalem *radicalis humiditatis* expulsionem, & hirundinum combustionem; quoad Retorta ultimatè candeat. Prodibit *spiritus naturæ salinæ*, unà cum *sale volatili*, passim collo retortæ, & recipientis lateribus adhærente, ac urinosum quid olente, cum *oleo fœtido ac crasso rubicante:* quæ tria ad invicem commixta, ac ex collo retortæ, quin & lateribus recipientis, studiosè collecta, immittantur Alembico satis alto, vitreo, præpositio Recipiente probè munito; fiatque destillatio, vel sublimatio; ex arena (nam in B. M. *salia volatilia* non æquè, ac in arenâ, sublimantur; quod animadversione dignum) quousque videris *salem volatilem* elevari ad capitellum, aut supremam regio

gionem alembici aut phiolæ; continuetur ignis ad omnimodam dicti *salis volatilis* sublimationem, donec etiam aliquid de humido, aut spiritu, subsequatur, & remanebit in fundo *oleum fœtidum*, cum potiore parte *aquositatis*, sale suo volatili ambo spoliata: *aquositas illa in fundo* effœta est, & se habet per modum *aquæ elementaris*, *empyreumâ spirat*; igitur abjicienda: *Oleum verò crassum & fœtidum*, licet illud omni virtute destitutum non censeam, præsertim si *sale suo*, quô per sublimationem privatum, constaret; attamen ex duplici motiva aquis suis uniri nequit: primò propter empyreuma & fœtorem; secundò, quod *inter aquas*, *& olea*, *nexus & unio adæquata intercedere nequeat*: quare, si quis Hystericis, aut Epilepticis, propinare fortè velit, separatim asservandum. Existimem tamen, cùm, ut supra commemoravimus, potioribus virtutibus, *& sale suo volatili*, exutum sit, nos *Olei hujus fœtidi* jacturam leviter ferre, vel usui externo saltem destinare posse. Hæc tamen fusius, analytico & resolutorio modo, deducere placuit, ut viva animalium pateret anatome, quâve ratione, beneficio destillationis, earum virtus, & naturæ balsamus, integrè; ac inviolatè, elici & conservari possit, luculenter demonstrarem.

Nunc eò revertar, unde paulùm digressus sum: *Sal volatilis superius sublimatus*, *unà cum paucâ humiditate*, *quæ cum sale suo volatili foris transiit*, *illumq; vel totum*, *vel ex parte*, *dissolvit*, Aquæ hirundinum superiùs destillatæ uniatur; & possidebimus *Aquam*, virtutes & ideas singularum partium, quibus constat, perfectissimè referentem: pro majori tamen parte *Hirundinum spiritûs vivificos*, *& radicales essentias*, (quas meritò ipsam animalis essentiam dicimus) uberrimè continentem. Tota enim animalium virtus, crasis & energia, in ipso *sale volatili* delitescit, quem, ut subjectos sibi liquores, & spiritus vivificos, imprægnare possit, juxta canones artis elicere, hîc edocueram. Et sic ex genuina hâc Philosophia, & dissertatione, luculenter perspicies, quantoperè hallucinentur Authores, & quidem, inter hos, *Clarissimus* Quercetanus, *in suâ Pharmacopœia*, *seu Arte Medicâ Dogmatico-Hermeticâ*; Mynsichtius, *in suo Armamentario Medico-Chymico*; item *Clarissimus* Schröderus, *in suâ Pharmacopœia Medico-Chymica*: apud quos præposterus hic usus jam invaluit, ut *Animalium morticinia*, aut illa in partes discerpta, affuso quopiam liquore, & *præmissâ sufficienti elixatione*, *donec ab ossibus carnes avellantur*, junctis pluribus aliis *mineralibus*, *terris*, *&c.* in M. B. immittant, sicque aquas suas compositas destillent; quod quàm perperam, ne dicam, inconvenienter, & contra artis Regulas, prædicti Anthores imperent, nemo est, qui non perspiciat, etiam qui Chymicos labores vel à limine salutavit, nedum in Philosophiâ & severioribus disciplinis rude donatus.

Plura de his, in fine hujus Classis, vel ad oculum demonstrabo, ubi Authorum aliquot Aquas Compositas ad rectæ rationis tribunal citabo, veritatis

partes acturus. Interim cuperem, ut B. L. hûc insereret ea, quæ, occasione hujus Aquæ hirundinum, *in Appendice ad Animadvers. à pag. 37. ad pag. 43.* non tantùm de hâc Aquâ hirundinum, verùm etiam de aliis, cachinno dignis, aquarum Compositionibus, & pluribus, quæ ad artem destillatoriam accuratè tractandam perneceſſaria ſunt, præfatus ſum; additis ibidem pluribus Corollariis, artem concernentibus, quorum jugem memoriam Lectori apprimè commendo.

AQUA ANTEPILEPTICA ALIA, E VOLUCRUM SPECIE DIFFERENTIUM PULLIS,

℞. Pullor. Hirundin. num. xv.
Picarum num. VI vel VIII,
Turturum num. IX vel X.
Cornicum num. IIX.
Ciconiarum num. III. vel IV.

Hi Pulli vivi adhuc immergantur *Balneo n. vaporoſo*, &, protinus aptato Capitello, ſeu Alembico, deſtillentur in vas Recipiens capitello arctè unitum, ad *pullorum omnimodam ſiccitatem*; quod quidem brevî accidit. Aquæ ſtillatæ, & egreſſæ, adde, ac in eâ diſſolve, & quidem pro quâvis ejus libra,

Boracis Venetæ drachmas duas,

atque in vitro, cerâ & veſicâ benè clauſo, ſtudioſè interim aſſerva. Jam verò accipe *pullos aridos à deſtillatione relictos, eosq; deplumatos & conquaſſatos, ac retorta vitrea immiſſos*, deſtilla gradatim, igne aperto, vel arenæ, ultimò violentiſſimo igne, ut retorta candeat, in vas vitreum recipiens, usque ad *pullorum combuſtionem*, humiditatisque radicalis expulſionem. Peractâ deſtillatione, *liquor egreſſus*, unà cum *ſale volatili*, & *oleo fœtido*, calore arenæ, non balnei, per alembicum vitreum, ſat altum aut longum, ſuô capitello munitum, rectificetur, (verùm ſaltem ad dimidias, vel paulò plùs, quodque in reſiduo manet, Oleum fœtidum, & liquor, rejiciatur.) *Hic liquor rectificatus*, cui *ſal volatile pullorum hirundinum &c.* totum inhæret, additis

Spiritûs Ceraſorum nigr. ardent. libra ſemis,
Aquæ flor. Arantiorum unciis octo,
Nucleor. Perſic. ad pultis formam, partic. aquæ affuſâ, contuſ. unciâ unâ ſemis,
Nucleor. Ceraſor. nigr. cum partic. aquæ, contuſ. unciâ unâ,
Cinamomi opt. unciâ unâ ſemis,
Nucum Moſchatar.
Macis, ana unciâ unâ,

denuò per alembicum vitreum, igne arenæ, deſtilletur ad ſiccitatem *ſpecierum additarum*, & quidem *in præmiſſam antè à pullis deſtillatam, & Borace impregnatam Aquam*; quæ ſic unitæ *Aquæ* ſpirituoſæ in vitro arctè cluſo, cum cautelâ, aſſerventur, *omnibus inſultibus Epilepticis & Hyſtericis Antidotus, à drachma una ad duas, vel tres*, in gratô vehiculo propinandæ.

Nota primò quod ex unâ & ſolâ ſpecie dictarum Volucrum, & Pullorum, juxta

juxta indigitatum modum, a qua efficaciſſima deſtillari poſſit, ad omnes ſuprà deſcriptos affectûs. Quæ enim magis unitate gaudent, propiùs ad naturæ arcana accedunt. Delectum tantum ſimilium Volucrum proponere volui, ut, quam ſeligeres, pro deſtillatione aquæ Epilepticæ, liberum foret. Interim, dum hæc egi, ſecretum Tibi revelaſſe noveris.

Nota ſecundò, quòd, ſi dictarum volucrum, unô eôdemque tempore, copia ad manum non ſit, partitis vicibus, & ſucceſſivè, unius atque alterius deſtillatio ſuccedere poſſit; quæ, ubi forſàn ſtillarint, mox in unum confundi poterunt, & ſecundâ deſtillatione plenius uniri; pullis ſic cis ſimul aſſervatis, pro ſale extrahendo.

AQUA ANTEPILEPTICA ET ANTIPODAGRICA.

CUm hîc loci circa *Animalium deſtillationem* occupemur, anſam arripio, L. B. conſimilem adhuc Aquam, magnæ prærogativæ ac virium, *ex vivis Animalibus* parandam, Tibi revelandi; quæ non tantùm in Epilepſiâ, tàm Infantum, quàm Adultorum, verùm etiam in doloribus Arthriticis, intus foriſque adhibita, maximi futura eſt effectus. Hujus præparatio ſic ſe habet:

℞. Catellos, ſex, vel octo dies natos, num. v. vel vi.

eoſque diligenter repurgatos immitte in *Baln. n. vaporoſ.* appoſitoque capitello, & juncturis undique lutô benè clauſis, appoſitoque vitro recipiente, deſtillentur ſtatim, ad *omnimodam humiditatis conſumptionem, ſpiritûs vivifici expulſionem, & Catellorum exſiccationem*; roſtro tamen Capitelli priùs in petialigatis immiſſis

Brac. Venetæ drach. duabus, vel tribus,

Croci Auſtr. vel Orient drach. unâ ſem.

Aqua prolecta, *vivifico ſpiritu* turgens, ſtudioſè interim in vitro, cerâ & veſicâ benè clauſô, aſſervetur; dein accipe *catellos ſiccatos & aridos*, quos retortæ vitreæ immiſſos, præpoſitoque Recipiente, deſtilla in arenâ, vel igne aperto, ad *omnimodam radicalis humoris expulſionem, & manifeſtam Catellorum combuſtionem. Aqua* ſeu *ſpiritus* ſtillatus, unà cum *Sale volatili*, & *Oleo fœtido*, in cucurbitâ vitreâ rectificetur ad dimidias ſaltem, relictâ parte alterâ mediâ, cum oleo fœtido; in fundo: *Spiritus enim ſalinus*, ad levem ignis gradum, illicò in excipulum tranſit; quod autem reliquum eſt, *craſſus* ſcilicet *oliduſq; liquor*, & *oleum*, citra ſpiritûs & ſalis volatilis veſtigia, rejiciantur. Jam verò *Liquor ſalinus hic & ſpirituoſus*, cui *ſal volatile* totum inhæret, additis

Spiritûs Ceraſor. nigror. unciis ſex,

Aq. flor. Papav. erratici, ſine addit. ſtillat. unciis quatuor,

Arantiorum unciis duabus,

Summit. Abietis arboris recent.

Oculor. Populi arboris recent. ana unciis quatuor,

Roriſmarini recentis unciis tribus,

Nucum Moſchatar unciâ unâ,

denuò in cucurbitâ vitreâ, igne arenæ,

deſtilletur, ad ſpecierum usque ſiccitatem, (cavendum tamen, ne ſpecies adurantur, & aqua Empyreuma ſpiret) & quidem *in aquam jam antè à Catellis deſtillatam*, roſtro capitelli immiſſis.

Boracis Venetæ drachmis duabus,
Croci Auſtriaci, vel Oriental. drach. unâ,

Quæ ſic unitæ *Aquæ* ſpirituoſæ, optimè munitæ aſſerventur. Probatur hæc *aqua* in omnibus *Epilepticis & Hyſtericis affectibus*, *in doloribus Colicis & Arthriticis*, *intus adhibitas*; externè verò *in Chiragrâ & Podagrâ*, quarum licet characterem non tollat, dolorem tamen, ac earum fervorem, reprimit, fermentum acidum podagricum ſalſedine ſuâ purâ immutando, viáque adaperiente ad diaphoreſin diſponendo.

AQUA MASTICHINA STOMACHICA.

℞. Maſtich. elect. uncias quatuor,
Styracis Calamitæ uncias duas ſemis,
Cinamomi optimi uncias duas,
Macis,
Nucum Moſchatar. ana unciam unam ſemis,
Caryophyllorum unciam unam:
quæ minutim contuſa immergantur in
Vini Malvatici libras quatuor.

Factâ maceratione per aliquot dies, per *Baln. n. vaporoſ.* ad ſpecierum ferè ſiccitatem deſtillentur. *Aqua* prolecta *Stomachica*, & *Cephalica*, in vitro clauſô benè cuſtodiatur, quæ per ſe, in *Ventriculi & Cerebri frigidis affectibus*, *acraſſa ac vitrea pituita ortum ducentibus*, *ſummo emolumento cedit*, *propinata à drachmis duabus* ad *unciam ſemis* pro *doſi*, ſæpiùs, *vel ſaccharô*, *vel Syrupô aliquô conveniente* edulcorata. Ex illa *Syrupus* pariter efficax confici poteſt, *ſolâ ſacchari ſ. q.* additâ, ut ſine ullâ coctione aut ebullitione Syrupi acquiratur conſiſtentia: ſumatur nempe *Aquæ hujus libra una*, & *ſacchari libra una ſemis*, ſolaque *ſacchari* in calore leni diſſolutione conficiatur *Syrupus* juſtæ conſiſtentiæ, qui iisdem, quibus *Aqua*, gaudet virtutibus; medicamentis multis ſtomachicis & cephalicis utiliſſimè admiſcendus.

Nota: Cùm verò *ſpecies à deſtillatione relictæ* quippiam virtutis, præcipuè roborantis, ſibi reſervarint, ſolis *ſpirituoſis & eſſentialibus partibus* per alembicum transfuſis; quod præſertim *in Maſtiche & Styrace* evenit: quapropter è re erit, *illas* iteratò deſtillationi, & quidem paulò violentiori, committere, *ſiccæ nimirum*, *& non affuſo liquore*, per retortam, in arena, vel ſabulo, inſtituendæ, obſervatis diligenter ignis gradibus, ut levi, per initia, ignis impulſu, *oleum* eliciatur *præſtans & fragrantiſſimum*, *aurei coloris*, quod amovendum, priusquam ignis adaugeatur; hoc ſubſequetur *rubicundum magis oleum*, *empyreuma nonnihil ſpirans*, æquè, ac prius, in tempore ſeponendum ac cuſtodiendum; *tertium verò*, *craſſum & fœtidum oleum*, violentiſſimo igne propulſum, ad ſuos quoque uſus, tanq.

Bal-

Balſamum Vulnerarium, eſt conſervandum.

Primum illud, *coloris aurati*, *oleum*, cùm ad internos, tùm externos uſus, verticem capitis, nucham, tempora, nares, ventriculum, cordis regionem, eòdem *inungendum*, veletiam *balſamis commiſcendum*, veletiam, additâ *olei Nuciſtæ* ſ. q. *Balſamum* ex eò conficiendum, prædictarum partium imbecillitati primariò dicatum.

Secundum verò, *magis rubeſcens*, oleum, unguentis pariter, & balſamis ſtomachicis, cum fructu admiſceri poteſt, nullô virtutis, aut ſubſtantiæ ingredientium factô diſpendio: quô feliciter fruere.

AQUA, SEU MIXTURA MERCURIALIS ALOETICA.

EJus deſcriptio, & præparatio, uti & applicandi mòdus, petantur ex *Animadverſ. noſtris in Pharmacop. Auguſt factis*, *in Aquam Mercurialem*, *pag. 410.*

AQUA HYSTERICA.

℞. Aquar. Meliſſæ Citratæ,
Matricariæ floreſc.
Rorismarini,
Ceraſor. nigr. ana fine addit. aq. ſ. per Baln. n. vaporoſ. ſtillat. libram unàm ſemis,
Vini Malvatici boni libras duas: his mixtis immergantur ſucceſſivè,
Rad. Cyperi rotund.
Zedoariæ, ana uncia una ſemis,
Pœoniæ recent. d. t. co.l. unc. duæ,
Herb. recent. Baſilici,
Calaminthæ mont.
Menthæ criſpæ,
Pulegii,
Thymi, ana unciæ tres,
Summit. Anethi unciæ duæ,
Flor. recent. Betonicæ,
Salviæ hortenſis,
Cheyri, ana uncia una ſemis,
Cortic. Arant. recent. extim. unc. duæ,
Sem. Caruì,
Fœniculi, ana uncia una ſemis,
Coriandri,
Bacc. Lauri, ana uncia una,
Nuc. Mo'chat. uncia una ſemis,
Cinamomi opt. unciæ tres,
Macis,
Anthophyllorum, ana uncia una,
Croci Oriental.
Caſtorei, ana drachmæ ſex.

Factâ maceratione brevi, poſtquàm omnia collecta ſunt, deſtillentur per *Baln. n. vaporoſum*, roſtro alembici immiſſâ

Croci Oriental. drachmâ ſemis,

Aqua prolecta ſervetur in vitro benè clauſo; *efficaciter ſervit Melancholicis Hyſtericis*, *& Utero præfocatis. Doſis a Cochl. I. ad 3. plus minus.*

AQUA NEPHRITICA.

℞. Nucl. Ceraſor. nigr. uncias duas,
Perſicorum uncias ſex.
Amygdalar. amar. uncias quatuor:
contundantur optimè in mortario, ad pultis minutiſſimam formam, affuſâ particula vini Malvatici, vel Rhenani.
Sem. Apii,
Thlaſpios,
Milii Solis,
Petroſelini, ana uncias duas:
pari modò ad pultis formam ſubtiliſſimè, additâ etiam ſ. q. vini Malvatici, vel Rhenani, contundantur. His duabus pultibus adde præterea.
Bacc. Halicacabi unciam unam ſemis,
Juniperi virid. uncias quatuor,
Allii recent. uncias duas,
Cæparum recent. uncias ſex,
Porri recent. (quod ſpecies Cæparum eſt) uncias quatuor,
Rad. recent. Pimpinellæ unc. tres.
Raphani Hyemal. hortenſ. uncias octo,
Calam. Aromat. unc. tres,
Herb. recent. Rutæ murariæ uncias quatuor,
Cinamomi optimi uncias tres,
Macis,
Nucum Moſchatar. ana unciam unam.
Immergantur cuncta in
Vini Rhenani opt. diuretici libras ſex, vel octo,
Spirit. Ceraſor. ard. libram ſemis,
Aq. Ceraſ. nigr.
Petroſel. ex toto, benè conquaſſatis, ana ſine addit. aq. ſtillar. libram unam,

Factâ maceratione brevi, poſtquam omnia collecta, & liquoribus immerſa fuerint, deſtillentur ex *Balneo noſtro vaporoſo*, vel *per arenam*, lentô igne. *Aqua* ſtillata prolecta ad uſum, in vitro benè clauſo, aſſervetur. *Renum parenchymati ſolatio eſt, mundando, detergendo, arenulas & grumos tenuiores ex renibus proſcribendo & atterendo;* (unicum calculum jam confirmatum excipias) *omnibus Veſicæ affectibus ſummè conducibilis. Doſis ab uncia una ad duas, in vehiculo grato,* aut *jure alterato ex radice Petroſel.* vel *Ciceribus &c.*

AQUA OPHTHALMICA, SEU AD OCULORUM INFLAMMATIONEM.

℞. Herb. recent. Chelidonii,
Euphraſiæ,
Fœniculi, ana libras duas,
Flor. recent. Roſarum libr. duas ſemis,
Cyani,
Papaveris erratici, ana lib. unam ſemis,
Croci opt. Orient. unciam ſemis:
ſubtiliter inciſa & contuſa deſtillentur ex *Balneo n. vaporoſo*, ad ſiccitatem totalem herbarum & florum; ſervetur-que *Aqua* in vitro benè clauſo; cujus, ſi placuerit, ſingulis libris

Sac-

Sacchari Saturni reſolubilis ex Minio, vel ipſo Plumbo, facti drachm. duæ ſemis,

addi, ac in ea diſſolvi poſſunt; denuo filtrari & cuſtodiri. Pretioſa eſt *in omnibus Oculorum Inflammationibus, Lippitudine, acri Larchryma ſtillantibus, Suffuſione & Cataractâ præcipiti laborantibus. Diſſipat viſcoſos eorum & excrementitios humores, tunicas roborat, à Cutta ſerena præſervat, puſtulas abſumit; extremitate ſubtili penicilli Pectorum, in eâ madente, ad oculorum canthum externum guttâ unâ alterâve* inſtillatâ, abſtergendo.

AQUA ODORIFERA.

℞. Aq. Flor. Arantiorum,
Roſar. fragrantiſſ. ana ſine addit. ſtillat. libras duas.

His mixtis aquis, ac vitro largo & ampio (qualia ſunt, in quibus Conſervæ reconduntur) immiſſis, ſuperinſpergantur leviter, ne fundum petant, ſed aquæ innatent

Flor. Jasmin. q s. ut deſuper ſaltem aqua tegatur:

claudatur deinde vitrum ſupernè chartâ cereaceâ, & veſicâ, ne vitrum, aut aqua in eò contenta, cum ſupernè adſperſis floribus, multùm commoveantur, & flores fundum petant; relinquantur hoc ſitu per diem ac noctem; *flores deinde priores* removeantur, *novis ſubſtitutis*: idque toties reiteretur, donec *ſubjectus liquor* odore fragrantiſſimo imbuatur; quem deinde rectifica, & uſui reſerva, in vitro arctiſſimè clauſo: proboſcidi autem vitri immittantur

Ambræ gryſeæ,
Moſchi optimi Oriental. ana ſcrupulus unus.

Fiatque *Aqua* fragrantiſſimi odoris, rèficiendis ſpiritibus, tàm vitalibus, quàm animalibus, aptiſſima; ab intrà vel extrà uſurpanda.

Nota: Nos in deſtillanda hâc Aquâ Ideam & prototypon reliquarum aquarum hîc Tibi propoſuiſſe, censeas; quânam ſcilicet ratione è floribus Liliorum convallium, violis Martialibus, Tunicæ, Liliorum &c. quorum odor, & ſpiritualis portio, nimium volatilis & fugax eſt, beneficio Balnei n. vaporoſi, odoratiſſima Aqua elici poſſit; quæ deinde, inſperſis prius aliquoties floribus ejusdem ſpeciei, rectificanda, prout ſuprà edocuimus.

AQUA ODORIFERA PRO EPITHEMATIBUS CORDIS ET PULSUUM.

℞. Aq. Flor. Arantior. libram ſemis,
Baſilici,
Majoranæ,
Lavendulæ,
Roſar. ana ſine addit. ſtillat. libram unam ſemis,

Acet Flor. Lavendulæ,
Tunicæ,
Roſar ana n. modò parat. libram unam,

His liquoribus mixtis immergantur,

Rad.

Rad. Cyperi rotundi,
Ireos Florent. ana uncia una,
Herb. Thymi Cretici recent.
Flor. Arantior. recent. ana unciæ duæ,
Ligni Rhodii raſpati uncia una ſemis,
Cinamomi optimi unciæ duæ ſemis,
Caryophyllorum uncia una,
Nucum Moſchat. uncia una ſemis,
Cortic. ſeu flav. Arantiorum,
Citri, ana recent. & extim. uncia una ſemis,
Aſæ dulcis, ſeu Benzoes,
Styracis Calamitæ, ana uncia una ſemis,
Gummi Ladani uncia una.

Factâ brevi maceratione, deſtillentur ex *Balneo n. vaporoſo*, ad ſiccitatem ferè ſpecierum, Alembici roſtro immiſſis, ſi lubet,

Moſchi optimi Oriental. ſcrupulo uno,
Ambræ gryſeæ ſcrupulo ſemis,
in petia ligatis.

Aqua prolecta fragrans, odoris perfectiſſimi, ſervetur in vitro benè clauſo. Cardiaca eſt, viribus cum ſuperiori participâtis, intus foriſque applicanda.

Nota: Qui imbecillitati ſexûs Fœminei nonnihil conſulere ſtudet, Moſchum & Ambram, Acetum & Aq. Roſarum, omittat, tanquam fœminarum offendiculum.

AQUA PHYSOGONA.

℞. Rad. Calam. Aromat. recent. unciam unam ſemis,
Galangæ unciam ſemis,
Fl. Chamomill. Rom. unciam unam ſemis,
Arantiorum recent. unciam unam,
Cort. Arantiorum,
Citri, ana recent. & extim. unc. duas,
Sem. Apii,
Aniſi,
Fœniculi,
Carui,
Coriandri, ana unciam unam ſemis,
Cumini unciam unam,
Cinamomi optimi uncias duas,
Nucum Moſchatar. unciam unam ſemis.
Macis unciam unam,
Caryophyllorum drachmas ſex.

Inciſa & contuſa craſſiuſculè immergantur in

Vini Malvatici, ſeu Hiſpan. libras duas;
Spiritûs vini rectificati libras quatuor,
Aquæ Cinamomi, cum vino ſtillat. libram unam ſemis,

Factâque maceratione brevi, deſtillentur ex *Baln. n. vaporoſo*, vel *cucurbita vitrea*, in *B. M.* *Aqua* deſtillata ſervetur uſui; ante exhibitionem gratô aliquô *ſyrupo* edulcoranda. *Aqua vitæ Carminativa* dici meretur; humores elevatos, ac in flatûs attenuatos, beneficio rarefactionis, mirè diſſipans ac propellens.

AQUA

AQUA PURGANS.

℞. Aq. ex granis Sambuci,
Ebuli, ana recent. & ſine addit. ſtill. libram unam ſemis,
Aq. Aſari ex toto ſine addit. tempore vernali ſtillat. libras duas,
Eſulæ,
Hellebori, ana ex toto, pariter ſine addit. ſtillat. libram unam,
Mercurialis, etiam ſine addit. ſtillat. libras duas.

His Aquis, ſuo tempore collectis & deſtillatis, mixtis adde
Flor. Roſar. Damaſcen. libram ſemis,
Tanaceti recent.
Aloës hepaticæ, ana uncias quatuor,
Scammonii uncias tres,
Colocynthid.
Olei Tartari per deliquium facti, ana unciam unam ſemis,
macerentur per Menſem unum, additis poſtea
Cinamomi acuti opt. unciâ una ſemis,
Semin. Fœniculi,
Aniſi, ana unciâ unâ,
deſtillentur ex *Bal. n. vaporoſo*, ad ſiccitatem ſpecierum, ſemel atque iterum cohobando. Laxat alvum, humores peccantes promiſcuè & ſuaviter educit. *Doſis ab uncia ſemis, ad unam, duas, ad uſq; tres.*

Nota: Aſſerui, in præmiſſis meis Animadverſionibus, Cathartica vegetabilia ſimplici deſtillatione, liquoribus inſuper illis affuſis, ſuas non addere deſtillando virtutes Catharticas, ſed eas in fundo alembici, aut reſiduo, manere. Hîc tamen illud accidit, artificioſiori nimirùm deſtillatione, cohobatione, & fermentatione, quarum ope, ſi non omnes, ex parte ſaltem, ſuas præbent virtutes ſubtiliores deſtillato iſta vegetabilia. Hanc igitur compoſitionem huic operi inſerere, conſultum duxi.

AQUA HYPNOTICA, SEU ANODINA, AUT SOMNIFERA.

℞. Aq. Flor. Nymphææ albæ,
Aq. Flor. Papaveris erratici,
Solani hortens,
Sempervivi major.
Hyoſcyami,
Capitum papav. recent. & matureſcent. ana ſuo tempore collect. & ſine addit. ex *Baln. n. vaporoſo* ſtillat. libras duas,
Vini Malvatici libras duas ſemis,
His mixtis immergantur
Sem. Papaveris Albi,
Nigri,
Hyoſcyami,
Lolii, ana unciæ duæ ſemis,

priùs in mortario probè & minutiſſimè inciſa & contuſa, ad pultis formam, additâ ſ. q. Aquarum prædictarum, ſeu vini Malvatici: porrò adde
Pomorum Mandragoræ rec. num. xv.
Opii Thebaici uncias tres:
Factâque maceratione & fermentati

one per dies ferè xv. additisque postmodum

Croci optimi Orient. unciâ unâ,
Cinamomi acuti,
Nuc. Mosch. ana uncia una semis,
Caryophyllor. uncia semis,

destillentur ex *Baln. n. vaporoso*, ad siccitatem specierum, binis vicibus cohobando. *Aqua* prolecta servetur. Vires ejus *Anodinæ sunt, & in omnibus vigiliis diuturnis, ac quibuscunque doloribus, uti & morbis ardentibus*, (peste & malignis febribus exceptis) *auxilio cedit. Refrigerat insuper ac humectat*, sumpta *ab unciâ unâ, plus minusve;* habitâ tamen ratione & morbi, & ætatis.

AQUA PERLARUM CONFORTATIVA.

℞. Aq. Melissæ Citratæ,
Cerasorum nigr.
de Rubo Idæo, sine addit. stillat. uncias sex,
Cinamomi sine vino,
Rosar. sine addit. still. ana uncias quatuor,

In his mixtis Aquis solvantur

Magist. Perlar. Orientat.
Corallior. rubr.
Matris Perlar. ana solubil. n. drachm. ana semis,

addendo

Syr. de Corticibus Citrin. seu Acetositatis Citri n. m. parati unc. tres,

Essent. Citri sacch. n. ex recent. cort. parat. unciam semis vel unciam unam:

Misceantur exactè, fiatque *Aqua Perlata* clara & efficax in omnibus Animi defectionibus & Lipothymiis, *ab unciâ semis* ad *unam*, vel *ultrà*.

Nota primò: Hanc Aquam si quis volet reddere gratiorem, id præstitum iri facillimè Spiritûs Vitrioli, aut succi recentis Limonum s. q additâ. *Secundò*: Hanc Aquam in magna quantitate simul non esse dispensandam atque asservandam, propter Syrupos, & saccharum illi admixtum; quæ successu temporis fermentationem & aciditatem quandam inducere possent.

TINCTURA ROSARUM.

℞. Flor. Rosar. rubr. siccat. unciam unam,
Tunicæ sicc. rub. drachm. duas;
His affundantur in vase terreo
Aq. fontan. ferventis libræ quatuor,

in quâ priùs

Tamarind. recent. uncia una

parùm, vel semel tantum, ebullierit in vase pariter terreo (neutiquam in æneo, aut aurichalc. ne quid æruginosum aut amarum sapiat:) hisque ulteriùs adde

Spiritûs Vitrioli Martis gut. xv. vel xx. cùm autem refrixerint, colentur & filtrentur, superaddendo

Aq. Rosar. fragrantiss. sine addit. stillat. uncias quatuor,

Syr.

Syr. Violarum Martialium,
de Papav. errat. ana uncias duas.
Fiatque *Potus præstans, in prædominio caloris & febribus ardentibus; quod refrigerando & humectando præstat. Corroborat insuper hepar, ac ventriculi digestionem promovet.*

Nota, quòd, si hæc Tinctura in Dysenteriâ, & Diarrhœâ immoderata foret propinanda, Tamarindos omittere, &, eorum locò, Galangam, Mastichen, rad. Chinæ, Cydonia, & his affinia, cum ebullitione in aquâ præmissa, substituere, consulerem.

ELIXIR VITÆ CEPHALICUM, ET STOMACHICUM.

℞. Spirit. Vini optimè rectific. libras XII.
His immergantur succeſſivè incis. & contus.
Rad. rec. Calami Aromat. unc. una sem.
Cyperi rotundi,
Doronici veri,
Galangæ, ana uncia una,
Herb. recent. Melissæ Citr.
Rorismarini cum flor.
Basilici efflores.
Majoranæ, ana uncia una semis,
Flor. recent. Arantiorum,
Betonicæ,
Tunicæ, ana uncia una semis,
Rosarum unciæ quatuor,
Lavendulæ uncia una,
Sem. Anisi,
Carui,
Coriandri, ana uncia una,
Cinamomi optimi acuti unc. quatuor,
Nucum Moschatar. uncia una semis,
Caryophyllorum,
Macis,
Cardamomi min.
Baccar. Lauri, ana uncia una,
Cubebarum drachmæ sex,
Cortic. seu flaved. Arantiorum,
Citri, ana recent. & extim. uncia una,
Ligni Aloës raspati optimi unc. semis,
Rhodii raspati optimi uncia una:
Factâ brevi maceratione, postquam succeſſivè collecta sunt, destillentur ex *Balneo n. vaporoso*, ad siccitatem fere specierum, rostro Alembici immissis
Ambræ gryseæ scrupulo uno, vel drachm. semis,
Moschi optimi Orient. scrupulô unô, &, si lubet,
Asæ dulcis, seu Benzoës, &
Styrac. Calam. ana drachm. unâ semis,
cunctis invicem in petiâ ligatis.
Spiritus prolectus (cui ea, quæ rostro Alembici imposita fuêre, aliquandiu, pro meliori extractione, immergi possunt) dulcoretur cum libra unâ & dimidiâ
Julapii Rosarum, vel
Julapii ex Vino n. m. parat.
Eritque *Elixir præstans in omnibus Affectibus frigidis Cerebri & Ventriculi; Epilepticis & Apoplecticis auxilio est:* internè *cum Syrupo, vel Julapiis*; deforis autem, *sine his*, effectui datum.

ELIXIR, SEU AQUA VITÆ ANTIPESTILENTIALIS.

℞. Rad. Angelicæ recent.
Enulæ recent.
Imperatoriæ,
Zedoariæ,
Herb. recent. Scordii noſtr.
Rutæ hortenſ. ana uncias duas,
Flor. recent. Calendulæ,
Arantiorum, &
Citri, ſi haberi poſſint,
Sambuci,
Tunicæ, ana unciam unam ſemis,
Granorum Juniperi uncias tres,
Cortic. Arantiorum recent. & extim.
Citri recent. & extim.
Cinamomi optimi, ana unciam unam ſemis,
Sem. Anifi,
Coriandri,
Myrrhæ rubræ,
Caryophyllorum,
Nuc. Moſchatar. ana unciam unam,
Spirit. Vini rectificati libr. XIV.

Factâ maceratione, donec omnia ſucceſſivè collecta ſint, deſtillentur ex *Balneo vaporoſo*, roſtro capitelli immiſſis

Succini drachmis duabus,
Croci opt. drachmâ unâ ſemis,
Camphoræ drachmâ ſemis, vel drachmâ unâ.

Aqua vitæ elicita dulcoretur cum *Syr. de Cort. Citr. n.* libra una, vel una ſem. ſervetur uſui.

Eſt *Aqua vitæ, peſte graſſante, præſervativè aſſumenda.*

ELIXIR ALLIATUM ANTIPESTILENTIALE.

℞. Allii recent. uncias duas,
Cinamomi optimi unciam unam ſemis,
Nucum Moſchatar. unciam unam,
Spirit. Juniperi ex Baccis libras quatuor;

deſtillentur ex *Balneo vaporoſo* ad ſiccitatem, roſtro capitelli immiſſis
Succini albi drachmis duabus,
Camphoræ drachmâ ſemis:
Spiritus egreſſus dulcoretur cum
Syr. de Cortic. Citri, vel de Scordio noſtr. unciis octo.

Servetur ad uſum futurum, tanquam *Aqua vitæ, pro Plebe, tempore Peſtis, ad præſervationem offerenda.*

LIQUOR, SEU ESSENTIA ALEXIPHARMACA.

℞. Aq. Scordii,
Rutæ, ana ſine addit. aq. ſimpl. ſtillat. libras duas,
Cortic. Citri,
Flor. Arantiorum, ana libr. ſemis;
His Aquis immergantur
Rad. Angelicæ,
Enulæ,
Imperatoriæ,
Zedoariæ, ana uncia una ſemis,

Flor.

Flor. Calendulæ,
Sambuci,
Tunicæ, ana recent. uncia una semis,
Gran. Juniperi unciæ tres,
Sem. Angelicæ,
Anisi,
Myrrhæ rubræ, ana uncia una,
Nucum Molchatar.
Macis,
Cinamomi optimi, ana drachmæ sex.

Factâ maceratione brevi, destillentur ex *Baln. n. vaporoso*, ad siccitatem specierum, rostro capitelli immissis
Camphoræ scrupulô unô,
Succini albi drachmis duabus.
Liquori egresso denuò immergantur
Rad. Zedoariæ,
Contrajervæ,
Cort. Citri recent. extim. ana unc. una semis,
Arantior. recent. uncia una,
Myrrhæ rubræ uncia semis.
Croci pot. Oriental. drachmæ duæ,

Digerantur per aliquot dies, in loco saltem frigido, vel tepido, colentur, pòst & filtrentur; *Essentiaq; servetur. In omnibus morbis naturæ malignantis, ut febribus Petechialibus, Castrensibus, Hungaricis, veræ Antidotus, à drachmis duabus, ad unciam semis, unciam unam, duas, pro sudore eliciendo.*

Nota, quòd ejusmodi Essentiæ ultrà dimidium anni durabiles haud sint, eò, quòd careant spiritibus ardentibus. Proindè sedulî Pharmacopœi strenuè adlaborabunt, ut suprà dictas Aquas destillatas in promptu habeant; utpotè quæ ætatem ferunt: è quibus Essentiæ illicò parari poterunt.

Notandum præterea, inconsultum esse, prædictas Essentias, antequàm in usum actu vocentur, Syrupô appropriato alterare: perfacilè enim à saccharo acescunt: quòd si verò necessitas earum usum imperet, sumito Essentiæ antedictæ unciam, Syrupi de Scordio nostro, aut de Corticibus Citri n. unciam semis, (uter eorum arriserit magis,) & pro dosi exhibeto.

Ulteriùs ad vertendum, quòd in Regionibus ad Aquilonem sitis copia Florum Citri & Arantiorum, Malorum Citrinorum, tanta non extet, quanta pro destillandis ex iisdem aquis desideratur. Proindè consilium suggero Pharmacopœis, ut vel ex Austrinis partibus sibi ferant suppetias; aut Aquam Scorzoneræ, similemque appropriatam, substituant.

ESSENTIÆ ANTIDOTALES ALEXIPHARMACÆ.

LAtissimum campum & messem, ut ajunt, Tibi adaperui, L. B. *in Appendice n. ad Animadversiones n. pag. 30. & 31.* Quô ex loco dispares earum dispositiones & inventa petito. Virtutem autem, & vires suas, primariò exerunt, malignas qualitates, in corpore humano restagnantes, acriter oppugnando. Quare, tempore contagionis sævientis à *Cochleari unô, ad duo*, horis matutinis, ante egressum domûs, per modum prophylaxeos exhiberi poterunt: in curatione autem

drachma una, aut altera, cum reliquis Alexipharmacis, præscribi poterit.

LIQUOR ALEXIPHARMACUS.

℞. Cortic. Citri, aut Limon. recent. & extim. drachmas sex,
Sem. Citri drachmas tres,
Cardui benedicti,
Rutæ, ana drachmas duas,
Myrrhæ rubræ drachmam unam semis,
Amygd. dulc. decortic. pro exactiori dissolut. myrrhæ, drachmas tres.

contundantur benè in Mortario, cum
Aq. Scordii,
Scorzoneræ,
Rutæ, ana unciis tribus:

fiat Emulsio, quæ colanda, & Colaturæ addendæ
Syr. de Scord. n. simpl. drachmæ sex,
de Cortic Citri n. uncia una:
Misceantur pro *tribus* circiter *dosibus*.

Hic *Liquor*, seu *Emulsio* extemporanea, (nam ejus substantia ætatem & tempus non fert,) inter pretiosa quæque *Cardiaca* meritò notanda. *In morbis illis*, quorum curatio tendit à centro ad circumferentiam, uti *Morbillis*, *Variolis*, *Petechiis*, ipsaque *Peste*, tutius tuto exhibetur.

LIQUOR CORDIALIS TEMPERATUS.

℞. Rad. Cyperi rotundi,
Ireos Florent. ana unciam unam,
Flor. recent. Borraginis,
Bugloss.æ,
Rorismarini cum foliis,
Tunicæ, ana uncia unam semis,
Rosar. uncias sex,
Cort. Arant.
Citri, ana recent. & ext. unc. duas,
Cinamomi optimi uncias duas semis,
Ligni Rhodii raspat.
Nuc. Moschatar.
Macis, ana unciam unam,
Croci Oriental. unciam semis.

Incisa & contusa, quæ requirunt, immergantur in
Vini Malvatici libr. sex, vel octo: factâ maceratione, destillentur ex *Balneo n. vaporoso*, ad librar. v. vel VI. exstillationem: *Aquæ* spirituosæ egressæ porrò immergantur
Cortic. Arantiorum,
Citri, ana recent. & extim. uncia una,
Granor. Chermes uncia semis,
Ligni Aloës opt. gum. drachmæ duæ,
Croci Austriaci drachma una,
Ambræ gryseæ,
Moschi Oriental. opt. ana scrupulus unus:

factâ maceratione, duobus circiter diebus, in loco tepidiori, pòst colatur & filtretur *Essentia*: in quâ tandem dissolve.

Magist. solubil. Perlar. Or. drachmam unam,

Coral-

Corallior. rubr.
Matris Perlarum, ana drachm. duas:

porrò filtretur, & ſervetur *Eſſentia* in vitrô optimè munitô; quæ, ſi ſic neceſſitas ſerat, *Syrupo de Cinamomo*, aut *Julapio Roſarum*, edulcorari poteſt. Nam hâc ratione, ſine *Saccharo & Syrupis*, Eſſentias à fermentatione, ſitu, & corruptelâ, diu munitas aſſervabis.

Cardiacum eſt magnæ virtutis, ad ſyncopas, Tremores, Animi defectiones & languores expetendum: à Malignis & Peſtiferis præſervat morbis. Doſis aliquot Cochlearia.

LIQUOR CORDIALIS REFRIGERANS, EXTEMPORANEUS.

℞. Cortic. Arantior. recent. & extim. unciam ſemis,
Citri recent. & extim. unc. unam,
Granorum Chermes drachm. unam,
Ambræ gryſeæ grana v.
Sem. Citri excortic. ſcrupulum unum, vel drachmam ſemis,
Sacchari Canarii albiſſ. uncias duas.

Contundantur optimè & diu in Mortario, ad pultis formam; pòſt diluantur

Aq. Meliſſæ,
Lilior. convallium,
Roſar. fragrant.
de Rubo Idæo, ana ſine addit. aq. ſimpl. ſtillat. unciis ſex,
Flor. Arantiorum unciis duabus;

& colentur: filtreturque Colatura, cui ſuperaddito

Magiſt. n. ſolubil. Perlar. Orient. ſcrupulum unum,
Corall or. rubr.
Matris Perlar. ana drach. ſemis,
Succi Limonum,
Granatorum, ana recenter & jamjam expreſſor. unciam unam ſemis,
Syr. Granatorum uncias duas.

Miſceantur pro *Potu Cordiali, & refrigerante; cujus unciæ duæ, tres, vel amplius*, æſtuantibus, laſſisque ægris, iteratò propinari poterunt. *Ambra* autem, propter hos, quibus contrariatur, omitti poteſt; pari ratione *Aqua Roſarum*, quarum vices ſubeat *Aqua florum Tuniæ.*

LIQUOR LITHONTRIPTICUS.

℞. Nucleor. Perſicor. uncias duas,
Ceraſor. drachmas ſex,
Rad. rec. Apii,
Liquiritiæ,
Petroſelini,
Pimpinellæ, ana unciam unam ſemis,
Raphani hortenſ. acrioris uncias quatuor,
Herb. rec. Rutæ murar. unciam unam ſemis,
Sem. Naſturtii,
Apii,
Thlaſpios,

Ur-

Urticæ, ana unciam unam,
Bacc. Juniperi unciam unam semis,
Alkekengi,
Ligni Nephritici, ana drachm. sex,
Cinamomi acuti unciam unam,
Macis unciam semis,
Borac, Venetæ drachmas duas.

Nuclei Persicorum & Ceraſorum ſemina item, *Baccæ* quoque *Juniperi & Alkekengi*, contundantur probè ac minutim in Mortario, additâ ſ. q. *Aquæ Cinamomi* ad pultis formam. His addantur *Radices recentes*, nonnullis radulâ comminutis, reliquis inciſis & contuſis: quibus omnibus mixtis, atque cucurbitæ vitreæ injectis, ſuperaffundantur

Spir. Juniperi rectif. è baccis libræ duæ,
Ceraſorum libra ſemis,
Vini Rhenani optimi albi libr. quatuor:

Factâ digeſtione, diebus aliquot, in tepido ſaltem locô, vitro probè clauſo, fiat colatura cum forti expreſſione ſpecierum; filtrata mox *Eſſentia* ſervetur in vitro benè clauſo: quæ, quotieſcunque trahenda in uſum, *Syrupis appropriatis*, utpotè *Acetoſitatis Citri*, *Fragorum*, aut conſimili, additis *guttis aliquot Spiritûs Vitrioli*, poterit alterari. Reſpicit *Eſſentia hæc Renum affectiones; celebris proindè eſt in calculoſis diſpoſitionibus, in Δυσουρία, Tartaro, & ſabulo renum exorbitante; auxilio quoque eſt Muliebri utero, cujus menſtruum profluvium potenter excitat, abſterſis craſſioribus humoribus, ejuſq; ſinus dilatando.* *Doſis uncia una*, ad *unam ſemis*, vel *cochlearia duo*, ad *tria*.

LIQUOR, SEU ESSENTIA NEPHRITICA ALIA.

℞. Succi Raphani hyemal. hortenſ. recent. expreſſ. libram unam ſemis,
Petroſelini ex totô,
Naſturtii hortenſis,
Chærefolii, ana recent. expreſſ. uncias decem,
Vini albi Rhenani libras tres,
Spiritus Juniperi ex baccis libr. unam:
His immergantur
Nucleor. Perſicor. unciæ tres,
Ceraſorum uncia una ſemis, ad pultis formam priùs contuſor.
Cæparum recent. unciæ ſex,
Porrorum (quod genus Cæparum eſt,)
Herbar. Urtic. min.
Rutæ murariæ, ana recent. unciæ tres,
Cinamomi optimi uncia una ſemis,
Macis uncia una,
Terebinth. odorat. unciæ quatuor:

Factâ digeſtione per biduum, deſtillentur ad ſiccitatem ferè ſpecierum, ex *Balneo n. vaporoſo*. *Aquæ* huic per deſtillationem elicitæ denuò immergantur.

Ligni Nephritici inciſ. uncia una ſemis:

ſtent in locô frigido per ſeptimanam, filtrentur; addatúrque

Occa-

Oculor. Cancror. uncia ſemis,
ſolutorum priùs in
Spir. n Veneris rectificat. ſ. q.
Hâc ſolutione adjunctâ, denuò filtretur *Eſſentia*, ac uſui aſſervetur. Quam ſi exhibueris, ad quamvis *libram* ejus jungito *Syrupi Acetoſitatis Citri uncias duas*. Vires cum ſuperiori pares habet, niſi quòd *Scorbuticis & Lienoſis apprimè conducat. Datur ab unciâ unâ ad uncias duas.*

LIQUOR HEPATICUS, ET SPLENETICUS, APERITIVUS, ET ANTISCORBUTICUS.

℞. Olei Tartari per deliquium facti libras tres:
ab hoc liquore abſtrahatur, deſtillando per Retortam vitream, in arenâ, tota humiditas, ad ſiccitatem *Salis Tartari, in reſiduò manentis;* quâ interim aſſervatâ, ſumito
Vini albi Rhenani libras quinque:
cui immergantur
Rad. recent. Apii,
Pimpinellæ,
Enulæ,
Leviſtici, ana unciæ duæ,
Herb. recent. Naſturtii hortenſ.
Cochleariæ,
Chærefolii, ana unciæ quatuor,
Rorismarini,
Verbenæ, ana uncia una ſemis,
Flor. recent. Roſar. rubr. unciæ tres,
Sem. Fœniculi;
Apii, ana uncia una,
Bacc. Juniperi uncia una ſemis,
Lauri uncia ſemis,
Cinamomi optimi uncia una ſemis,
Factâ brevi maceratione, abſtrahantur deſtillando libra tres, *Aqua egreſſa ſpirituoſa cum ſuperiore liquore aſſervato, à Sale Tartari ſtillato*, commiſceatur; quibus dein immergantur ſequentia minutim inciſa; utpote,
Rad. recent. Pimpinellæ,
Cichorii ſylveſtr.
Apii, ana uncia una,
Herb. recent. Agrimoniæ,
Abſinthii noſtr.
Naſturtii hortenſ.
Cochleariæ, ana uncia una ſemis,
Flor. Roſar. rubr. recent. unciæ duæ,
Cichorii recent. uncia una,
Sem. Naſturtii,
Urticæ ana drachmæ duæ,
Santali rubri uncia ſemis,
Cremoris Tartari uncia una,
Factâ denuò digeſtione, in locô frigido, aut cellâ, donec, aliquot dierum ſpatio, omnia ſint collecta, fiat, deindè colatura cum forti expreſſione, quæ filtranda, & uſui aſſervanda, in loco frigido, ſine *Sacchari* aut *Syrupi* alicujus additione; ad evitandam fermentationem, quam ſaccharata in aquoſis illicò ſuſcitant. Poterit autem, urgente neceſſitate, hæc *Eſſentia Syrupis appropriatis* in inſtanti condiri, ad lubitum & gratiam.

Efficax & magnum auxilium hinc ſibi polliceantur Lienoſi, Scorbutici, &

cujuscunque ſpeciei Hydropici, eò quòd *Eſſentia* hæc *Hepatis*, *Lienis*, *Meſenterii*, *Pancreatis anguſtias & obſtructiones feliciter reſeret*, *& tollat*. *Doſis ab uncia una, ad unam ſemis*.

LIQUOR AD GONORRHOEAM VIRULENTAM ET DIUTURNAM.

℞. Vini albi Rhenani libras ſex;
huic immergantur inciſæ & contuſæ
Rad. Ireos Florent. uncia una ſemis,
Cyperi rotundi uncia una,
Herb. recent. Menthæ criſpæ,
Hyperici floreſc.
Rutæ,
Scordii,
Rorismarin.
Flor. recent. Nymphææ,
Roſarum,
Papav. errat.
Verbaſci, ana unc. duæ,
Sem. Fœniculi,
Agni Caſti, ana unc. una ſemis,
Macis uncia ſemis,
Terebinthinæ claræ unciæ quatuor.

Factâ brevi digeſtione, deſtillentur in *Balneo n. vaporoſo*. Evocentur autem ſaltem *Aquæ libræ quatuor ſemis* circitur, (*nam phlegma vini*, quod per deſtillationem ultimatè ſuccedit, plenum nauſeâ, ſaporis & odoris ingratiſſimi, ad extrahendas Eſſentias ineptum) & pauliſper aſſerventur. *Liquori* igitur huic, nonnihil ſpirituoſo, egreſſo, *oleo Terebinthinæ* in ſuperficie ab eo ſeparato (quod eidem affectui etiam ſolum remedio eſt,) porrò immergantur inciſæ & contuſæ; nimirùm,

Rad. Cyperi rotundi,
Ireos Florentinæ,
Cynogloſſæ,
Biſtortæ,
Tormentillæ ana uncia ſemis,
Flor. recent. Nymphææ,
Papav. erratici,
Roſar. rubr. ana uncia una ſemis,
Sem. Agni Caſti uncia una,
Lactucæ,
Cannabis,
Papaver. albi,
Rutæ, ana contuſ. cum modicô aquæ, drachmæ ſex,
Croci optimi drachma una,
Sacchari Saturni reſolub. drachma una ſemis,

Digeſtione factâ per dies aliquot, *in loco* tepido, fiat colatura cum forti expreſſione; quæ diligenter filtranda per chartam, & uſui aſſervanda, in loco frigido. Efficaciter ſubſervit hæc *Eſſentia iis*, *quos virulenta & diuturnior Gonorrhœa peſſundedit*. *Sanat Renum & Paraſtaticarum glandularum ulcera*, ad *aliquot Cochlearia* iteratò exhibita; præmiſſis *purgantibus*, iisque *à Mercurio* mutuatis, & *injectionibus* conſimilibus.

ACETUM ANTIPESTILENTIALE.

℞. Rad. Angelicæ,
Leviſtici, ana uncias tres,

Herb.

Herb. recent. Meliſſæ,
Rutæ hortenſ.
Scordii noſtr. ana uncias quatuor,
Roſar. recent. uncias tres,
Granor. Juniperi uncias quatuor,
Cortic. Citri recent extim. unciam unam ſemis:

Hæc, inciſa & contuſa, immergantur in *Aceti Vini boni libris* XII. Factâ aliquali digeſtione, abſtrahatur *Acetum*, deſtillando in Alembico vitreo ad ſiccitatem; *Acete* huic abſtracto denuò immitte

Rad. Angelicæ,
Contrajervæ,
Enulæ recent.
Morſus Diaboli,
Zedoariæ, ana unciam unam ſemis,
Herb. recent. Rutæ,
Scordii noſtr. ana uncias duas,
Croci opt. Oriental. drachmas duas,
Cortic. Citri recent. extim. unciam unam ſemis,
Granorum Juniperi,
Myrrhæ rubræ, ana unciam unam:

Stent in infuſione, locô calido, vitrô benè clauſo, per ſeptimanam; colentur poſtea, atque filtrentur: filtrato *Aceto* adde, dum in uſum venire debet, pro *qualibet libra unâ*

Mellis Citrati n. m. parati uncias duas vel tres.

Efficax eſt in Peſte & Malignis febribus, cum pro præſervatione, ante egreſſum, matutinis horis, unum aut *duo cochlearia ſumendo; tum curativè, Potiunculis ſudoriferis immiſcendo, à drachmis duabus*, ad *unciam ſemis.*

ACETORUM MEDICINALIUM.

Vera præparatio ſub formulâ ſequentis *Aceti Roſacei* adumbratur:

℞. Roſ. recent. Damaſcen. pallid. & contuſar. libras duas;
immergantur in
Aceti Vini boni libras octo.

Factâque digeſtione brevi, deſtilletur, ſive abſtrahatur *Acetum* per cucurbitam, vel alembicum vitreum, ad ſiccitatem ferè Roſarum: deſtillato *Aceto* denuò injiciantur

Flor. Roſ. rubr. recent. unciæ octo, tempore vernô; vel
Roſar. ſiccar. rubr. unciæ quatuor, tempore hybernô.

Stent in infuſione diebus aliquot, colentur pòſt, filtrentur, ac reponantur uſui. Juxta hunc modum *omnia Herbar. Florum, & Fructuum, utpotè Fragorum, & de Rubo Idæo, Aceta* legitimè & dextrè parari poſſunt.

LIQUOR, SEU EPITHEMA HEPATICUM APERIENS.

℞. Olei Tartari per deliquium facti libras duas,
Vini albi boni libras quatuor,
Camphoræ drachmas tres;

fiat in alembico vitreo, calore arenæ, *aquoſitatis vinoſæ* abſtractio ad ſiccitatem *Salis Tartari*; quod ad alios uſûs, in priſtinum liquorem, per deliquium

converſum, reponatur. *Aquæ* verò ſtillatæ immergantur ſequentia inciſa & contuſa:

Rad. recent. Bryoniæ,
Enulæ,
Pimpinellæ,
Apii, ana unc. una ſemis,
Herb. recent. Abſinthii,
Agrimoniæ,
Naſturtii hort.
Chærefolii,
Perſicariæ, ana unciæ duæ,
Roſar. rubr. recent. unciæ duæ,
Baccar. Juniperi virid. uncia una,
Gummi Ammoniaci pulv. drachm. ſex,
Ol. Tartari per deliquium facti unciæ duæ.

Factâ maceratione horis XXIV. fiat Colatura, cum expreſſione; filtretur per chartam bibulam, uſuique ſtatim applicetur. Nam ad diuturnum tempus aſſervari nequit; quamvis ad aliquot ſeptimanas durabile ſit.

Eſt *Liquor*, ſeu *Epithema liquidum obſtructiones reſerans, Hepatis regioni, intinctis in eo petiis quadruplicatis, deforis impoſitum. Fovet & roborat inſitum hujus viſceris calorem, ac in deobſtruendo palmam præripit Emplaſtris, reſinis calidioribus, accæteris pinguibus, & unctuoſis conſtantibus.* Illud tamen in applicatione hujus Remedii obſervandum, ut *petiæ, madentes hoc liquore, chartâ incratâ* deforis muniantur; totum alioquin liquorem linteaminibus & interulis abſorpturis.

LIQUOR, SEU EPITHEMA SPLENETICUM APERIENS.

℞. Ol. Tartari per deliquium facti libras duas,
Vini albi boni libras quatuor,
Camphoræ unciam ſemis,
fiat per alembicum vitreum, in arenâ, abſtractio totius humiditatis, ad ſiccitatem *Salis Tartari*. *Liquori* egreſſo injiciantur

Rad. recent. Apii,
Bryoniæ,
Pimpinellæ,
Fœniculi,
Raphani hort. ana conſciſſ. & conquaſſ. uncia una ſemis,
Herb. recent. Cochleariæ,
Nicotianæ,
Naſturtii hortenſ.
Verbenæ,
Perſicariæ, ana conſciſſ. & conquaſſ. unc. duæ,
Sem. Naſturtii,
Urticæ, ana uncia ſemis,
Baccar. Juniperi virid. uncia ſemis,
Pulv. Gummi Ammoniaci uncia ſemis; vel drachmæ ſex,
Salis Ammoniaci uncia ſemis,

Factâ maceratione horis circiter XXIV. fiat colatura cum forti expreſſione. Expreſſum, ſi libet, filtretur; quamvis non ſit opus filtratione; citra quam intenſius agit. *Epithema* hoc *easdem vires & effectus Lieni communicat, quas*, ut ſuprà deſcriptum, *Hepati.*

pati. Quare indè omnis informatio & notæ repetantur.

His ſic ad calcem perductis, habes. L. B. Eſſentiarum, & Liquorum, ad arcendos quosvis è corporibus morbos, utliſſimum compendium: quam difficilem Spartam hôc unô ductus motivo ſubii, ut Tibi in nocte denſiſſima facem accenderem, ac luce clariùs demonſtrarem, *nonè quovis ligno* (ut aiunt) *fieri Mercurium;* nec *quodvis è quolibet*, citra rationis & genuinæ Philoſophiæ leges, in actum duci: quin, ad exprimendos ejusmodi medicatos Liquores, è quibus congenitæ vires, veluttotidem radii, integrè reſplendent, magnum *Vegetabilium*, *Radicum*, *Herbarumq;* requiri delectum; cùm, promaxima ſui parte, ejusmodi vegetabilia *Decoctionibus*, & parandis *Extractis* aptiora ſint, quàm *Deſtillationi:* & ſive *Decoctioni*, ſive *Extractioni*, ſubjiciantur; ſemper tamen vires earum in abſtractione reſiduæ manent, nequaquam verò pro voto per Alembicum funduntur. Et ſi quis in hujusmodi laboribus rem vigili oculô obſervaverit, deprehendet manifeſtè, *modum extrahendi* & *decoquendi vegetabilia*, è diametrô opponi *modo deſtillandi.* Quæ enim extrahi, aut decoqui, à natura apta nata, ſic comparata ſint, oportet, ut inviolatæ eorum vires, natura, & craſis, in Extractorum abſtractione (quæ abſtractio genuina deſtillatio dicenda,) ad multarum librarum quandoque exhalationem, in reſiduo tamen perdurent: viceverſa quæ in receptaculum, beneficio Alembici, vires ſuas exſudare coguntur, ſive in ſimplicium, ſive compoſitarum aquarum deſtillatione id accidat, quicquid virtutis, energiæ, & vivifici Nectaris, poſſident, vaporetenus, & virtute rarefactionis, in liquorem converſa, præſtant, relictô craſſô, effœtô, ac exſuccô craſſamentô, nullius frugis, quà n ut foràs projiciatur. Quod ſi neutrâ ex parte accidat; neque decocta, & extracta; neque deſtillata, & liquores, ſimplicium vires, & Ideas referent. Quidenim (ex Te requiro) emolumenti, & virium, à *decocto*, aut *extracto quopiam* expectaveris, cujus *virtus*, *& ſpirituoſa portio*, *vaporetenus elevata*, exhalavit? Quam efficaciam habituri ſunt *liquores*, *& aquæ ſtillatæ*, quarum ſimplicia, è quibus deſtillantur, exantlata intenſi caloris etiam torturâ, *vires tamen ſuas ad fundum*, *velut ſentinam*, demergent, & ſervabunt? Patet igitur, duce Philoſophiâ (quod ipſum in Procœmio innui) opus habere, quisquis dextrè artem deſtillandi exercere cupit; nec cuivis homini contingere, adire Corinthum. Manifeſtè igitur ſeſe proſtituant, qui, nullô habitô diſcrimine, *omnis Claſſis Vegetabilia*, *Radices*, *Herbas*, *Flores*, *Semina*, *Ligna*, *Cortices &c. Animalia*, *& Mineralia*, *fixa* quæque, uni eidemque deſtillationi ſubjiciunt; nullo præmiſſo diſcurſu, & factâ rerum analyſi, an *partes*, *quibus conſtant*, *volatiles*, *an fixæ*; *ſulphureæ*, *an terreſtres ſint:* num verò *tertiô ſe habeant modô.*

Et verò, indulgendum eſſet aliquid, hâc ex parte, imbecillitati Tyronum, niſi in eâdem navi, magnæ cœteroquin

famæ Practici, & Consummatissimi (judicio vulgi) Chymici, turpiter naufragi remigarent; adeò quidem, ut ab ipsis quandoque Lixis meliorem, & culinariam Philosophiam experiri possent, sedulò observando, quòd ejusmodi farinæ homines *vegetabilia quæcunque esculenta, animalia, & horum partes*, diu multumque elixent, igne apertò torreant, ac assent, citra virium & substantiæ jacturam: quæ in nostrum mox cedunt alimentum, quadris & conviviis aptissima: eosque, huic quotidianæ experientiæ minimè contradicturos, spero; nisi *vaporibus, & rerum Atomis*, saturari maluit, quæ inter elixationes evaporant, relictis nobis pro pignore obsoniis. E contrario, hoc ævo nostro irrequietæ Mulierculæ *ex frumento Spiritum adustum, sed præmissâ fermentatione*; ut & *ex facibus vini, & vinò ipso* simpliciter, sine *prægressa fermentatione*, *Spiritûs ardentes* elicere noverunt, ad gloriosam invidiam, ne dicam æmulationem, ejusmodi Chymicis, qui *spirituosa, sulphurea, & balsamica naturâ suâ existentia, vel arte, ac fermentatione, quandoq; talia facta*, violentis ac diuturnis *coctionibus, & ebullitionibus* destinant; pro essentiis rerum, *insipidam vappam, crassum terreumq; sedimentum*, exhalante *parte spirituosâ*, cum risu reportantes. Hoc quotidianâ Experientiâ confirmant prædicti Chymici, dùm *Vinum*, dùm *Aquas spirituosas fragrantes*, ad suas *decoctiones* destinant, & usque *ad medias, vel plus*, exhalare sinere præcipiunt: quanquam, admisso unò absurdò, plura sequi, necesse sit: Nisi enim id agant, debitam, quam præcipiunt, consistentiam eorum medicamenta, hoc modo ab iis indigitata, non nanciscuntur.

Decumanis hisce erroribus ut maturiùs subvenirem, jamdudum, in *præmissis meis Animadversionibus super Aquas destillandas simplices* annotavi; *Tria esse Genera, vel Classes, Vegetabilium inter se discrepantium.* Quædam illorum *naturæ balsamicæ sunt*, ac inter destillandum (simplici scilicet destillatione affusò aliquò eis liquore) *vires suas integrè & plenariè* reddunt; quod *odor & sapor* manifestum facit: quorum ex numero sunt, *Cinamomum, Caryophylli, Anisum, Fœniculum, Caruum &c.* Alia *medio se habent modo*, & solum *odorem* communicant, relictò *sapore acri, dulci, amaro, &c. virtuteq; roborante* in subsidentiâ, uti sunt, *Absinthium, Rosæ, Tanacetum, Citria poma, & innumera dulcia, amara.* Reliqua *nec odorem, nec saporem, aut utile quid*, aquis suis, inter destillandum, imprimunt, sed *virtutes integras* in residuò detinent; nisi exiguum aliquem *odorem græminosum, & aquam elementarem*, in censum voces. Tantus adeò, de *vegetabilium differentiâ*, sese discurrendi campus referat, ut nullum ferè sit vegetabile, quod suam non exigat Regulam, quâ ratione, inter destillandum, à Chymico & Medico sit tractandum. Ast humeris nostris impar labor, atque tractatus vastissimo Volumine haud comprehensibilis. Pro circumstantia igitur temporis, & nostræ conditionis,

in

in *tres Classes* illas subdivisi, ut brevior, per exempla, fieret doctrina; veritasque emineret, quàm præposterè ineptissima quæque destillationibus committant ævi nostri Scriptores, ut citiùs quandoq; è pumice aquam, quàm ex destillandis ejusmodi *Vegetabilibus*, *mineralibus*, *& animalibus*, *Liquorem*, *spiritu & virtute impregnatum*, elicias. At verò habet & hæc iniquissima causa suum Mecænatem, ac quærunt hoc sibi diverticulum, & ignorantiæ asylum, sæpè dicti Authores, ut inter destillandum terrestria hæc, *salem aliquem volatilem*, *nnà cum liquore & humiditate*, in receptaculum transire, ac rapi, somnient ac fingant; non advertentes, quod *Vegetabilia paucò*, *aut nullo*, *sale volatili* constent, ac per consequens nec in illum resolvi possint: juxtà illud tritum, per ignem inaugurati Philosophi: *ex iis res quapiam constat*, *in quæ per artem denuò resolvi potest*. At demus habenas Disputationi: dato, non concesso, quòd *sal aliquis volatilis impropriè dictus insit* ejusmodi terrestrioribus naturâ suâ simplicibus; necessariò ejus vestigia *sapore*, *odore*, prout in *Aromaticis*, *Balsamicis*, *& Scorbuticis aquis* perciperentur: sed nihil horum in illis, præterquàm aqua elementaris, insipida ac inodora, quæ ab iisdem destillando prodit, sese manifestat. Quare vero verius comprobatum manet, nullum *subsistantiale existens sal volatile ex Vegetabilibus*, uti *ex animalibus* indies accidit, arte elici posse, nisi *salem fixum*, & hoc ipsum non, nisi *præmissa incineratione*; *Salem verò introsum* perpauca quædam reddere; quod ipsum tamen *sali volatili huic Ideali* æquiparari non potest; cùm per alembicum neque adscendat, nec viribus Aquas destillatas nobilitet. Quod si neque his argumentis tenebræ plùs quàm Cimmeriæ eos dimittant, ut vel per rimam veritatis radius eos feriat, manum tabulæ admoveant, Pyrotechniam, Carbones & Fumos tractent, futuri exinde veritatis Candidati Interim deponant muliebres questûs & suspiria, quod *Medicamenta*, *Compositiones*, *& Panaceæ eorum pro voto effectûs suos non sortiantur*, probè considerantes, aliud sequi non posse, post tot *vegetabilium castrationes*, quàm virium & virtutis dispendia; quin satiùs aliquanto se fecisse, si ipsa *vegetabilia crudissima* propinassent, quàm *effætas has Aquas destillatas*, *Decocta*, *& Extracta*, velut totidem Medicinæ probra.

Supereſt nunc, ut & huic Quæstioni satisfaciamus, quando diximus, quòd, uti *non quodvis e quolibet fit*; ita non *omnia Vegetabilia ad destillandum apta sint*; (secus enim *nullum vegetabile vel extractioni*, *vel coctioni*, *aut assationi* utiliter committi posset, quin protinus ejus virtutes, primâ statim coctione, avolarent, & nos non, nisi amurcâ inutili, à decoctis residuâ, saturaremur) nec è contra *omnia Vegetabilia Extractionibus & Decoctionibus* indiscriminatim sese subjiciant. Quâ ratione igitur assequemur, ut ea, quæ *destillationi apta non sunt*, nec aquas præstantes & spirituosas reddant, in *Essentias*, aquis destillatis præstantiores, redi-

redigamus? Pariter etiam, cum *modus Deſtillandi opponatur Decoctionis & Extrahendi modo*, doceamus viam, quâ *ejuſmodi Extracta* dextrè conficienda ſunt, ne & illa, in *abſtractione*, *vires ſuas* omnimodè deperdant, quin perfectiſſimè contineant. Hoc ut paucis abſolvam, ponamus pro normâ *tria dicta Genera*, *& Claſſes*, *Vegetabilium*, *ex naturâ ad decoctiones & Extractiones*, *& Deſtillationes differentium*. Quô habito fundamento, ſtatuitur primùm, *quod illa*, quæ *primæ Claſſis ſunt*, ad *deſtillationem apta nata ſint*, viresque ſuas pro arbitrio noſtro commenicent, ſæpè etiam nullô affuſô peregrino liquore. ad *Decoctiones* vero, *& Extracta ex illis paranda*, *ineptiſſima*; cùm ea, quæ inter anguſtias & limites Alembici clauſa, ad receptaculum, per deſtillationem rarefacta, deferrentur; violenter verò & ſimpliciter in aprico per ebullitionem decocta, utpotè *ſulphurea & aerea*, illicò avolarent, ſuperſtite craſſamento, (utut munias vaſa, in quibus decoctiones iſtæ violentæ celebrantur, in vanum agis; uti jam ſuperiùs demonſtravi.) Similiter in *abſtractionibus eorundem Extractorum*, unà cum menſtruo abſtrahendo, prodirent *partes tenuiores & eſſentiales*, relicto exſucco, inodoro, inſipido, & craſſamento inutili. Talia ſunt, uti jam retuli: *Cinamomum*, *Caryophylli*, *Aniſum &c.* Quare mirum eſt, quòd Clariſſimus ipſe Schröderus, *in Pharmacopœia ſua Medico-Chymica*, ex *Aromatibus & Sulphureis naturâ ſuâ vegetabilibus*, efficaciſſima Extracta parare vult; cùm hoc in Terminis implicatorium ſit.

Ex priori doctrina deducimus ſequentem: Cùm *Contrariorum eadem ſit ratio* & *Vegetabilia Tertiæ Claſſis* diametraliter opponantur *Vegetabilibus Claſſis primæ*, nihil ſcilicet virium & energiæ per Alembicum, utut deſtilles, communicantibus; quod priora tamen præſtant efficaciſſimè: ſequitur legitimâ formâ; *Vegetabilia Claſſis tertiæ ad Extractiones & Decoctiones* ſaltem, velut eſculenta, accommodanda eſſe, neutiquam verò *ad Deſtillationes*; niſi operam & oleum deperdere velis. Talia ſunt, *Cichorium*, *Acetoſa*, *Endivia*, *Taraxacon*, *Species Betæ*, *& Braſſicæ*, *Fructûs plurimi acidi*, *dulces*, *amari &c.* Reſtant *ſecundæ Claſſis Vegetabilia*, *mediô ſe modô habentia*; quam ob rem ſeveriori indagine perſcrutanda: quâ ratione nimirùm ex illis *& Aquæ*, *ſimplicium virtutibus prægnantes*, deſtillari, & *Decoctiones*, aut *Extracta*, vires & characterem rerum extractarum referentia, parari debeant. Verùm, cùm ſe mediô quôdam modô habeant, partim *naturâ ſuâ balſamica*, *& partium tenuium*; partim verò *terreſtrium & craſſarum*: neutrum ex illis perfectè communi viâ elici poterit. Sive enim *deſtillaveris*, ſive *decoctionibus & extractioni deſtinaveris*; utrinque ad ſcopulum alliſeris. Rem hanc exemplô *ſolius Abſinthii* illuſtremus; *Aqua* etenim *Abſinthii ſimplici deſtillatione ſtillata*, *odorem vegetabilis ſui*, *& ſpiritum*, manifeſtè & ubertim deſignat; *ſaporem verò amariſſimum* & *Ponticum*,

eum, nec adumbrat quidem; ſequitur proindè, quòd *virtute roborante ventriculum, hepar, ac reliqua viſcera*, exuta ſit aqua hæc ſtillatitia; quod nemo ſani judicii inficias ibit. *Virtus ergò illa corroborans antè dicta viſcera*, in reſiduo latitat, ſolâ ſuperſtite, aquâ, parte ſpirituoſâ penetrante. E contrario, ſi *Decoctiones, aut Extracta, ex eôdem Abſinthio* apparare velis, eadem te manet Charybdis. Nam ſubtiliſſimas, & æthereas, partes penetrantes, in exhalatione menſtrui ad juſtam conſiſtentiam, ibis deperditum. Ut proindè, in alto fluctuanti, manum Tibi extendam, modumque revelem, quô modo ex ſimilibus remedia apta, viribus ſimplicium plenè dotata, obtineas; ſic procedito:

Accipe *Abſinthii recentis bonam quantitatem*, quam conciſſam, ac *Baln. v. vaporoſo* immiſſam, deſtilla, ad totalem ſiccitatem; aquam odore & ſpiritu Abſinthii turgidam eliciendo, in reſiduo v. manente *Abſinthio ſicco, ſapore ipſius* intacto, ac per conſequens ad *Extracta, & Decoctiones, æquè idoneo*, ac ſi *Abſinthium* per ſeipſum & induſtriâ deſiccatum, pro conficiendis *Extractis*, in futurum deſtinaſſes; aptum pariter ad *ſalem elixiviandum*, præmiſſâ, ſub aprico, incineratione; æquè, ac ſi in ſubſtantiâ *Abſinthium* ſimpliciter exſiccatum eſſet. Nunc ulterius procedendum, ut nimirùm, quod *aquæ ſtillatæ, ex ſapore & viribus roborantibus*, decedit, aliundè ſuppleamus, veramque *Eſſentiam* ex illa aquâ comparando, omnia in unum reducamus. Quod ut conſequamur, paretur ex *reſiduo, à deſtillatione, Abſinthio*, (vel aliô recenter deſiccato) beneficio *Spiritûs Vini, vel alterius menſtrui* appropriati, *Extractum juſtæ conſiſtentiæ*; cujus præparandi dexteritas bonæ notæ Pharmacopœis cognita eſt. Ulteriùs non tantùm ex ipſo *à deſtillatione relicto, ſed novo adjecto Abſinthio*, præmiſſâ, in aprico, incineratione eliciatur *Sal fixus, probè depuratus*. Hæc tria legitimè ac dextrè parata, (quæ meritò principia principiantia, & realia, dici merentur,) *Aqua* nimirum *deſtillata, Extractum*, & *Sal fixus Abſinthii*, denuò conjungantur, ut una ex omnibus, *Eſſentia*, validumque remedium, integras vegetabilis ſui vires referens, emergat; ſic procedendo:

℞. Aq. Abſinthii legitimè, uti ſuprà ſ. ord. ſtillat. libras duas;

In hâc ſolvantur

Salis Abſinthii drachmæ tres, vel uncia ſemis,

hocque ſolutô, in eâ ipſâ aquâ diluantur

Extracti Abſinthii drachmæ ſex,

& ſine ulteriori digeſtione, quæ ſupervacanea eſt, filtrentur; & uſui ſervetur *Eſſentia*, in locô frigido. At verò, cùm hæ, & conſimiles Eſſentiæ, cæteroquin efficaciſſimæ, ſine ſitu, quem contrahunt, in longum non perdurent; in pauca quantitate ſunt diſpenſandæ; cùm hæc Mixtura, præhabitis, & in ordinem redactis, principiis (de quibus ſuprà actum) in inſtanti parari poſſit. Vel, in locum *Eſſentiæ liquidæ*,

Extractum Essentiale conficiatur, in multos annos durabile, viribus non impar, ne dicam, superius jam dictæ *Essentiæ liquidæ*. Quo ipso janua Tibi unà patefit, per quam, ad genuinam ejusmodi Extractorum parandorum methodum, nullo obstaculo addiscendam, gradiaris, paretur sequenti ordine:

℞. Extract. Absinth. legitimè parati, & ad justam consistentiam redacti, uncias duas:

cui adde

Salis Absinthii ritè præparati drachmas tres, vel quatuor,

℥l. Stillat. Absinth. drachmam unam,

sed priùs cum

Sacch. Candi albiss. pulv. unciâ unâ in

Elæosaccharum redacti,

fiatque perfecta *Mixtura*, seu *Extractum Essentiale*, constans & permanens, diu asservandum; quod, quando in usum vocandum, *propriâ aquâ* dilui, vel cum aliis vehiculis propinari potest.

ALIA ESSENTIA LIQUIDA SEQUENTI MODO PARARI POTEST.

℞. Salis Absinthii ritè parati & purific. unciam unam:

cui instillentur

Olei Absinthii Still. drachmæ duæ; digerantur in phiolâ benè clausâ, septimanâ unâ, cui *Mixturæ* tandem superaffundantur

Aq. Absinthii, sine ullâ addit. per *Baln. m. vaporos.* stillat. libræ duæ semis,

Spirit. Absinthii ardent. libra semis:

circulentur adhuc diebus aliquot, tandem filtrentur. Fiatque sic *Essentia* etiam nobilissima *Absinthii*, usui asservanda.

Ex his, Lector Amice, concinnam atque compendiariam habes simul Methodum ac Ideam, *ex omnibus istiusmodi vegetabilibus arcana formandi medicamina*; ita, ut id, quod ex unâ parte tam eludit operam, ac in præstans converti nequit medicamen, sub *aliâ forma, & consistentia*, feliciori Metamorphosi auscultet: adeò quidem, ut, si quis ea, quæ per discursum *hujus Classis*, præclarâ methodo, ac magni poderis rationibus, ac sententiis, decisa legerit, fateri (nisi iniquus sit,) & ultrò adstipulari necesse habeat, talia esse, & quidem è simplici omnibusque obvio vegetabili emata, quæ etiam *famosis Panaceis*, & sesquipedalibus verbis notatis *arcanis*, incomparabilis famæ Authorum, palmam felicissimè sunt præreptura. Arduum enim est, & non, nisi ex rarissimis contingentibus, *quòd tot, tàmq; heterogenea, re & specie differentia, vegetabilia* (taceo Mineralia, Ligna, Cortices &c.) sub unam cadant præparationem, primogeneas retineant, virtutes, ac sibi non contrarientur. Quod manifestè elu-

cet,

cet, in vulgatis Authorum deſtillationibus *Aquarum Compoſitarum*, in quibus quandoque tot numerabis errores, quot partes totam Compoſitionem ingrediuntur. Nec hæc dixero, quòd primus extiterim, qui omnes ſuas Compoſitiones ad limam (ut ajunt) ita elaboravit, quin juxta eas operantibus nonnihil adhuc virium, ab hôc aut illo vegetabili, in reſiduo quandoque videre contingat: hoc ſolùm aſſero, me pro virili certaſſe, ut, ſi quid virium in deſtillatione, etiam nolentibus nobis, decedit; tum aucto quid pondere, multiplicatis ejusdem rationis ingredientibus, dexteriori deſtillatione, jacturam hanc feliciter reſarcirem, maximo ægrotantium emolumento.

Diſcurſum igitur hunc, de *genuina Aquarum, tàm ſimplicium, quàm Compoſitarum, deſtillatione*, amicâ brevitate concludam. Ex quibus maturè conſideratis, nec non iis, quæ *præmiſſæ Animadverſiones, & Appendix, locis citatis*, præcipiunt, multùm ruminatis, æquiſſimus Lector inferet, Ergo artis eſt, & exercitati Philoſophi, in tot diſſitis à ſe *Vegetabilibus, Animalibus, Mineralibus &c.* deſtillandis & diſpenſandis, ſuam cuique notare ſtationem, ne *heterogenea homogeneis, volatilia fixis, aptis ineptiſſima*, uni deſtillationi committant, & quod vulgi parœmiâ fertur; *appingant Aprum undis, Delphinum ſylvis, aut paleam Cani, dent Aſino oſſa*, ſibimet contractiorii. Talia autem quotidianô uſu accidere, ut fuſiùs, juxta ſuperiùs promiſſa, demonſtrem, ac contraria contrariis oppoſita magis elucescant; *unam alteramvè Compoſitionem* examini ſubjiciam: non, ut vanam inde gloriolam aucuper, omniumque vultûs & ora in me convertam; (abſit procul hæc labes, ac turpis macula, abſit!) ſed ut iis, qui etiamnum Medicinæ Tyrocinium agunt, ſaniora dogmata, genuinæ Philoſophiæ theoremata, velut cum lacte inſtillem, charitatis plena ubera, ne dicam, viſcera, erga illos geſtans; tùm etiam, ut in Medica palæſtra nondum exercitatis Practicis, & initiantibus, verâ analyſi ejusmodi *famoſas Compoſitiones* (quibus nec Jupiter contraire auſit) dextrè reſolvam, ac, quàm multum ſit in rebus inane, palàm faciam. Injuriâ enim temporum hæc accidunt, ut, quæ olim oderis, ipſa aſſeutudine probes; velut per traducem in nos derivatis erroribus. Spero tamen, quod genuini Medicinæ filii ſeſe ablactari ſinent, ac, toto cœlo errantes, regium tenebunt iter, maturè ſecum deliberando: tutius eſſe, redire ſeriùs, quàm currere perperàm; meliora deinceps æmulando chariſmata.

Agmen igitur ducant ex Quercetano Redivivo *petitæ Compoſitiones*, & quidem, è *Tomo ſecundo Pharmacopœiæ ejus, pag. 256.* hujus, quæ ſequitur, inſcriptionis, de verbo ad verbum:

AQUA HIRUNDINUM ANTEPILEPTICA QUERCETANI.

℞. *Hirundinum adhuc in nido exiſtentium octo, vel decem paria,*

Flor. Lilii convall. pugill. ij.
Caryophyllorum,
Macis, ana unciam ſemis.

Coquantur omnia in duabus, tribusve heminis vini albi optimi, dein exprimantur fortiter, & deſtillentur. Hujus Aquæ Cochlearia duo, hoc morbo correptis, exhibeantur. Promptè enim à præſenti paroxyſmo liberat, futurumq; prohibet.

Hanc me primùm docuit D. Rondeletius, Medicus celeberrimus Monſpelienſis, & Præceptor meus, quam tamen pro magno, & non revelando, ſecreto celabat. Eidem Hirundinum Aquæ paucula, quæ ſequuntur, adjeci; cujus etiam felices & mirandas vidi experientias.

ALIA AQUA HIRUNDINUM QUERCETANI.

Accipe ſex, vel ſeptem, vel plures, ſi velis, ſuò tempore, Hirundinum nidos, cùm ipſi lanugine cooperiri incipiunt. Hos integros in alembicum proprium conjice, deſtilla, & aquam inde effluentem aſſerva; deindè fæces, adhuc in fundo ſubſidentes reſiduas, in cinerem, quâ decet, arte, redige; ex quo ſume libram ſemis:

Cinerum Cranii humani, &, ſi fieri poteſt, non humani, ℥iij.
Caſtorei ℥ iß.
Pulv. Viſci quercini ℥j.
Succi radic. & fol. Pæoniæ ℥vj.
Aq. Flor. Hyſſopi,
Tiliæ arboris,
Lilii convallium, ana ℔j.
Aceti ſcillitic. ℔ß. *quibus infunde*

aquam omnem, quam ex Hirundinibus elicuiſti; macerentur omnia per aliquot dies, per ignem Balnei; dein per cineres, aut ſaltem per balneum vaporoſum, ad integrâm ſiccitatem deſtillentur. Eâ enim ratione aqua ἐμπύρευμα non redolebit, ſed cum omnibus ſuis qualitatibus, integris & requiſitis, effluet. Hæc aqua per ſe ſola, ſale ſuo imbuta (præmiſſis tamen, per menſem, generalibus remediis convenientibus) ad medium cochleare ſumpta, mirabiles effectûs prodit. Hucusque Quercetanus.

Ex ſuccinctis hiſce *Compoſitionibus*, L. B. ſequentes licet obſervare errores: Primò *Coctionem Hirundinum juniorum, Flor. Lilii convallium, Caryophyllorum*, & *Macis. Hirundines* quod ſpectat, illæ, ſicut & *reliqua animalia perfectiora, earumq; carnes*, diu multumque coqui poſſunt, ſine virium ſuarum diſpendio. Sola enim, quæ iis affunditur, *aquoſitas*, inter coquendum & ebullitionem, exhalat, prout magis vel minus diu coquuntur, *hirundinibus integris viribus* in reſiduo manentibus; ſicut & reliquæ *omnes carnes*, poſt violentam elixationem, virtute ſuâ nutritiva, & qualitatibus cæteris, integrè gaudent; nec tàm delitioſi genii, ac guſtûs, ullum hactenus offendere licuit, qui, repudiatis *carnium ſubſtantiis*, in ſublimiè *evolantes elixandarum atomos*, pro cibo, veluti *muſcas in aurâ* venaretur. Num enim, præceptâ hâc *Hirundinum coctura*, ad nutum Authoris, illæ ſenſim vola-

volatizari debent, ut demùm, priùs benè elixatæ, ſuas tandem vires deſtilando communicent? Aſt hoc inconveniens eſt; neque Philoſophum ſapit, eò perſuaderi. Hôc enim ſuppoſito, deberet ultimum temporis inſtans determinari, quando *per coctu̇ram volatizari* incipiant, ut, hùic erepti, ſtatim *deſtillationi* committantur. Hæc autem facilè ex præſcriptis ſuprà *Aquis meis Antepilepticis, ex Hirundinibus & omni Volucrum genere, parandis* diluentur; ubi fuſiùs methodum tradidi, juxta quam *Animalia* deſtillanda tractari, aquis nativa virtus & ſignatura imprimi ac conſervari debeat; longè diſpari modò, ac hîc præceptum ab Authore conſpicis: nempè, ut non *Coctura violentiori* committantur, per quam *vivificus earum ſpiritus* illicò exhalat; ſed beneficio *Deſtillationis*; in principio ſtatim, colligatur, tanquam *prima Hirundinum Virtus & Eſſentia.*

Præterea, ſive *Hirundinum Carnes* aſſando, ſive coquendo ad omnimodam etiam ariditatem deducas; tamen earum radicalis humiditas (ſpiritu vivifico jam dum evanido) quæ in Medicina unciè expetenda, firmiter adhuc perdurat; uti fuſiùs, in *præmiſſis Animadverſionibus*, ſæpè inculcavi, donec violentiori deſtillatione per Retortam, igne apertô, ad totalem earum combuſtionem, *ſal volatile* expellatur cum *ſpiritu empyreuma olente*, ſimulque *oleo fœtido* prodeunte: quæ ipſa, quâ ratione à ſe invicem ſeparanda ſint, ac *ſal volatile*, cui potiores virtutes inſunt, *priori Hirundinum vivifico ſpiritui* adjungendum, locô citato fideliſſimè patefecimus. Vides, L. B. quam notabilis error in *primô hoc ingrediente, ceu baſi totius Compoſiti*, à quo etiam nominari meruit, irrepſerit; ut, præter inane nomen, exiguam in ſe claudat hæc Aqua efficaciam.

Verùm, pace magnorum virorum, Authorum, & ſequacium, hæc dixero: non hæc mea eſt cenſura, aut Scholion; dogma magni Galeni eſt, quin *Viperas*, *earumq; carnes*, tamdiu jubet elixare, donec earum carnes in tantum emollitæ ſint, ut *ab oſſibus* decidant, ac tandem, *pane biſcocto commixtæ carnes*, in formam *Trochiſcorum* redactæ, dextrè ſiccari poſſint. Quidni *mumia*, *caro humana*, *aut reliquæ animalium partes*, ad ariditatem & pulverem usque deſiccatæ, viribus tamen ſuis integrè gaudeant? Hoc tota Medicorum clamat Schola, & dictam, de *Trochiſcis Viperarum*, doctrinam genuinam agnoſcit. Ergò nullâ coctione, aut deſtillatione, *virtus animalium* ſublimatur, ſed, diſperſis inter initia vivificis ſpiritibus, in reſiduô, quod virium eſt, ſubſidit. Hoc ipſum in terminis docet Clariſſimus Schröderus, *pag. 148. Pharmacopœiæ ſuæ Medico-Chymicæ, in Notæ ad Aquam Picarum compoſitam*, his verbis.

N. *Sunt, qui Picas in Aq. Liliorum* ℔ iß.
ad conſumptionem medietatis, anteà coquunt, infuſioniq; poſtmodum addunt; verùm, quia coctione volatilis illa pars prorſus evaneſcit, quid poſtmodum elevetur, non video. Hucusque ille.

Hæc, de *coctione & deſtillatione* planè incongrua *Pullorum Hirundinum*, dicta ſufficiant.

Nunc ad ſecundum, ordine hujus Compoſitionis, Ingrediens propero; ſuntque *Flores Lilii convallium*, qui & ipſi *Elixationi* committuntur; hi verò, præterquàm, quòd, citra proportionem ac commenſurationem, ad compoſitum, perpauci addantur, (pugilli ſcilicet ſolùm duo,) ſi quid *Spiritûs*, *Eſſentiæ*, *ac energiæ* contineant, id totum *à ſpiritu vini*, quando vinum exhalare cogunt, ad ſuperna diripitur, nedum tentatâ deſtillatione; maximè ſi flores ſint recentiores. Verùm, ingredientis hujus, à quô hæc Aqua parùm fœcundabitur, vilis conditio prolixiorem non meretur diſcurſum.

Quare nunc ad *Caryophyllos*, & *Macerem*, tranſgredior; quæ & ipſa (ambo in unum cogendo) nullatenus coctionem ſuſtinent, eò quod (ut jam ad ravim innui) *partes eorum Balſamicæ*, leviſſimâ coctione rarefactæ, in ſublime ſtatim ferantur, relicto terreo craſſamento, veluti morticinio, ad ulteriorem deſtillationem, ex natura rei, inepto. Quare & ab his, inconſultè decoctis, nihil virium & prærogativæ huic accedet Compoſitioni.

Ultimum quod concernit, ipſum ſcilicet *Vinum*, quod affundi, præcipit: num illud coctionis diſpendium ferre poſſit, in quæſtionem non cadit. Problema hoc diſputandum *Spiritus Vini deſtillatoribus* relinquatur, qui ſuam ultrò obtrudent experientiam, quòd ſcilicet, in deſtillatione *Spiritus Vini*, primum, quod in ſublime fertur, ſit *pars volatilis*, *eſſentia*, & *ſpiritus Vini*, relictô in fundo phlegmate nauſeoſô, ipſis porcis, qui eô laginantur, ſtomachum vertente. Pari planè paſſu in *decoctione Vini* proceditur; imo potiori jure *decoctio* prohibenda; cùm *deſtillatione* violentior ſit, & *ardentem vini ſpiritum* præproperè ſublimet, evaporare cogat, ac virtutes ejus quaſi in nihilum redigat. Ergò nec *à vino Spiritus*, *ac virtus*, huic Aquæ communicatur, & illa fœcundatur. Annon, L. Amice, poſt tàm ampla & magnifica promiſſa, *parturiunt montes*, *naſcitur ridiculus mus?* Annon ſpecioſa hæc compoſitio toti Medicorum familiæ, ipſisque Patientibus, grandi Hyperbole imponit? Hæc tuo committo ſuffragio.

At ſequentem verò *Aquam Hirundinum* perpauca annotanda veniunt. Collaudo imprimis Authoris propoſitum, & inſtitutum, quòd *Hirundines vivas*, & *integras*, in proprium Alembicum conjicere, ac deſtillare dextrè, præcepit. (Hôc enim pacto *nativæ virtutes*, & *ſpiritus vivificus*, *unà cum elementari aquâ*, in excipulum derivantur, ſtillatque *Aqua hirundinum ſpiritu & energiâ plena*) Fæces verò reſiduas, h.e. *Hirundines ſiccas*, *in cineres* redigere, ſicut & *Cranium humanum*, ac exinde *Salia elicere*, *propriâ aquâ Hirundinum ſtillatâ*, non eſt ſortis Philoſophi & Spagyri; ne dicam, in terminis implicat. Ipſa enim refragatur experientia, & ratio convincit, quòd *animalia*, *eorumq; partes*, utpotè *oſſa*, in veros *cineres* nunquàm abeant. Patet hoc in

Jumen-

lumentis, quæ potentiſſimis incendiis conflagrarunt, aut cùm *Cornua Cervorum*, *& Oſſa*, in furno figulino, aut lateritio, cremantur; quod candida, & priori formâ intacta, ſuis autem partibus eſſentialibus, *ſale* ſcilicet *volatili*, *ſpiritu*, & *oleo*, deſtituta, ac tantùm non verè mortua, extrahantur, in quibus nec *mica ſalis* amplius repertu eſt. Quare *animalium incineratio* inutilis, & amethodica eſt; cum ſimplici calcinatione in *veros cineres* non abeant, uti *vegetabilia* aſſolent; *nec ſal fixus* exinde elixivietur, prout multis, ſuper hâc re, in *Animadverſionibus* actum, & præmiſſum eſt. Sed transeat hæc propoſitio, *Animalia* in veros cineres, ſicut & *Cranium humanum*, ac *Hirundines*, in favillam cremari, concedamus; majora etiam transire in *Alkalia*, ac *Sal* ex illis elici poſſe; (quod tamen paradoxon eſt) nihilominus *ſal ille fixiſſimus eſſet*, aut in *cineribus* non latitaret, ignis torturâ pridem omni, quod volatile, ſublimato & expulſo: quod ſi autem *fixus eſt*, uti reverà eſſe debet, quo pactô, *affuſâ ſpecifica Hirundinum Aquâ*, leni balnei vaporoſi impulſa, in ſublime efferetur, quî, adaucto priùs ignis gradu violentiſſimo, volatizari non potuit. Non hæc, profectò, nutui noſtro, & præconceptis Ideis, auſcultant: alia longè eſt *ſalium fixorum* & *Alkalium* geneſis, indoles & natura; ab igne non repatiuntur, etiam violentiſſimo; intenſum flammæ reverberium, in tigillo, citra virium jacturam, velut Salamandra, diu ſuſtinent, nec atomus ex illis ſublimatur. Leve igitur hoc præceptum, *de calcinatione Hirundinum*, *ac Cranio humano in Cineres* vertendo, admirari potiùs, quàm æmulari, utpotè tanto Authore indignum, volumus & ſuademus.

Reliqua hujus Compoſitionis conſtitutiva & ſimplicia non impugno, niſi fortè inſinuarem, & per transennam quaſi, *Viſcum querninum* aptius *decoctioni*, aut *extractioni*, quàm *deſtillationi* committi, vel in *formâ pulveris* crudè propinari.

Acetum Scilliticum, ex ſiccâ, & præparatâ in Officinis *Scillâ* diſpenſatum, nihil de *Scillæ virtutibus* huic Aquæ imprimet: perindè ergò feceris, ſi *ſimplex Acetum* ſubſtituetis.

Aquæ Stillatitiæ, ſi, affuſâ ſimplici aquâ, non fuerint adulteratæ, & deſtillatæ è recentiſſimis floribus, ſicque huic compoſito unitæ, magnas vires huic *Aquæ Hirundinum* conciliabunt; adeò, ut, non obſtantibus ſuprà manifeſtatis erroribus, ratione *Hirundinum Aquæ*, *primitus è vivis pullis ſtillatæ*, item propter *Caſtoreum*, *ſuccum Radic. & Flor. Pæoniæ*, & *Aquas ritè ſtillatas*, hanc ipſam *Aquam* utiliſſimam, nec tanto Authore indignam, cenſeam.

Eôdem Charactere nigerrimæ, & plenæ erroribus, ſubſequentes Quercetani *Aquarum Hirundinum Compoſitiones*, locô ſuprà citato, ſignantur: quas tamen, ex jactis hactenus fundamentis, caſtigare, & reducere poteris, vel ipſis umbris ad Solis radios diſparentibus. Me profectò tædium ſubit, ac temporis diſpendium ſollicitat, toties eandem crambem non recoquere.

Laco-

Laconica ergò brevitate multum concludo. Vix ullam, ſcilicet, reperîo, hujus Libri, *Aquarum Compoſitionem*, quæ, ob decumanos errores, non ſit abominabilis. Hujus farinæ & factionis ſunt. *Aqua Picarum*, *Aqua ad Sanguinis ſputum*, *ad Phthiſin*, *Antipleuritica*, *Aqua Caponis*, *abſurdiſſima*, *ad Curationem Peſtis*, *ad Cordis Affectiones*, *Theriacales quaſi omnes & ſingulæ*, *Scorbutica*, & *Hydropica*, *contra Febres*, *Dyſenterica*, *Antinephritica complures*, & *non paucæ ſubſequentes*, quæ agmen claudunt. Volumen deberetur hiſce notandis erroribus, nec ævum ſufficeret huic Augiæ ſtabulo repurgando. *Unam* duntaxat adhuc *Compoſitionem* in ſcenam dabo, & elarvabo; ut clariùs adhuc appareat, *quænam ſimplicia vegetabilia*, *inter deſtillandum*, *vires communicent*; quæ verò *in reſiduo deponant*: & ſit, ex prædictorum numero

AQUA DYSENTERICA QUERCETANI.

℞. *Radic. Acetoſæ*,
Pentaphylli,
Tormentillæ,
Biſtortæ,
Burſæ Paſtoris,
Symphyti utriuſque, *ana unciam unam ſemis*,
Cortic. Citri ſicc. ℥j.
Ligni Aloës,
Rhodii,
Myrobalan. omnium, *ana* ʒß.
Sem. Melonum,
Cucumeris,
Acetoſæ,
Citri,
Portulacæ,
Endiviæ,
Papav. alb.
Pſyllii,
Cydoniorum,
Coriandri præpar. &
Granorum Myrthi, *ana* ʒvj.
Flor. Thapſi barbati,
Malvæ arboreſc.
Chamomillæ,
Roſar. rubr. ana p. ij.
Macis,
Nucis Moſchat. ana ʒiij.
Cornu Cervi præpar.
Trochiſc. de Spodio,
de Terra ſigillata,
Lapid. hæmatit. præparati,
ana ʒijß,
Acaciæ ℥j.

Contundenda contundantur, & *pulveriſanda pulveriſentur per dies VI. ad ignem M. B. in*
Aquæ Pirorum agreſt.
Sorborum,
Plantag. &
Tormentillæ, *ana* ℔ij
Flor. Malvæ arboreſc.
Chamomillæ, &
Verbaſci, *ana* ℔j.

Dein colentur, & *quàm optimè exprimantur. Huic expreſſioni adde*
Opii Thebaici præparati (*i. e. ſub ſulphure narcotico*, *quod*, *ſuaviſſimi ſomni locô*, *veternum inducit*, *per levem ignem priùs ſoliati* (ʒiß.

Ex-

Extracti Dysenteric. n. descriptionis,
Croci Martis, ana ʒij.
Croci Orientalis ʒj.
Spec. Diatragacanthi frigidi ʒvj.
Dein ex artis præscripto destillentur, ut fiat Aqua. Hæc non tantùm mirabilis est in Dysenteria communi vel pestilenti, sed & in alvi fluore, omniq; hæmorrhagia sanguinis, à quacunque parte defluat aut suboriatur. Hucusque Quercetanus.

Dum hanc, longô agmine *procedentium simplicium, & compositorum ingredientium*, farraginem observo, ultrò confiteor, omnia & singula ad unum subordinari effectum, & collimare metam; dicere volo, ad eradicandum determinatum affectum, ab Authore inventa esse; vel enim *adstringente*, & *roborante*, vel *demulcente*, & *abstergente*, vel *conglutinante* & *solidante*, aut *carminante qualitate* gaudent, unam & solam *Dysenteriam* respiciunt, ejusque magna sunt Antidotus, cui efficacior vix substituetur. Verùm, aliud est *Sceptrum, aliud Plectrum, aliare est inventio; alia elaboratio.* Illa solertem Botanicum; hæc consummatissimum Philosophum, & per ignem Spagyrum, provocat. *Appropriata Dysenteriæ remedia* sunt, sed in ipsâ præparatione hallucinantur. Nam, ut suprà præfatus sum, *non omnia ex omnibus fiunt;* magnô delectu opus est; quædam enim sunt *destillanda*, quædam *decoquenda*, & *extrahenda:* aliud sibi *Pilulæ;* aliud *Pulveres*, vendicant. Secundò, non juxta arbitrium nostrum sublunaria hæc reguntur, ut, quæ jam in furno figuli, aut lateritio, magnam ignis torturam, qualiter *Spodium*, & *Cornu Cervinum*, experta; quæ prolixâ decoctione, & missis spirituosis corpusculis, vaporetenus condensata; qualia sunt *Opium*, & *Acaciæ succi adstringentes:* quæ destillatione abstracta, *utpotè extracta*, quæ flammis & intensissimo ignis gradui resistunt; qualia sunt *omnia terrestria, Lapis hæmatites, Terra sigillata*, quæ in primâ suâ genesi & exordio ignis reverberii parit, ut *Crocus Martis:* quæ inter vegetabilia gaudent virtute *vel adstringente*, vel *consolidante, sapore* item *austero, Pontico, dulci, acido;* quæ omnia non sulphureæ, sed terrestrioris esse naturæ, velut ex signo, rem deprehendes: hujus Classis sunt *Radices, Herbæ, Fructûs, Semina, & quæ plurima sæpiùs citata* in compositione nobis illudunt: pro præsenti verò ex instituto eventilanda. Ea, inquam, omnia jam recensita, nostra eludunt tentamina, & irritos reddunt conatûs, quibus eis mille formas & metamorphoses, velut Proteo cuidam, affingimus; ut, cùm *sint fixissima*, per Alembicum tamen volatisentur; quæ *arida & exsiccata* sunt, roris instar, in excipulum depluant Verbô denique, *volatilia sint fixa, & fixata ut sint volatilia*, nullâ habitâ proportione Activorum ad Passiva. Proindè, his motus næniis, & ludicris Authorum processibus, ad nauseam usque inculcaveram, quòd nota distinctiva, & character, genuini Philosophi, & Chymici sit, præsuppositâ naturalium rerum analysi, & naturæ earum cogni-

tione, ea ad deſtillandum, elixandum, extrahendum, tantùm diſponere, quæ ad ſimilia apta nata, & inchoatam potentiam habent; non verò, ad impoſſibiles effectûs reddendos, quaſi per potentiam obedientialem velle elevare, quod ſoli DEO, Authori naturæ, competit, minimè Chymico, & Creaturæ, quæ eſt limitatæ potentiæ.

Quapropter, cùm animadvertam, quòd prædicta *Compoſitio*, & *Aqua Dyſenterica Quercetani*, in plerisque jam dictis rea ſit, ac delinquat; eam in principia ſua, & partes integrantes reſolvam, ſicque, partitis vicibus, omnia ac ſingula ingredientia examinabo, ut juxta artis Regulas cuncta magis eluceſcant, & dilucidentur, ac utilior ſaltem *Aqua Dyſenterica* impoſterum diſpenſetur.

Primùm ergò, quod *Radices* concernit, utpotè *Acetoſæ*, *Pentaphylli*, *Tormentillæ*, *Biſtortæ*, *Symphyti utriuſq;*, præſupponendum, quod omnes & ſingulæ, ſint *terreſtrioris indolis ac genii*, ex natura ſua *adſtringant*, *conſolident*, *& agglutinent*, nihilque ſubſtantiæ aut accidentium per Alembicum communicent: proindè, cùm ea deſtillaveris, *nec ſaporem*, *nec odorem*, *nec ſpiritum*, *& eſſentiam horum vegetabilium* præſtoleris; ſed pura puta *aqua inſipida*, & *liquor Elementaris*, Tibi ex deſtillatione accedet, totâ interim earum *ſubſtantiâ*, *& qualitatibus*: in fundo, & reſiduo latitantibus. Proindè ad alios uſus *radices hæ* ſunt convertendæ, ad *decoctiones*, *extractiones*, *infuſiones nimirùm*; ſic earum ferente craſi, & naturâ. Quòd autem cum emolumento, & dextrè, ſe ſinant *decoqui*, & *extrahi*, patet ex ipſius Authoris compoſitionibus, qui *has ipſas radices pro Extractis*, *& Decoctis*, earum paſſim adhibet. Si ergò *Decoctis*, & *Extractis* parandis ſunt aptæ, meritò à *deſtillatione* removentur; cùm in prægreſſis manifeſtè convicerim, *decoctiones*, & *deſtillationes*, *ex natura rei ſibi contrariari*, quatenus nimirùm ea, *quæ deſtillanda*, juxta Authores, *vires ſuas integras*, *cum univerſis accidentibus*, ſurſum mittere, ac per Alembicum fundere, nequaquam in fundo, & ſubſidentiâ, recondere; & contra, *quæ extrahenda & decoquenda* ſunt, ea quoque *virtutes ſuas in reſiduo ſervare*, neutiquam v. *vaporetenus exhalare* debent, reſiduô terreô & exſucco craſſamento. Secus enim ſi fieret, *eſſet* nonnullorum *deſtillatio*, *& non eſſet*, quia per Alembicum nihil virtutis transſcenderet, parte præcipuâ ſubſidente: & *eſſet Extractum quorundam*, prout theſis eorum fert, *& ſimul non eſſet*, quia jam omnia ſulphureæ & volatilis naturæ contenta, *violentâ decoctione*, *abſtractione*, *aut deſtillatione*, exſpiraſſent. Verùm, duo ſimul contraria de eôdem ſubjecto eôdem modo ſumpta, non verificantur; eò, quòd implicet contradictionem.

Sequuntur jam in ordine *Cortices Citri ficci*, qui, ſi *recentes* forent, *aptiores ſiccis*, pro *deſtillatione* haberentur. Nam potior eorum *virtus carminativa & antiſeptica*, *ſapor item amarus*, in reſiduo, à deſtillatione, actu remanent; adeoque ſaltem in *Pulverem re-*

da-

dacti, vel eorum *Decoctum*, sive etiam *Extractum* (sed ad normam *nostri Extracti Absinthii*, *superius paulò edocti*, paratum,) in Dysentericis affectibus efficaciùs operabuntur, quàm *Aqua à Corticibus siccis exstillata*.

Accedo ad *Lignum Aloës*, & *Lignum Rhodium*, quæ utraque *odorifera*, & *balsamica*, *ex parte*, sunt; partim verò *tenacioris*, & *resinosæ substantiæ*. Hæc, destillationi commissa, juxta *subtilissimas*, *rariores*, & *fragrantissimas partes*, aquis sese communicant; subsidit autem *pars eorum resinosa*, *balsamica simul*, & *emplastica*, juxta quam *abstringunt*, *roborant* & *consolidant*, per Alembicum verò nunquam transeunt. Quòd autem hæc doctrina sibi constet, confirmo obvio illo *Extracto Ligni Aloës*, quod, in Officinis debitè instructis, ubique prostat, plenum resinâ, & odore, si prunis candentibus injiciatur. Unde in *superioribus meis Animadversionibus*, *de Extracto Ligni Aloës educendo*, ad quas B. L. directum volo, hoc ipsum innui; in subsequentibus verò, *de Aquis destillandis*, quotiescunque *Lignum Aloës spirituosis Aquis* adjunxi, in parvâ solùm quantitate, ad conciliandum saltem odorem, rostro Alembici imponi jussi: ut, prodeuntibus reliquis spiritibus, pars spirituosa & sulphurea, ratione symboli, quin & *resinosa*, & *corroborans*, *tota denique fragrantissimi hujus ligni essentia*, influis spiritibus uniretur, & aquas imprægnaret. Parum quidem, & modicum *hujus Ligni* rostro Alembici imponi, crebrò præcepi, ne major, quantitas aquas, inter destillandum, turbidas reddat; quod benè observandum. Patet nunc etiam, quàm nihil roboris, & energiæ, ab his, jam *examinatis*, *ingredientibus*, *vel lignis*, huic aquæ impressum sit, ad edomandam Dysenteriam; quin omnem virtutem in residuo latitare.

Nunc *Myrobalani*, quæ *fructûs sunt dulces*, *subacidi tamen nonnihil saporis*, & *adstringentes*, *roborantes*, & *laxantes*, ubi recentes fuerint, subsequuntur. De his pauca profero, cùm earum quoque substantia, & vis, in limo & profundo hæsitet, nihilque transmittat per Alembicum: & quò sunt ficciores, tantò minus communicant. Quòd si cum *Myrobalanis* velis subvenire Dysentericis, eas vel in substantiâ *Pulverisatas*, vel in *Extracta* & *Decocta redacta*, propinato, destillatione earum supersedendo; vel ipsomet Authore, *in suis Extractorum* & *Decoctorum compositionibus*, consentiente.

Convertor ad quàm plurima *Semina*: ut *Melonum*, *Cucumeris*, *Acetosæ*, *Citri*, *Portulacæ*, *Endiviæ*, *Papav. albi*, *Psyllii*, *Cydoniorum*, *Coriandri*, & *Grana Myrti*. Sed quid obsecro obsonii ex hâc *seminum* farragine decoquemus? an pulmentaria, aut lenticulam? Quis non videt, quòd jam notata *semina*, juxta qualitates suas, *frigida*, & *naturæ terrestrioris* sint; si unicum *Coriandrum* eximas. Quid per *destillationem* virium ab eis eliciemus? forsan *Olei* cujusdam particulam, aquæ elementari innatantem? Nec hoc existimo; cùm ex integrâ libra horum *seminum*, si etiam plus acceperis, vix

ſcrupulum ſemis, ad unum uſque ſcrupulum, deſtillati olei reperturus ſis, licet ex inſtituto ad eliciendum oleum deſtillaveris. Quare (demptô ſemine *Coriandri*) nec unum eſt, quod aptum ſit deſtillationi, defectu partium ſulphurearum & aërearum, quæ ſolæ elevantur, ſubſidentibus è contra terreſtribus, frigidis & mucilaginoſis particulis. Annon Methodus ſuaderet, potiùs *ex his ſeminibus*, Dyſenteriam reſpicientibus, *Emulſionem* conficere, adjectis *Aquis appropriatis*, quæ hanc quoque compoſitionem ingrediuntur; & ſic ægris cum fructu propinare? Quanquam & illæ *Emulſiones* nauſeam conciliaturæ ſint, niſi probè advertas, ne *ſemina Pſyllii* & *Cydoniorum* (quæ vel penitùs omittenda, vel doſis eorum minuenda) illas ut plurimum reddant mucilaginoſas.

Semen Coriandri, ex parte, non ſine ratione huic *deſtillationi* commiſſum fuit; dabit enim odorem gratum carminativum; licet etiam virtus ejus adſtrictiva nullô pactô eliciatur.

Prætereà de *Floribus Thapſi barbati*, *Malvæ arboreſcentis*, *Chamæmeli*, & *Roſar. rubrarum*, ut, quod ſentio, afferam, fateor ingenuè, quòd de *virtutibus eorum adſtringentibus*, *roborantibus*, & *carminativis*, Dyſenteriæ appropriatis qualitatibus, deſtillato parum, vel nihil, impertiantur. Nam hæ in reſiduo ſtabulantur, & fundo; maximè ubi jam *reſiccatæ deſtillationi* applicantur: quod ſi verò *recentes* ſint, conceſſerim, quòd in *deſtillatione*, maximè per *Baln. n. vaporoſum* odoris ac fragrantiæ, præſertim *Roſæ*, & *flores Chamæmeli*, aliquid contribuant; cæterùm nihil de qualitatibus ad Dyſenteriam requiſitis. Satius proindè eſſet, talia *in formâ Decocti*, aut *Infuſionis*, præbere, aut in *Pulveres*, maximè *Roſarum flores*, redigere, cum, vel ſine, alterius ingredientis additamento, præbendos.

Transgredior adduo illa Aromata, *Macerem*, & *Nucem Moſchatam*. Hæc, utpotè naturæ balſamicæ, & odoris fragrantiſſimi, qualitates ſuas ex parte facilè diffundunt, & iisdem aquas imbuunt. Attamen, cùm naturæ & ſubſtantiæ ſimul oleaginoſæ ſint, diſſymbolos reſpuunt liquores, quibus ſe facilè non uniunt; ſed oleaginoſa eorum ſubſtantia ſupernatat, ſi aquoſi ſint. Requirunt ergò *ſpirituoſos* & *ſulphureos liquores*, quales ſunt *diverſi ſpiritûs ardentes*, & *Vini*, cum quibus perfectè transeunt, uniuntur ac perdurant: in *Aquoſo autem humore*, utut ſubegeris illa, conquaſſaveris; ſuperficiem petunt ſemper, ſubigi nolunt, operamque ludunt. Adeoque *Balſamica hæc*, & *Aromatica*, potiùs liberaliori doſi, *Aquis ſpirituoſis & calidis*, ut ſunt *Apoplectica*, *Epileptica*, *Cardiacæ*, *Stomachicæ*, *Carminantes*, adjungenda; non item *Dyſentericis*, quarum virtus ad curationem in qualitate roborante & adſtringente conſiſtit: ſed hæ in reſiduo depoſitantur, non verò in excipulum deſtillant. Verùm, non hæc dixero, quaſi manifeſti erroris Authorem convincere vellem, quòd in parvâ hâc quantitate *Aromata Aquæ Dyſentericæ* aſſignarit. Si enim non *effectum* dant calculo dignum,

gra-

gratum tamen *odorem* conciliabunt, & nauſeam arcebunt. Hoc ſolùm per occaſionem confirmare volui, vi deſtillationis *hæc Aromata* eos effectûs, & cauſalitates, non exercere; quemadmodum *Aquæ* hujus *intitulatio*, & *Dyſenteria*, efflagitat. Dico proindè; *Nucem Moſchatam*, in genere, Eſſe, & ſubſtantiâ ſuâ, ad perſanandas Dyſenterias, Lienterias, & Diarrhœas, ſpectando qualitates roborantes, confortantes, & adſtringentes, plus præſtare, quàm *Aquam ex eâdem elicitam*: cùm antedictæ qualitates non eleventur, & exſtillent, ſed imum petant. Hoc ad Solem clariſſimè exponam, *exemplo Olei ipſius Nucis Moſchatæ expreſſi, Maceris etiam, genuini*, non verò *adulterati*, ut noſtra fert ætas, & Mercatorum fraudulenta induſtria. *His Oleis* ſi debitam quantitatem aquæ affuderis, & deſtillaveris, vix quartam, ne dicam, ſextam partem *Olei deſtillati* colliges, reſiduô in fundo remanente; adeò, ut vix *ſexta pars olei*, habitâ proportione *ad oleum expreſſum*, transeat, dum reliquum in reſiduo, peractâ deſtillatione, aquæ innatans, remanet: quod *reſiduum*, *putà Oleum*, *virtute ſuâ adſtringente*, & *conſiſtentiâ priori magis ſolidum*, multò efficacius experimur in Dyſenteria, quàm illud, quod cum aqua exſtillarat. Hoc, Tibi pro ſecreto dictum, obſervato. *Duriuſculum* inſuper *hoc oleum*, ob ſiccam ſoliditatem, baſis, fundamentum, & *corpus aptiſſimum* eſt, pro conficiendis *omnis generis Balſamis*, lege artis inſtillatis *oleis eſſentialibus*, pro ſpecie balſami diſpenſandi. Cum hoc *Balſama* debitam recipiunt *Conſiſtentiam*, nec rancida aut unctuoſa evadunt, ſicut illa, quibus *ſevum omentorum animalium*, vel *adeps è renibus vitulorum*, aut *Cera*, receptaculum, ac materia prima obtigit. Taceo, quòd intra corpus commodè, & citra nauſeam, *Balſama hæc* aſſumi poſſunt, non ſine prærogativa ad relinqua. Hæc de *Macere*, & *Nuce Moſchata*, dicenda occurrêre.

Nunc examinandum ſe offert *Cornu Cervi præparatum*, quod præſuppono *Uſtum*. Nam hoc ubique locorum *præparati Cornu Cervi* nomine circumfertur; quod priùs *uſtum*, ſuper porphyrite, dein levigatum, prout & reliqua, utpotè: *Perlæ*, *Corallia*, *Oculi Cancrorum*, *Lapides pretioſi &c.* ſuper porphyritem, cum aqua aliqua tantùm levigata, *præparatum* dicitur. Cui non, L. B. hoc artis præceptum, ut olim Phidiæ ſignum, illicò placeat & arrideat? Num cadere hoc in prudentem, ne dicam, Philoſophum potuit, opprobrium hoc Medicinæ ſequacibus dictare? Annon inſatuati hoc eſt, velle nos dementare aut perſuadere, quòd *Oſſa*, è quibus pridem, intenſo ignis gradu tortore & ſatellite (quod in furno figuli, aut lateritio, contingit) *omnis benefica humiditas*, *pars ſpirituoſa*, & *volatilis*, *unctuoſa*, & *radicalis eſſentia*, longiſſimè proſcripta fuit, ad deſtillationes nihilominùs proportionata, ac dyſentericis, virtutibus adſtringentibus, & roborantibus exſtillatis, remedio ſint? Credat, qui volet, amens. Interim ego ad oculum de-

monſtro, quòd ejusmodi *calcinata oſſa*, omni virtute caſtrata, ac in inſulla & mortua corpora redacta, aliud nihil ſint, quàm *exſucca terra, inutilis gleba, & opprobrium Medentium.* Nam, cui libitum eſt, deſtillet, affuſo liquore, hæc *Oſſa*; aut citra liquorem, & ſicca, per retortam, violentiſſimo etiam igne reverberii, per integrum anni Circulum, & nec *guttam liquoris*, nec *oleum*, nec *ſpiritum*, nec *ſalem volatilem* eliciet: &, quod amplius eſt, affuſo etiam liquore, & ſumpto in magna quoque quantitate *Cornu Cervi*, utut ignis gradum intendas, & illud diu multumque coquas, attamen *ſaporis*, *odoris*, ac *cæterorum accidentium*, ne veſtigium quidem deprehendes in decocto. Quid igitur ex *ſesquiduabus drachmis Cornu Cervi* præſtoleris in *Aqua* hâc *Dyſenterica* deſtillanda? Annon eſt hoc, vigilem ſomniare? Verùm ejusmodi abſurditates jam pridem dilui, in *prægreſſis meis Animadverſionibus*, in quibus clarè, & in terminis, docui, quòd *ex Oſſibus* & *Cornubus calcinatis*, neque *volatilem*, neque *fixum ſalem*, unô verbo, planè nihil proliciamus; rotemur deniqué circa nihilum, ſi ex ejusmodi *effœtis oſſibus*, pro humanis affectibus, Panaceas meditamur. Hoc ipſum confirmare poſſem ex Mechanicâ. Experimur enim, quòd *ſteriles ejusmodi terræ, & exſuccæ oſſa*, ad conſtruendas, *omni ſale carentes*, *Capellas Probatorias*, unà cum *cineribus*, *è quibus etiam omnis ſal priùs eliviatus*, indies adhibeantur. Verùm, ſurdo fabulam narro, aut lavo Maurum; dum illi, ingratam mihi recoquentes Crambem, tritum iſtud occinunt: ſic Majores noſtri ſoliti ſunt: hoc ſacrum dogma eſt venerabilis Antiquitatis; non obſervantes interim, quòd ſatius ſit, ſeriùs redire, quàm ſemper currere perperàm. Majores enim noſtri, & Antennates, pro ævi tui, & temporum, injuriâ, non, quæ debebant, ſed quæ poterant, è penu Medica ad nos tranſcripſerunt; dum interim noſtro ſeculo ſemper itum ad majora, & inveniris meliora addita ſunt, ad ſacram etiam invidiam magni Hippocratis, & Galeni. Cum enim Veterum nota fuit Animalium vera Anatome? Sublunarium, & Vegetabilium, craſis, & natura? Mineralium geneſis, & ſoboles? quæ Archetypus, DEUS, in gremio terræ concluſit, ut, maturato ſemine ſuo, nobis fœnora reddant? Taceo innumeras rerum viciſſitudines, & naturæ portenta, à qualitatibus & principiis Sympathicis, & Antipaticis, ſymbolo, aut Magnetiſmo, emanantia? Arcana hæc erant priſco ſeculo, & velut inducto peplo, oculis mentis abſcondita. Quid mirum etiam, hîc, in planô, eos ceſpitaſſe, ignorantes, quòd in *univerſum animalia nihil in ſe fixi* concludant, quàm *terram emortuam, ſterilem, & exſuccam*, in quam aliquando, inevitabili decreto, & lugubri Metamorphoſi, ſunt reverſura; reliqua verò *fugacia ſint*, *& volatilia*, igni pervia, & calori, veluti totidem putredinis primordia, diſpoſitiones, & principia: non ſic *Vegetabilia*, quæ tàm facilè putredinis corruptelam, & corruptionis ſemina, non admittunt; idque *ob ſalem fixum*, qui illis ineſt, eaque

que tutatur. *Mineralia verò* omnis, è contra, corruptionis ferè insciа sunt, *si cum animalibus & vegetalibus* comparentur; & fixa magis, imò quædam fixissima, dici merentur. Verùm me Paradoxa dixisse, multis videbitur, illud in me retorquentibus, quòd, *inter vegetabilia*, *Fructûs Horarii* manifesta principia corruptionis in se concludant: factâque comparatione ad *carnes animalium*, & eorum *partes*, *fructus hos putredini magis obnoxios esse*, *quàm carnes*, unicè contendent; unde, tanquàm alimenta minimè salubria, à Medicis quibusdam reprobentur, desumpto argumento è fonte & parte diætetică; carnibus interim administratis. Quam tamen objectionem perfacilè diluam, argumentis ex Physica petitis, & ab Inductione. Quis enim non experitur, quòd *carnes*, & *animalia*, æstivo tempore occisa, si unô, aut alterô die eorum cadavera perdurent, putredinem protinùs, & vermiculos, concipiant, pestilens μίασμα, & mephitim exhalent, quin ipsa viventia, omnisque generis animalia, quibus vel in alimentum cessere, aut vaporetenus contagium & virus suum impresserunt, vel planè interimant, vel malignos & exitiosos morbos eis superinducant, ac semina pestis divulgent; morbos Epidemios suscitando: idque ratione symboli, & quâdam analogia, juxta receptum illud Axioma: *In symbolum habentibus facilis est transitus*. E contrà verò *Vegetabilia*, & inter hæc, *Horarii fructûs*, utpotè; *Cerasa*, *Poma*, *Pyra*, *Pruna* &c. licet, à stirpe sua avulsa, ad corruptionem inclinent, multô tamen tempore perdurant, & qualitatibus suis homini adulantur; vel maximè, si Solis radii eos non feriant. Quod si etiam corrumpantur, an tetrum quid, cadaverosum, & exitiale, ut cætera, exhalant? An nauseam, & contagium inducunt? An in manifestam pestem exsurgunt? Neutiquam! quin, citra periculum, *cocti*, & *sale conditi*, animalibus in escam cedere possunt. *Reliqua* verò *Vegetabilia*, *Cerealia*, *Frumentum*, *Oryza*, *Hordeum*, *Milium*, *Triticum*, *Amygdalæ*, *Pineæ*, *Pistacia*, *& his synonyma*, in longum perdurant, citra putredinis vestigia; nisi & ipsa, ut suam purpura tineam, & quercus cariem, sibi exitiosum generent vermiculum, qui, solutâ eorum compage, ad interitum illa deducat: ut constet, quàm fragilis sit Creaturæ conditio, quæ, ex se, prima corruptionis semina concipit, & usque in mortem fovet. Hinc non probo quorundam Medicorum institutum, qui ægris, & languentibus, maximè periculosè febrientibus, omnem *Horariorum Fructuum*, etiam decoctorum, usum interdicunt, *carnium* verò, & *animalium*, *esum* libere indulgent; ignorantes, quòd, turbatâ in corporibus œconomiâ, languente vivifico calore, vitiato fermento, digestionum præside, adaucto calore extraneo, *ejusmodi ingesta*, & *carnes*, intra etiam corpus degenerent, facilè putrescant, malignitatem & corruptionem induant, & inevitabilem ægrotantium perniciem ac mortem accelerent, dum *ad ollas carnium* (ejusmodi Medicis lugubrè spe-

ſpectantibus) *fatiſcunt.* At longè diſpari eventu in *reliquis obſoniis* accedit, quæ non rarò lapſam naturam, arcanis ad eadeſideriis, & appetitu, ſtimulatam, in vitam & ſanitatem erexêre. Hiſce ſententiam meam, de *Cornu Cervi uſto*, finio, quod, citra artis & rationis leges, huic Aquæ Dyſentericæ, ab Authore conſtitutum.

Superioribus adjungam *reliqua tria ingredientia*, & *conſtitutiva* hujus Aquæ, *Trochiſcos* ſcilicet *de Spodio*, *de Terra ſigillata*, ac *ſpecies diatragacanthi frigidi:* de quibus quid ſentiam, ex ſequentibus palàm fiet. Et primò quidem, ſicut, in Philoſophia laudabili, Elenchus, & decumanus error eſt, docere, duas formas adæquatas non ſubordinatas, eandem materiam, & ſubjectum, naturaliter poſſe informare; &, quod apud Logicos eſt vitioſus Circulus, hoc apud Medicos peritos, & Chymicos, eſt, compoſita cumulare compoſitis, farragines rerum, citra delectum, aggregare, informe Chaos, ut ſuperiùs annotatum eſt, producendo. Secundò, ſi quis dictorum *compoſitorum ingredientia*, quæ nondum, in ſuperioribus *Aquæ Dyſentericæ* conſtitutivis, numerata ſunt, plenè perſpiciat, videbit, & multa, & obvia quæque, deſtillationi ineptiſſimè committi, & *Aquæ Dyſentericæ* nihil virium ex iis accedere. Sunt autem, præter jam aſſignata ingredientia, è quibus *Aquæ* hujus *Dyſentericæ* compoſitio conflata eſt, etiam ſequentia, quæ *Trochiſcos de Spodio*, *de Terra ſigillata*, & *ſpecies Diatragacanthi*, conſtituunt, nimirum: *Spodium*, *Semen Sumach*, *Amylum uſtum*, *Balauſtia*, *Berberes*, *Gummi Arabicum aſſatum*, *Succus Agreſtæ*, *Sanguis Draconis*, *Succus Hypociſt. concretus*, *Bolus Armena*, *Margaritæ præparatæ*, *Terra ſigillata*, *Corallia rubra*, *Charabe*, *Tragacanthum*, *Semen Roſarum*, *Portulacæ*, *Thus maſculum*, *Coni cupreſſi*, *Crocus*, *Glycyrrhiza*, *Saccharum Penidium*, *Camphora*, & *Trochiſci Ramich*, *qui Trochiſcos de Terra ſigillata iterum ingrediuntur:* in *Trochiſcis de Ramich* autem, præter reliqua, denuò ſunt *Succus Acetoſæ*, *Gallæ recentes*, *Santalum citrinum*, *Lignum Aloës*, *Caryophylli.* Ex quibus omnibus ſimplicibus, has *Compoſitiones* ingredientibus, ſi *Camphoram* excipias, & *Caryophyllos*, ne tantillum quidem virtutis deſtillatione elicies. Me, fateor, jam tædium fatigat, ſingula delineare: quàm apta enim, aut inepta ſint ad deſtillationes, & aquas virtute imprægnandas, ex dictis patet, & ex dicendis clariùs adhuc manifeſtabitur. Videtur mihi Muſica quæpiam hæc *Compoſitio*, ex diſſonis & ingratiſſimis vocibus accumulata, ex quibus non harmoniam, aut concentum, ſed aphoniam expectes. Sic hæc ingredientia ad hunc affectum, illa ad alium, ordinantur: & *univerſaliter ineptæ ſunt omnia* ad deſtillandum, præter paucula dicta, *binario numero* circumſcripta; &, in rigore, illa ipſa duo, primariò, curandam Dyſenteriam non reſpiciunt, imò contrarias affectui qualitates præ ſe ferunt; niſi aromatiſationis gratiâ adjuncta ſint. Dein Quercetanus non eſt aſſecutus Authorum

rum mentem, qui *ejusmodi Compositiones* & *Trochiscos* evulgarunt. Non enim *aliis denuò Compositis inferendos* præceperunt, sed ut in *propositâ formâ*, *& substantiâ suâ*, *in Pulverem*, *& Alkohol*, *redacti*, Dysenterias, Diarrhœas, Cruenta Sputa, Hæmorrhagias, & Pectoris internas affectiones, persanarent: sin cui libitum foret, *Rotulas cum saccharo* ex iis conficiendo, quemadmodum *ex speciebus Diatragacanthi frigidi* consuetum est, ægros sublevare; hoc minimè improbandum foret.

De cœtero, si, his omnibus jam examinatis, calculum quoque subducere placeret, de prædictis *Compositis*, & *eorum* etiam *ingredientibus*, quantum scilicet, *de unô aut alterô ingrediente*, hanc compositionem *Aquæ Dysentericæ* ditaret, & quantum post *quamlibet dosin*, hanc eandem *Aquam Dysentericam*, de *hoc vel illo prædictorum compositorum simplici*, *intraret*, divisiones essent nunquam tot, quin plures, uti in infinito sincategorematico fieri, solet, & myriades atomorum sub divisionem caderent; nec minus risu dignus futurus calculator, quam olim Plato, cum suo Deorum principio, aut, cum Pantamorphe, noster Avicennas. Aliquod tamen specimen per transennam spectandum dabo.

Totam compositionem *Trochiscorum de Ramich* ingreditur *Ligni Aloës uncia semis*: Cùm *integra* hæc *Compositio Ramich* (prout *Dispensat. D. D. Augustanor.* inserta est,) pendeat *uncias novendecim*. Continet igitur *drachma una Trochiscorum* horum *Ramich*, *Ligni Aloës granum unum & dimidium*, *circiter*. Ergò, cùm sæpè dictorum *Trochiscorum de Ramich*, *drachma una tantùm* totam compositionem *Trochiscorum de Terra sigillata* denuò subintret; consequenter *de Ligno Aloës*, *cum his Trochiscis Ramich*, tota compositio *Trochiscorum de Terra sigillata granum unum & dimidium* acquirit. Ultrà nunc, integra *Trochiscorum de Terra sigillata* compositio, quam, uti dixi, *granum unum cum dimidio circiter Ligni Aloës* ingreditur, pendet *uncias tres*, *cum dimidia*. Continent igitur (quod benè notandum venit,) *drachmæ duæ*, *cum dimidia*, *horum Trochiscorum de Terra sigillata*, (nam tantum subintrat, de his *Trochisc. de terra sigillata*, hanc *Aquam Dysentericam*, quam nunc eventilamus) de dicto *Ligno Aloës*, *unam & dimidiam partem*, *dimidiæ sextantis partis*, *unius grani*: si ita loqui licet; nam alia non suppetunt verba, quibus rem extricemus. Jam porrò necessum est, ut ulterius progrediamur hâc subdivisione, si dosin eruere velimus, quantum scilicet *dosis unæ Aquæ hujus nostræ Dysentericæ* recipiat virtutis (cui immediatè immediatione virtutis, non suppositi, inest) è dictis *atomis*, *& minutiis Ligni Aloës*. Esto igitur, quòd extent totius hujus *Aquæ Dysentericæ libræ decem* & propinentur, aut constituantur, *unciæ tres*, sive etiam *quatuor*, *ad unam dosin*; quæ erit *trigesima sexta pars* ipsius *Aquæ Dysentericæ*: quantum, quæso, constituet hanc *trigesimam sextam par-*

tem, tanquàm *unam doſin* hujus ſæpè dictæ *Aquæ Dyſentericæ*, *de una & dimidia parte*, *decimæ ſextantis partis unius grani*, *Ligni Aloës?* (Tantum enim atomorum, non plus, univerſa compoſitio, i. e. *decem libræ* hujus *Aquæ Dyſentericæ*, & quidem virtualiter ſaltem, comprehendit; modo ſupradicto.) Verùm hæc rudi Minervâ, & ſuperficietenus, à me in cenſum ſunt adducta; cætera enucleanda relinquo iis, quibus felicior Suada, & eloquentia obtigit; cùm nec Oedipus ſim, qui pro Myſterii dignitate ænigma reſolvam. Habet tamen curioſa hæc reflexio, & metaphyſica ſpeculatio, & ipſas ſuas utilitates. Eruet hinc ſenſatus Medicus, quàm procul extra forum Naturæ aberrent ejusmodi Authores, dum languida, & infida ſua remedia, & compoſitiones, ſpecioſô titulô, magnificiſque promiſſis, velut infami ſtybio, adulterant; incautos Medicos alliciunt, & procantur; donec aliquando piſcator ictus ſapiat, & Medentes infamia notentur, dum Ægri, inter lachrymas orphanorum, præmaturiùs obeunt, luctuoſa ſæpè cataſtrophe.

Hoc emendato errore, quo ſcilicet *Compoſita Compoſitis* tavtologicè addi ſolent ad *Lapidem Hæmatitidem* ſuccincto calamo procedo. Omnibus in propatulo eſt, quod *Lapis Hæmatitis* medicamentum ſit aptum, proportionatum, ac fidum, ad curandas Hæmorrhagias, Fluxus Alvi cruentos, & Dyſenterias, ſive in ſubſtantia ſuâ, ſive in eſſentiâ debitè parata, exhibeatur. At nemo tàm eſt hebes, aut Philoſophaſter, qui aſſerat, *hunc Lapidem* idoneum eſſe ad ſuſtinendas ſimplices deſtillationes, & *liquores ex eodem eliciendos*, propriâ ſuâ virtute præditos. Omnes quidem in hac ſententia erunt, tantum liquoris & humiditatis ex eo profuſum iri, quantum ex pumicibus deſtillatis. Error hic, in genere, moris eſt, peccat, & excedit, in ſpe, & fiducia. Credunt enim ejusmodi Authores, quod, ſicut in Cataſtam acti, ad inſolita revelanda ducuntur, ſic *Mineralia*, *Lapides*, & *fixiſſima quæq;*, ſub noſtra tortura, ad effectûs Thaumaturgicos, ad ſudandum liquores, qui regulariter illis non inſunt, ad *volatiſationem*, compellantur; negligentes interim, obſervare, quòd *ejusmodi fixa* etiam *ignem reverberii* conſtanter ſuſtineant: quidnihil in Alembico repugnatura? Ergò nihil virtutis, vi deſtillationis, elicitur *ex Lapide Hæmatitide*, qui de naturâ *Chalybis* eſt, ac proinde Dyſentericis, Fluxu cruento, &c. laborantibus, aſylum, & ſacra anchora futurus, ubi *in ſubſtantia* propinabitur. Suadeo igitur, hoc in paſſu, Quercetanum, magnæ alioquin famæ, virum, demirari potius, quàm æmulari.

Venit ſub torcular, & noſtrum examen, *Succus Acaciæ: qui*, *ut inſpiſſatus*, *de Claſſe Vegetabilium*, & quidem *maximè terreſtrium*, eſt. Vires ejus ſunt adſtringentes, qui, ſi habuiſſet *partes tenues*, *ſubtiles*, & *exhalabiles*, illæ jam dudum in inſpiſſatione ejus exhalaſſent; quæ verò reliquæ, ab inſpiſſatione, manſere, utpotè *partes craſſiores*, *terreſtriores*, *adſtringentes*, nunquàm commovebuntur, licet in infini-

finitum, per B. M. affusô liquore destillentur: quod, præter rationem, ipsa experientia evincit, & ipse Quercetanus confirmat, qui compositionibus suis *decoctorum*, & *extractorum*, quibus hunc *succum Acaciæ inspissatum* crebrò adjunxit, (non obstante, quòd modo destillandi opponantur) testis luculentissimus satisfacit.

Sequuntur *Aquæ destillatæ*, ad hanc quoque *Compositionem* derivatæ. Harum qualitates ex ante dictis notæ sunt, ubi demonstravimus, quòd *ejusmodi Aquæ nullas virtutes adstringentes, aut sapores acidos*, contineant, remanentibus hisce qualitatibus in residuo, maximè, si largâ affusione aquæ sint destillatæ. Nihilominùs tamen *quædam ex his Aquis per Baln. n. vaporosum, & sine additione destillatæ, v. g. Chamæmeli, Verbasci, & Plantag.* vi suâ carminante, refrigerante, & consolidante, iisdem affectibus destinari possunt, quibus hæc nostra *Dysenterica*, vel ipsâ rerum magistrâ Experientiâ. Nunc

Præcipit Author, ut *singula præmissorum Ingredientium studiosè infundantur & exprimantur, ante eorum destillationem.* Ad vitandam autem hanc inutilem operam, repetantur dicta, *in Animadversionibus nostris super Aquas destillatas, in genere:* ubi declaravi, quòd omnia, quæcunque destillanda, ipsum etiam *Cinamomum, Anisum, & quæ partium tenuium sunt, simplicia vegetabilia*, plus de proprio odore, & sapore, fundant, si ana cum *affusis liquoribus suis* destillentur, quàm si *prædictus liquor, à rebus* per colaturam, & expressionem, separatus destilletur. Docui præterea, quòd *Aquæ ex radicibus, herbis, floribus* (subintellige, destillationi aptis) *destillatæ*, longè antecedant illas, quæ *ex succis earum expressis* eliciuntur; quare hîc eadem denuò inculco. Cæterùm, sive *species, unà cùm suis aquis affusis*, sive *aquæ saltem, speciebus affusæ*, & *denuò ab illis, per colaturam, & expressionem, separatæ*, destillationi committantur; nihil tamen virtutis huic *Aquæ Dysentericæ* communicabunt: prout ex dictis superiùs latissimè patet.

Opium quoque hanc *Compositionem* constituit, quod, ex mente Authoris, *narcotico Sulphure suo* veternum inducit, ideoque antequam compositio uniatur, *à deleteriâ & narcoticâ qualitate*, ignis beneficiô, castrandum est. Hoc ipsum *Opium est succus inspissatus, aliquantò resinosus partibus suis tenuioribus privatus*; quando per ignem, & inspissationem, ejus qualitates tenuiores attenuatæ, exhalârunt; quæ solæ per Alembicum transire debebant. Quod si verò, ad *eliminandum narcoticum sulphur residuum*, (quod tamen non semper veternum inducit, observatâ competenti dosi) igni leviori subjicias denuô, quid, pro levi hâc destillatione, virium eliciendarum superfit, nescio. Imò *crudissimum Opium*, per se, adjectis liquoribus destillatum, nihil virium ferè narcoticarum tribuit simplici hâc destillatione: taceo, *exsuccum.* Servat enim, sicut reliqui *succi concreti*, vires suas. Igitur & *Opium* in hâc destillatione inefficax est.

Venio ad *Extractum Dysentericum* examinandum. Id ex quibus simplicibus conficiendum sit, facili conjecturâ assequor; quanquam ejus *Compositio*, inter *reliqua Extracta hujus libri*, non compareat. Utut sit, interim nominis, & Extracti, seu etymi, ratio, forma, & modus parandi, denotat, cùm, more aliorum Extractorum, parandum, quòd ad ulteriores destillationes planè ineptum sit. Quâ enim ratione id, *quod semel destillatum*, vel *abstractum*, in fundo tamen Alembici vires suas integras, à destillatione, retinuit, quomodo, *in secundâ destillatione*, vires suas, quæ sunt *abstringentes*, *roborantes*, *consolidantes*, communicabit? cùm omnes *res adstringentes* vires suas, inter destillandum, reservent, etsi decies repetatur ejusmodi destillatio simplex. Ergò & *hoc Extractum* citra propositum huic *Aquæ* ab Authore designatur.

Subsequitur *Crocus Martis*; ex naturâ suâ insigne Dysentericum, quem, puto, intellexisse Authorem, qui *sit Adstringens*, non verò, quem vocant, *Aperientem*. Uter horum sit, semper tamen *adstrictivus* in Dysenteria primas tenet; neuter tamen horum, citra manifestum errorem, unquam destillationi commissus fuit. Ut iterum atque iterum tantum Authorem demirer, quônam pactô tantas in Medicina hæreses docuerit, alienas à sensibus, & ratione. Verbis hîc parco, quibus hunc errorem convellam; Tyronibus hæc nota sunt, quibus notis fixa, à volatilibus, destillationes simplices, à calcinatione, & reverberatione, differant: vel ex ipsis Mechanicis evidens est, quòd *Metalla ex naturâ suâ durissima*, *fixa*, ut liquentur, intensissimum ignis gradum, & follis subsidium, requirant; & ut *in Crocum* abeant, tanquam *in corpus*, *omnibus suis qualitatibus fixissimum*, ignem reverberii (quô nihil efficacius) efflagitent. Quî ergò per destillationem, affuso tantùm liquore simplici, in altum deduci poterunt, ac inauditâ metamorphosi, cùm *fixissima* sint, instantaneâ actione *in volatilia* transibunt, ut instar aquæ per Alembicum ducantur? Implicatorium sanè est, nisi quis, sine fronte, & veritate, retorqueat absurdum illud; nimirùm, *manent etiam in fixis virtutes volatilium*. Cui quidem, pro dementiâ suâ, Helleborum suaderem potiùs, quàm literatè responderem. Quæro tamen, nùm ignis reverberii remissioris gradûs sit, quàm destillatorius; quod ad oculum, falsissimum est. Si ergò in igne reverberii volatizari non potuit, aut, si potuit, quod volatile fuit, evanuit: quomodo ergò per destillationem volatilisabitur? Dices; contingit hoc beneficiô vehiculi, quod, Dædaleâ ope, Icaro suo extemporaneas affigit pennas, & eum volatizat. Verùm indignum est hoc Philosopho dogma: experiuntur longè alia exercitati Chymicorum actûs; quibus notissimum est, quòd *fixa virtute suâ leges fixorum* teneant, & *volatilia volatilium*, & fixa præstent volatilibus. Noverunt etiam Adepti, non cuivis Unguentario à Patre Luminum datum, ut, remotô ab oculis peplo, ac velamine, in luce ambulent, ac cognoscant, quàm ardu-

arduum ſit, *fixa volatiſare*, & *volatilia fixare*; idque non accidere, niſi vocatis in auxilium principalibus Chymicorum auxiliis, quibus *volatilia*, *per diuturnum & ſiccum calorem*, fixantur, & *fixa*, beneficio *diturnæ putrefactionis*, volatiſantur. Hæc non Rhetorem, ſed Chymicum conſummatiſſimum exigunt. Verùm hîc Rhodus; hîc ſalta. Sanè, me pœniteret operæ locatæ ſudoris & laborum, tàm tædioſum tractare argumenrum & ſurdaſtro fabulam canere, niſi Medicinæ Tyronibus, velut cum lacte, per diſcurſum, genuina Chymiæ & Pharmaciæ principia, & theoremata, ſimul inſtillarem; queîs inſtructi, indignas Authorum nænias, & aniles ſabellas, declinent; ne deinceps ejusmodi mendoſa dogmata, in manifeſtam Ægrorum, & Medentium, perniciem, virulento ſomite, transplantentur.

Penultimum hujus *Compoſitionis* ingrediens *Crocus* eſt *Orientalis Vegetabilis*: quò pertranſito, & examinato, *Compoſitioni* huic colophonem impoſiturus ſum. *Aroma* ſanè *precioſum* eſt, à nonnullis, per antonomaſiam *Philoſophorum Aroma* dicitur *Crocus*, virtute gaudens anodina, ſomnum adfert, pectoris affectiones reſpicit, cor tutatur, ac vitales ejusdem demulcet ſpiritûs: præſertim verò vis ejus anodina elucet; unde iteratò eum variorum Authorum *Compoſitionibus* ſubſtitutum videmus: quò & motivò fortè ductus Quercetanus, eum *Aquæ Dyſentericæ* inſeruit. Quæri igitur poteſt, nùm *Crocus*, juxta artis, & naturæ, leges magis in *formâ Extracti*; an ſub *Deſtillationis*, *Liquoris elicitι*, *formâ* præparari debeat? in formâ *Extracti* ubique in Officinis proſtat; in *Liquore deſtillatus*, nullibi locorum reperitur. Ad hoc quæſitum cum fundamento reſpondeo, ſi rigoroſè loqui velimus, nec ſub *Deſtillationum*, nec *Extractorum*, formâ *virtutes*, *& Balſamicas Croci partes*, perfectè contineri; plus tamen *ejusdem Extracto* virium cotreſpondere, quàm *Aquæ ex eodem ſtillatæ*. Satiùs ergò foret, ſi citrà nauſeam ægrorum accidat, *Crocum in ſubſtantiâ ſuâ*, non violatum, medicamentis addere; aut *Eſſentiam* ex eô parare. Cuicunque enim *menſtruo aquoſo*, vel *ſpirituoſo*, committatur, virtutes ſuas illi concredit. Nam, ſive cum *Spiritu Vini*, ſive *Aquâ*, eum extrahas; fieri non poteſt, quin, in *menſtrui illius abſtractione*, ad legitimam *Extracti conſiſtentiam*, plurimæ partes ſpirituoſæ & volatiles avolent: quam jacturam reſarcire non poteris, more à nobis ſuperiùs edoctô, in *Extracto Abſinthii*, ſcilicet *per additionem Olei Eſſentialis Croci*, quod nullibi extare legimus, nec vidimus. Ut autem ex *Croco ſal eliciatur*, caro conſtaret, & ſalſum foret, ne dicam, inſulſum. Non enim ex *uncia una*, *aut altera* (prout multi ſuperſtitioſè credunt, quando, ſtupido auſu, è reſiduis quandoque, à deſtillatione, paucis ſpeciebus *ſalem fixum* educere præcipiunt) *ſal in copiâ* elici poteſt; ſed libræ aliquot quandoque, vegetabilium quorundam, non ſufficiunt pro elicienda *unâ*, *vel alterâ*, *drachmâ ſalis*, prægreſſâ legitimâ incineratione. Quod

si Scioli quidam observarent, non temerè adeò præciperent, ex *paucis vegetabilibus*, in magna quantitate, *salem fixum* extrahere. Cùm ergò *partes illæ spirituosæ Croci* exhalent, neque conservari, nec redintegrari possint *in Extractis*, deficiente *Oleo & sale Croci*; sequitur, quòd *Extractum Croci* in multis ejusdem virtutibus deficiat. In destillatione idem nodus Gordius solvendus est. Nam quod in *abstractione Extracti Croci*, *de partibus tenuioribus æthereis* perit, vel unà cum menstruô, per destillationem abstracto, ut justam *consistentiam Extracti* possideas, evanescit; idipsum, vel easdem planè *partes tenuiores Croci*, *in destillatione aquarum conservamus*, ne evanescant: interim tamen *partes potiores*, *roborantes*, *terrestriores*, *maximi effectûs*, in destillatione subsidunt; quibus aquæ, ab eodem destillatæ, penitùs viduatæ sunt. Neque etiam illud, quòd *à Croco*, *in destillatione*, *residui manet*, cum commodo aquis restitui potest; quò minus aquæ nauseosæ exindè evadant: quod ut quàm maximè caverem, omnem movi lapidem, in *præfatis meis Aquarum Compositionibus*, adeò, ut, ubi *Crocum*, ad aquas destillandas, v. g. Cordiales, Alexipharmacas, Hystericas &c. destinavi, semper *Croci proportionatum pondus reliquis speciebus* addiderim, quò aquis destillandis *tenuiores partes suas* communicare posset: ipsi deinde rostro Alembici *particulam Croci* indidi, ut partes infimul roborantes, tanquam copiosiores, ejusdem transeuntibus spirituosis aquis imprimerentur & consignarentur. Ex his inferes, L. B. Authorem hunc solùm deliquisse in *proportione ipsius Croci*, huic *Compositioni* additi, cujus *unam* saltem assignavit *drachmam*: quasi verò *drachma unica* vires copiosas anodinas adstringentes, & roborantes, possideat, & aquæ communicatura sit. Satiùs igitur, me judice, egisset, si *Crocum rostro capitelli* immisisset, præsertim in exiguâ quantitate hâc, ut, communicatis partibus tenuioribus, & roborantibus, etiam crassioribus, refluos liquores, & *Aquam Dysentericam*, velut *Essentiam*, exaltasset; cùm non sit *remedium in Dysenteria ferè præsentius*, *Essentiâ aut Extracto*, *Croci*, quæ omnem Aquam, *è Croco* stillatam, longè exsuperant; quantumvis in magna copia destillationi commissus fuisset *Crocus*.

Quòd si verò, L. B. expetas Regulam, & Modum, quô Medicamentum efficax parari possit, Essentiam, & vires singulas *Croci* plenè referens; subsequentem observato Methodum:

℞. Croci Austriaci, seu Orientalis, uncias tres.

Huic, Alembico vitreo immisso, superaffunde

Spiritûs Vini rectific. atque duabus vicibus à recent. flor. Lilior. convall. s. q. abstracti,

Aq. Flor. Arantiorum, per *Baln. n. vaporos.* stillat. ana libram unam.

Factâ pòst maceratione, diebus aliquot, in leni calore, evocetur, destil-

lando

lando in B. M. vel vaporoſo, *totus affuſus ſpiritus, & Aqua:* quâ ſervatâ, interea temporis *Crocus, in fundo Alembici relictus*, extrahatur cum *ſ. q. Spiritus Vini, repetitis vicibus affuſi*, usque dum omnis *Tinctura Croci* extracta ſit. *Extractiones* pòſt, ſeu tincti *Spiritûs* omnes filtrati, in Alembico vitreo, per Baln. Mariæ abſtrahantur, ad *Extracti* conſiſtentiam. Hoc *Extractum* nunc ſolvatur cum *priori Aqua ſpirituoſa, à Croco abſtracta*, filtretur, & diligenter cuſtodiatur; tanquàm excellentiſſima *Croci Eſſentia*; in frigidis æquè, ac calidis affectibus proficua. Nam etſi illam libenter cum *deſtillatis* tantùm *aquis*, nullô adjectô *Spiritu vini*, conficere præcepiſſem, obſtitit tamen hoc, quòd eſſentia, iſtô modô parata, ſubſiſtere ad tempus nequaquam poſſit; quin ſitum protinus contrahat, ad breviſſimum tempus vix duratura.

Et ſic, cum *Croco*, examen, & cenſuram, in has tres *Aquarum deſtillandarum* Quercetani *Compoſitiones* erroneas, concludimus; in quibus non parvos, nec leves, defectûs Soli habes expoſitos, rationibus Phyſicis, ſolidis, Experientiâ ipſâ, & vel ipſius Authoris teſtimonio, dilutos.

Habes nec non, L. B. Regulam, & normam, aut, ſi mavis, Lydium lapidem, adquem reliquas, hujus Authoris, *Compoſitas Aquas* probes, & explores: quæ ſanè tot ſcatent erroribus, quot conſtant ingredientibus; ut merito virô indignas cenſeas, & Apocryphas dixeris.

Hoc autem grave laboris opus in Tui, L. B. favorem & commodum ſuſcepi; ut deinceps, tot adductis rationibus Phyſicis, & Practicis operationibus, confoſſo propriis argumentorum telis Authore, videas, quâ nam via impoſterùm incedas, mediâ tutiſſimus. Hanc ego Tibi, ſpinis & ſentibus ante hac infamem, ac horridam, meo candore tritam, ac regiam effeci, &, velut digito innuens, manu Te duxi, ad ſacram invidiam, utinam æmulationem, cœteris Scriptoribus qui ſecreta, & talentum ſuum intra ſe ſuffocant, ac novercali odio retrò agendæ Poſteritati injurii, defodiunt, & tumulant.

Transeo à Quercetano ad quadam *Aquarum deſtillandarum Compoſitiones, ex Armamentario Hadr. Mynſichti* depromtas; quas pariter æquâ lance libraturus, explorabo; num illud, quod hæ *Aquæ*, & aliorum *Medicamentorum Compoſitiones*, gloriæ ac famæ pondus præſeferunt, à parte rei contineant. Sit ergò, quæ agmen ducat.

AQUA ANTIPHTHISICA MYNSICHTI;

quæ ſic ſe habet:

℞. *Conſ. Radic. Conſolid. major. Roſar. rubrar. ana lib. j.*
Micæ panis tritic. ℥iiij,
Pinearum mundat.
Piſtach. virid. ana ℥iij.
Rad. Chinæ ℥ij,
Elor. Epat. albæ,
Rorismarini,

Medull.

Medull, nuc. Indic. an. ℥j.
Macis ʒß.

Confractis & contusis affunde, in mortario capaci,

Aq. Pulmon. vituli,
Plantaginis,
Caponis, an. lib. j.
Cinamomi bugloss.
Veronicæ,
Scabiosæ, ana lib. ſ.

Stent in Infusione per octiduum; aliquoties in die movendo; postea adde

Succi Tussilaginis expressi,
Lactis caprini, ana lib. j. ſ.
Sanguin. Porcelli unius,
Limacum è suis testis extract. & contus. ʒiß.
Hepat. Gallinarum num. tria,
Croci Orient al. ʒj.

Denuò misce, & B. M. per Alembicum destilla.

Affinis *hæc Compositio* est *Aquæ Dysenthericæ Quercetani*, pauca, vel nulla, ingredientia numerans, quæ apta destillationi, aut liquorem destillatum fœcundent. Sterilem hîc habemus messem; paleas nihilominùs eventilabimus, ut illam horreo aptemus, quam conservandis & relevandis Ægris aptam judicaverimus; servatô ordine, quem suprà observavi.

Primum obtinet locum, *Conserva Rad. Consolidæ major.* Cujus *radicis* Crasin quod attinet, *naturæ terrestrioris est, omnis odoris expers, perpaucô sapore prædita.* Si cum *Aqua* coquatur, vires ejus intactæ manent in *decocto*, quod mucilaginosum & viscidum reddit; adeò, ut exindè nonnulli suspicati fuerint, *Radices* has tantâ vi glutinante, & consolidante (observatâ etymologiâ nominis) pollere, ut, si carnibus frustillatim sectis, in lebete coquendis, uniantur, novam inter eas unionem producant, & unum quantitativum constituant. *Hæc Radix vulnerariis potionibus & decoctis* principaliter dicatur: (illud tamen observando, ne modus in *decoctione*, quæ levis esse debet, excedatur, quòd mucilaginosum aliàs datura sit liquorem,) quare adversus ulcera, virtute consolidante, & nonnihil adstringente, foris, & intùs, vulneratis adhibita, multum conducit: quòd si verò diutius *coquere* contingat, ad mucilaginem usque, sanandis herniis, & glutinandis, deforis, lege artis, cum reliquis adhibita, aut in forma *Cataplasmatis* extensa, inservit. Ut autem procedas, sive *Cataplasma*, sive *Decoctum*, ex illâ appares, *quidquid virtutis consolidantis & glutinantis* in se continet, omne illis communicatur, ne minimâ parte ejusdem per superiora exhalante. In his circumstantiis, quid efficaciæ, beneficiô *destillationis, ab hâc radice exspectemus?* An non *Decoctio*, & *Elixatio*, violentior est *Destillatione*, affusô liquore, factâ in M. B. aut vaporoso? At si *in decoctione vires ejus non elevantur* ad superiora, sed *in decocto* latent; quî fiet, ut per *Alembicum* ducantur: Ut adeò hæc *Aqua Antiphthisica* nihil minùs, quàm *virtutes Consolidæ* referat. At, concedamus, posse fortè ex *Radice, recentissimè effossâ*, beneficiô Balnei nostri vaporosi, sine addit. destillatâ aliquid virtutis, unà cum humiditate

ditate elementari, exhalare; sed, quæso, ad quid perditio hæc, quòd ejus locô, *Conserva ejusdem, propter sacchari admixtionem*, ad destillationem ineptissima, substituitur: cùm *Conservæ hujus libra una*, pro tertiâ saltem sui parte, *unciis quatuor scil. è Radice* constet; reliquæ duæ partes, *unciæ scilicet octo, ex Saccharo* sint, pretiumque Conservæ pretium Radicum decuplo adæquet, aut superet. Quid, quæso, *ex Saccharo* destillando eliciet prudens Medicus, aut Chymicus, quod pridem tot *torturis, coctionibus, clarificationibus, in primâ suâ confectione*, ad debitam & solidam consistentiam redactum est, antequam ex peregrinis regionibus, quasi ultimâ Thule, ad nos defertur? An enim destillationi subjiciet? An *Conservæ;* seu *Radici destillandæ*, per Alembicum, & Balneum vaporosum, *Saccharum* humiditatem conferet? Lixes, quantum voles, coque, recoquito, aut destillato, *Conservam* hanc, diebus & noctibus; firma & fixa, cum omni virtute suâ, in residuo durabit, ne vel atomo virtutis in Alembicum stillante, aut elevatâ. Num imbecillis juventus hîc ab Authore instituenda venit, quæ nucibus & bellariis in obsequium trahitur; an ad Medicos ei sermo est, dum futilia ejusmodi documenta proponit? Annon satius esset, *ipsam Conservam, sub formâ Ægris gratissima*, iteratò suadere, & sic Phthisicis consulere, quàm saccharum prodigè immolare?

Succedit & altera *Conserva*, ex *Rosis* parata, eandem cum priori induta larvam; quanquam ab eâ nonnihil discrepet: quòd *Conserva Rosarum* aliqualem *fragrantiam, vires, facultates* q. *Cordiales, Cephalicas*, & *refrigerantes*, inter destillandum, communicet; nihilominùs tamen *residuas dotes, ac vires, Rosarum magis roborantes, mediocriter adstringentes*, hepati ac pulmonibus dicatas, ac summè desideratas, unà cum *sapore suo amariusculô*, inter destillandum, in residuô depositet. Unde Praxis nos docet, quòd *Conserva Rosarum*, iteratò Phthisicis exhibita, plurimum conducat; non item *Aqua Rosarum.* Verùm profusio hæc *Rosarum, unciæ* scilicet *quatuor*, tanti non esset ponderis, quin simulare possemus, nisi & *dupla saccharo quantitas, unciæ nimirum octo*, quibus *una libra Conservæ Rosarum* paratur, malesanâ prodigalitate pessum irent: quod ex dictis liquet. Pretium igitur huic *Aquæ Antiphthisicæ*, non à præstantibus *Rosis in Conserva;* sed à pretio, & sumptibus *saccharo*, Ægro luendis, accedit; quatenus *saccharum*, ad aquas stillandas, auctiori dosi imperatur; cum sine hoc, præstaret, destillare.

Nunc de *Panis Mica* sermo mihi habendus est; quam cùm primâ fronte huic *Compositioni* insertam legerem, facetum illud mihi mens suggessit, quòd hîc Author Medicinam pauperum, aut ollam in subsidium egentium proponere voluerit. Quis non subrideat, hæc secum altius ruminans, quòd *Aqua, ex Micis Panis destillata*, Phthisicos curare debeat, quos nec *unciæ aliquot Panis*, in substantia, indies per se, aut in Panatellis devoratæ, à Phthisi liberare

rare valent? Si Phthiſici ex *deſtillatis Micis Panis* illicò nutriri poſſunt, cur non *Panis & Micæ*, in Eſſe ſuò, & ſubſtantiâ, exhibentur? Ego in hâc ſententia ſum, quòd *uncia una Panis in ſubſtantiâ exhibita*, plus enutriat, quàm *omnis Aqua, ſimul & ſemel exhauſta*, quæ è decem libris Panis exſtillârit. Et verò quid, per deſtillationem, *à micis Panis* exprimes virtutis? Unô verbo dicam; *Nihil! Aqua prodibit elementaris, virtute, nutritivâ intactâ, ſed ad reſiduas ſubſidente*, ut, qui, licet per integrum diem coctus fuerit, Panis, nihil tamen deperdat de partibus ſuis nutritivis. Nam (Philoſophum conſulo,) ſi *partes aliquæ volatiles*, aptæ natæ ad deſtillandum, *Micis Panis* ineſſent, annon violentâ illâ Panis coctione, quæ in piſtrinâ indies accidit, quicquid *ſpirituoſum*, & *exhalabile*, *Panis* contineat, volatizatum evaneſceret? Et, rebus ſic conſtitutis, *Panem veſceremur, ad nutriendum inidoneô*, omni ſubſtantiâ in furno, & igne, exutô. Sanè indignitas rei, & argumenti, ad ulteriora me progredi cogit.

Pineæ, & *Piſtachiæ viridis*, huic *Compoſitioni* cur inferantur, haud ſatis aſſequor. *Bellaria* ſunt, *Fructûs nutritivi*, culinis, ac quadris, quàm Officinis noſtris, pro deſtillatione, aptiores; ex quibus pariter, etſi ſæpiùs deſtillationibus adhibeas, nihil utile elicies, *fructibus decoctis, cum omni ſuâ ſubſtantiâ*, in reſiduo manentibus; quos ſi, etiam à decoctione diuturnâ, iterum debitè ſiccares, *Oleum proprium*, & *genuinum*, exprimere poſſes. Quid ergò in deſtillatione virium dabunt, qui in alimentum, aut condimentum, potiùs nati ſunt? Ut ex iis variè noſtri *Cibi condiantur*, vel contuſi *Emulſionibus* adhibeantur; & ſic, in ſubſtantiâ exhibiti, nutriant, humectent, impinguent, Phthiſicos; minimè verò deſtillentur. Igitur & hæc duo planè inutilia, *Aquæ* hujus ingredientia, dimittimus; cùm nihil frugis in deſtillatione fundere habeant.

Succedit *Chinæ Radix*. En! *Cantherius in Portâ*. Quis non (DEUM immortalem!) tàm inſulſa præcepta, tàm inconcinnam hanc deſtillandorum legem, & ametriam, nauſeet, & abominetur? Cui unquam adeò *pro Cerebro palea obtigit*, ut *Chinæ Radicem*, nullô ſapore, niſi ſubadſtringente, præditam, inodoram, minimè aromaticam, deſtillationi committere velit; quam tamen totus Medicorum populus coqui, recoqui, jubet, & ordinat, ut ejus vires, & indoles, inter decoquendum extrahantur, & ægris propinentur? Indignitas rei (pace tuâ, L. B.) hoc mihi verbum extorquet: Trabes impoſterum, & palèas, deſtillabimus, & convincemus Majores noſtros, quòd falſum ſit, quin ex quôvis trunco fiat Mercurius. Tu interim, L. B. *Chinam*, mecum, *Extractis*, & *Decoctis*, deſtina; ſenſatus futurus Medicus.

Pedem moveo ad *Flores Epaticæ albæ*, & *Rorismarini*, vel ipſum *Roremmarinum*, quos ſuccincto examine dimittam. *Flores hi Balſamici*, fragrantes, & aromatici ſunt, præcipuè *Flores Rorismarini*: quare in confeſſo eſt,

eſt, quòd, inter deſtillandum, communicatis partibus ſpirituoſis & [rarefactis, *Aquas* ſuas imprægnent. Illud ſolùm deſiderem, quod non *auctiori doſi*, aut *pondere*, hanc *Compoſitionem* ſpectando, ordinati fuêre; unde multum virium accederet huic antiphthiſico Liquori. Ego, pro eâ, quâ ducor, ratione, potiùs *Conſervam Florum Anthos*, & *Hepaticæ albæ*, unâ cum Conſervis ſuprà eventilatis, Ægris ejusmodi exhiberem, ſervatâ doſi & tempore. Ex quibus, quin plus levaminis, & virium, quàm ex deſtillata hâc *Aquâ*, ſenſuri eſſent Phthiſici tabeſcentes, nullus dubito.

Ordo tangit jam *Medull. Nuc. Indic.* Poſſet autem quis in hoc nominis etymo dubius hærere, quid per *Medullam* hîc Author intellectum velit. Non agnoſco aliam *Medullam Nuc. Indicarúm*, quàm *ipſas Nuces Moſchatas*; quia hæ ſunt vera *Medulla Nucum Indicarum*, incluſæ prius cortici duro; qui cortex iterum obductus eſt tenuiori involucro, eôque flaveſcente rubeo, ſeu *Floribus Macis* dictis; quæ contenta omnia, exteriùs, putamine, ſeu carne ſatis craſſâ, aut pulpâ, rurſum teguntur; hæcque per maturitatem dehiſcit, ut in Juglandibus; ad quarum æmulationem & formam hæ producuntur. Non igitur perſuaſerim mihi, Authorem hanc *Carnem à Nuce Indica conditâ totâ*, neque conditæ *hujus Nucis nucleum* integrum, qui verè *Medulla Nucis hujus conditæ* dici meretur, intellectum voluiſſe, (recens enim, vel cruda, Nux Indica hîc terrarum non reperitur) ſed potiùs *Nuces Moſchatas ipſas*. Ambiguum nihilominùs me, & alios, reddere poteſt, abbreviatio, vel non integra expreſſio, Caſus, & Numeri. Si enim per abbreviationem, & contractionem, ſcripta hôc modô legas; ſcilicet, *Medull. Nuc. Indic.* tam in Singulari, utpotè *Medullæ Nucis Indicæ*; quàm in Plurali Numero, nimirum *Medullarum Nucum Indicarum*, intelligi propoſitio poteſt. Si in Numerô ſingulari accipimus, utique *Carnem* intellexit, *à Nuce Indica conditâ*; quia unica ejusmodi Nux, Carnis, quam vocant, quæ exterior Nucis cortex eſt, pulpoſus & carnoſus, *unciam unam*, *ſi magna*, continere poteſt: non autem *veram*, *& unicam ejus Medullam*, quæ ipſa *Nux Moſchata* eſt, & *drachmam unam*, *vel alteram*, vix pendet, etſi grandiuſcula ſit. Si verò pro Numero Plurali ſumamus, *Nuces Moſchatas communes* eundem intellexiſſe, & vulgares, credendum, (nolim enim ego Authorem hujus erroris arguere, quaſi *de Nucibus his conditis Medullam quoque conditam* ſumere præcepiſſet) quia pluribus haud opus fuiſſet *Nucibus conditis*, quàm una, vel unâ cum dimidia, pro uncia una carnis, vel pulpæ, ab ea deſumenda. Ego pro parte Authoris hujus litabo, &, quantum hariolari licet, arbitror, illum intellexiſſe *Nuces Moſchatas vulgares*; non earum Carnem, quam Pulpam Nucum Indicarum conditarum vocant; neque harum *conditarum Nucum Medullam veram*, *intimè incluſum Nucleum*, etiam conditum, (quòd erroris & diſpendii res plena foret, quia *Nuces Moſchatæ*

ſchatæ communes idem, & plus, hîc præſtare poſſent; cum idem ſint, & multò leviori pretio habendæ) Etenim à *carne hâc condita Nucum Indicarum*, tanquam multum jam coctâ priùs, in ejus conditurâ, Aqua deſtillanda ferè nullas vires mutuare poſſet, partibus nimirum tenuioribus, in earum coctura & conditura expulſis: & ſatiùs foret, hanc *Carnem conditam* Phthiſicis, aut Maraſmo conſumptis, in ſuô Eſſe propinare & exhibere, quàm Aquam, ab eâ deſtillatione elicitam, in uſum vocare. Stemus ergò in hâc concluſione, quod Author intellexerit *Nuces Moſchatas vulgares*; & ceſſat omnis impugnatio. Nam illæ ad deſtillatas Aquas ſtomachicas, roborantes, & ſimiles intentiones, utiliſſimæ ſunt; quamvis in ſuo Eſſe, ad aromatiſanda fercula, Dyſentericis magis idonea arbitrer, tanquam condimentum nulli non amabile.

Hanc doctrinam & ad *Macerem* ſub ſequentem extendi velim, potiore ſcilicet jure, ad *condienda fercula* Dyſentericorum, quàm *Deſtillationes* ſimiles, expetendam. Plura igitur de illa non commentor.

Subſequuntur hæc Aromatæ *Aquæ deſtillatæ*: inter quas *Pulmonum Vituli, & Caponis, ejusdem Authoris* præcipuæ extant; earumque *Compoſitiones* huic *Aquæ antiphthiſicæ*, *in Armamentario ſuo*, ſtatim poſtpoſuit, non citra magnorum errorum ludibrium. Quamob rem, è re fore, duxi, ut *Compoſitiones* has, per parentheſin quandam, datâ hac occaſione, quàm breviſſimè examinem. Verùm, ut L. Amicus perſpicaciſſimè videat, quàm multis abſurditatibus hæ *Compoſitiones* contaminatæ ſint; ruminet ea, quæ, de *deſtillationibus Hirundinum, & Animalium, priùs decoquendorum*, cum fundamento in re, docuimus: ex quibus clarè eliciet, quòd in his *Compoſitionibus* (*Aquarum* ſcilicet *Caponis*, & *Pulmonum vituli*) aliud non lateat, quàm ementiti colores, & Meretricium ſtybium, quô eas defucant; Poma Sodomitica, quæ intus cinerem nutriunt; ſpecioſi tituli, & magnificæ ſc. polliciationes, quibus toti mundo illudunt atque imponunt. Nam, ſi *interiora vituli*, *Cor* ſcilicet, *Pulmones* & *Hepar*, item *Capo*, cum adjectis inſuper *Radicibus*, *Herbis*, & *Fructibus* pluribus, ſpirituoſi quippiam, & partium tenuium, abditum tenuiſſent, quod mediante deſtillatione elici poſſet; illud utique *in prævia ſufficiente*, *ac longiſſima decoctione*, quam præcepit, exhalante vapore, utut vas clauſum fuiſſet, (quemadmodum in arctè clauſo vaſe nihil coqui valet; ſicuti alibi demonſtravimus) jam tùm perſpiraſſet. Sed quis unquam Medentium hoc novatum dogma ſecutus eſt, ac Ægris *vapores*, *à delicatis carnibus*, ut *Caponibus*, & *Gallinis*, *inter decoquendum adſcendentes*, artificioſè concentratos, in ſubſidium virtutis nutriendæ, & corroborandæ, exhibuit? Annon præferendæ *ipſæ Carnes*? cùm vapor ille, inter coquendum à Carnibus exhalans, propriè aquæ elementari poſſit æquiparari, quæ, inter deſtillandum, (quod, remiſſiùs decoquere, appello) ſuperiùs, in ſummo capitelli, in

li, in aquam ſe reſolvit, ac ſenſim in receptaculum exſtillat. Et abſurda eſt, profectò, *illa Animalium, eorumq; partium, ac plurimarum rerum aliarum, inculcata decoctio prævia*, ante earum deſtillationem. Deberent enim exactiſſimum temporis punctum definire, quàmdiu illa coctio continuanda ſit, ne quicquam laudabile, ſi fortè intenſiùs, ac nimis diu, coquerentur, vaporetenus exhalaret: & conſequenter, quô oculi ictu vapor efficax, enutriens, corroborans, reficiens ac, alimentans, incipiat avolare, & exhalare, ad clepſydram, aut rotatile horologium, dimetiendum foret; quod ſanè ridiculum & phanaticum. Ratio hujus eſt, quoniam *omnia Vegetabilia*, ſubintellige, quæ deſtillationi apta, aut aptanda ſunt, nec non *Animalia*, quoad *Spiritûs* ſuos *vivificos* eliciendos, (uti ſuperius tradidi, in ſimili deſtillatione) ſtatim, inter ſumma initia, *efficaciores ſuas partes* reddunt; *& Aqua, quæ ultimò, & noviſſimè exſtillat*, habitâ proportione *ad primam*, nullius ferè, aut ſaltem inferioris conditionis, & efficaciæ eſt; experientiâ id ipſum atteſtante; quod quidem nec Tyronibus in Pharmaceuticis ignotum manet; & manifeſtè, in ipsâ deſtillatione *Aquæ Cinamomi*, vel alterius, demonſtrari poteſt. Si quis igitur in transverſum agi, & rotari ſe ſinit, ut credat, quod promiſcuè, *omnium rerum Vegetabilium, Animalium, & Mineralium virtutes*, in conſimili ac uniformi deſtillatione, per Alembicum elici ac transire poſſint (quod vi proceſsûs, & præceptorum, quæ in innumeris Authorum *Compoſitionibus* extant, ſequitur) neceſſariò inferendum eſt, *illas partes tenuiores, & rerum virtutes*, in primâ ſtatim deſtillatione transire; quod Natura ipſa, in omnibus aliis deſtillationibus Vegetabilium, aptorum ad deſtillandum, uti dictum, obſervat; notumque eſt iis, qui Pyrotechniam tractant, ipſorumque diſcipulis. Quòd ſi hoc verum eſt, uti certiſſimum, quidnî, *in præmiſſâ validâ coctura*, ab Authoribus ſedulò præcepta non *craſſiores*, *ſed rariores*, *& ſubtiliores partes* inprimis, uti connaturaliter fit, vaporetenus exhalabunt; *minùs verò efficaces*, *& terreſtris genii*, *ac effœminatæ*, in fine ſubſequentur, aut à coctura in reſiduo manebunt? Si cui difficilè ſit, huic aſſentiri, periculum is faciat cum *Cinamomo*, *Caryophyll.* *Aniſo*, *Roſis*, quæ decoquat, affuſo priùs liquore, prout *Capo interiora Vituli*, *& permulta Vegetabilia*, coctura ſubjici jubentur, donec nimirum, uti volunt, carnes ab oſſibus decidant; *illa deinde*, *ſatis ſuperq; cocta*, deſtillet: &, mehercle, deprehendet, *omnem efficaciam & eſſentiam*, *odorem & ſaporem*, ab illis receſſiſſe, & inter coquendum, ſi non in totum, ſaltem maximâ ex parte, exhalaſſe. Vice verſâ, ſine præcedanea illâ coctura, quæ deſtillantur, vires integras, ſpiritum, & eſſentias, aquis ſuis imprimunt, easque iis nobilitant. Quid igitur hæſitas, quin firmiter aſſentiaris, hoc ipſum evenire in præſenti caſu, ubi importunæ adeò deſtructivæ rerum coctura ſuadentur, & docentur? Num natura ſibi habenas, &

camum injici patietur, ut, retrogrado curſu, noſtris auſcultans fabellis, & irritis conatibus, aut in transverſum agatur, aut, velut œſtro percita, hærens; *fructuoſas animalium partes*, *Eſſentiam*, *Craſin*, *& virtutem Caponis*, *interiorum Vituli*, *Radicum*, *Herbarum*, *&c.* in edocta decoctione, velut clauſtro, (noſtro imperio) detineat, donec mitiori judicio, imperatâ à nobis deſtillatione, vinculis libera, quà data porta, demum erumpant? An neſciunt hi Authores, quòd excentrici naturæ motûs, & exotici partûs, aliud nil ſint, quàm monſtra Univerſi? Nemo igitur perſuadeat ſibi, id fieri, & practicari poſſe. Et hæc, de *perperam ſuſcepta coctura*, ſat dicta ſunto.

Jam verò, ſi ipſa *Animalia*, *& eorum Partes*, *Radices*, *Fructûs omnes*, *& Vegetabilia plurima*, pauciſſimis exceptis, quæ *duabus hiſce Compoſitionibus*, *Aquarum* nimirùm *Pulmonum Vituli*, & *Caponis*, inſerta ſunt, penitius conſideremus, illa, licet, ſibi relicta, non coquantur, nihil tamen de genuinis viribus ſuis, & qualitatibus nutritivis, confortantibus, reficientibus, conſolidantibus, conglutinantibus, per deſtillationem fundunt; ſed *dictæ virtutes omnes* in reſiduo manent: eò, quòd *illa Vegetabilia omnia terreſtrioris* genii ſint, *decoctionibus* potiùs, & *extractionibus*, apta, nequaquam verò *deſtillationibus*. *Animalia*, pariter, aliam *deſtillandi* rationem & dexteritatem expoſcunt, ſi quis eorum *vires*, & *ſubſtantiam* elicere velit: prout videre eſt in doctrinâ, ſuper *Aquas Hirundinum* deſtillandarum, à nobis ſuperius tradita. Aliàs naturâ ſic comparata ſunt *Animalia*, eorumque *Carnes*, ut vires ſuas nutritivas, reſtaurantes, licet diutiſſimè coquantur, nihilominùs integras ſibi reſervent; quibus deinceps nobis in alimentum cedunt, nutriunt nos, & reſtaurant. Quod ſpectat deinceps alia quædam, *has binas Compoſitiones*, *Aquarum Pulmonum Vituli*, & *Caponis*, ingredientia, *ſpecies*, putâ, *Diamargarit. frigid. Sem. quatuor frigida majora*, *Micam Panis*, *Conſervam Roſarum*, *Polytrichi*, & *Borraginis*; quàm perfunctoriè, & male, hæc ad deſtillandum decreta ſint, ex ſuperioribus, efficaciter, & demonſtrativâ methodo, adductis, clarè apparet. Adeò, ut *hæ binæ Compoſitiones*, præter paucula, puta, *Cinamomum*, *Macerem*, *Aniſi ſemen*, *Hyſſopum*, *Salviam*, *Aq. Roſarum*, utile nihil contineant, à quô hæ binæ *Aquæ* eximias vires derivare poſſint: ac, velut *Aqua noſtra antiphthiſica*, (quam de præſenti ſub cenſura habemus) vel potiùs *Compoſitio* ejus, mendoſa, & *Aqua* effœta ac ſterilis eſt; ſic & *hæ binæ Aquæ*, cum illa *Antiphtiſica*, unum monſtrum producentes, haud ſpecioſius promereantur encomium.

Reſtant nonnullæ *Aquæ ſimplices deſtillatæ*, *hanc aquam noſtram Antiphthiſicam conſtituentes*, examinandæ. Sunt autem *Aqua Plantaginis*, *Cinamomi*, *bugloſſata*, *Veronicæ*, *Scabioſæ*: Inter quas *ſola Aqua Cinamomi*, *virtute* & *Spiritu turgens*, *odore* ac *ſapore* eminet; reliquæ verò, *ex Herbis*, *naturæ terreſtrioris*, effœtæ, ac

ac inefficaces, languent, nisi legitimè, citra ullius peregrini liquoris additionem, in *Balneo nostro vaporoso* destillatæ, aliquid fortassis præstiterint; omninò tamen *decocta* eorundem, *Extracta*, *Succi expressi*, *& Syrupi*, *ex iisdem confecti*, majorem conciliabunt utilitatem.

Nec alium meretur Calculum *Lac Caprillum*; quod, recenter mulctum, & propinatum, ad Phthisi emaciatos, omnium ferè Medicorum suffragio, multas in se continet prærogativas: consideratis tamen considerandis. Id ipsum tamen iidem Medici, ob *partes Butyraceas* & *Caseosas*, nonnunquam repudiant, substituto ejusdem *Sero*; quod refrigerante, humectante, & abstergente qualitate dotatum sibi fingunt. Sed quid *ex destillato Lacte* nanciscemur? forsan, cum Paracelso, *Lactis Sulphur*, quô etymo *Flores*, & *Colostrum*, appellat? An *Butyrum* sublimabitur; quod Fernelius *Spumum agitati Colostri* intitulat? Dicam, quod veritatis est; *Aquam purè elementarem*, *in Alembicum decurrentem*, virtute integrâ salvâ, sub grumi lactis formâ, in residuo manente habebimus. Quàm felices essemus, & quàm salubre remedium, non solùm in Phthisi, sed in aliis quàmplurimis morbis, *Lac destillatum* foret, si vires ejusdem destillando prolicerentur; quòd autem hæc minus fiant, & non, nisi *Aqua insipida*, *omni lactis virtute destituta*, per Alembicum ab eo transeat, id Medicis sensatis non solùm, sed Lippis & Tonsoribus notum est.

Porcelli unius Sanguinem huic destillationi supperaddit Author: qui ipse *elementarem aquam*, *sero non absimilem*, in destillatione hac profundit; etsi ad siccitatem usque destilletur. Ex *siccato* verò *sanguine*, fortiori & aperto igne, per Retortam, *Sal volatilis*, *Spiritus*, & *Oleum*, propellitur. Est enim *sanguis Porcelli* ejusdem naturæ, & crasis, ac *Hirci*, *& reliquorum Animantium sanguis*; quem in nostros usus, tanquam nobis homogeneum, & mumialem, desiccari jubent, ac propinant: non curato *Liquore*, *in desiccatione ab eô exhalante*, tanquam inutili. Easdem igitur vires *à sanguine Porcelli Aqua hæc Antiphthisica* mutuabit, quas à lardo & farciminibus destillatis.

Tandem ad *Limaces*, *& Gallinarum* scrutanda *Jecinora*, ab Authore superioribus associata, descendo. Constat autem ex dictis, quòd neque illa diversum, ac melius quippiam, nobis, ab ordine naturæ, polliceantur. *Limaces* quippè, *solidioris substantiæ*, *coctionis & digestionis duriusculæ*, ut ut decoquantur, mucilaginem, in qua virtus earum nutritiva, glutinans, & humectans, stabulatur, in jusculum deponunt; quemadmodum & *Animalium Hepata*, sive *Gallinarum*, sive *Boum* ea sint, suas sibi servant vires, sive cocta, sive assata fuerint; imò per integrum exsiccata, non, nisi *aquam elementarem*, eructant, omnis virtutis propriæ expertem. Igitur & *hæc duo ingredientia futilia Aquæ* huic *Antiphthisicæ* ne atomum quidem virium conferent.

Concludit tandem dicta ipse *Crocus Ori-*

Orientalis; qui vel condimenti locô, inſulſæ huic *Compoſitioni*, vel, ut ſucum addat, *Aquæ* huic *Antiphthiſicæ*, nihil præter ſpecioſa verba, & promiſſa continenti, ſuperadditus fuit. Hunc in ſuperioribus ſufficienter examinavimus; illius igitur præconia, utilitates, & tractandi methodum, ex dictis L. B. commendavero.

Exiſtimo nunc, L. B. me diſertè ſatis, & graphicè, ſpecioſam hanc, & ſucatam *Aquam Antiphthiſicam* deſcripſiſſe; quæ certè (me nonnunquam arbitro) præclaros ſæpè Viros, Magnalia de ea loquentes, ſpe & effectu fruſtravit: condoleo verò magis amicè iis, quàm ut eos reprehendam. Impoſterum ſaltem viri Eximii larvam & pallium ejusmodi Panacæis detrahant, utantur analyſi, ac in partes ſuas reſolvant: ne tàm notabili ſe ſubjiciant impoſturæ. Satiùs interim fuiſſet, *ſingulas hujus Compoſitionis partes*, illi, quem natura præfixit, deſtinare uſui; *eſculenta* ad noſtrum alimentum, & fercula, præparando; *Vegetabilia* alia *Decoctionibus*, alia *Extractis*, deſtinando; *nonnulla* ad *deſtillandas Aquas*, *Eſſentias*, & *Olea* elicienda, accommodando; denique *Emplaſtra*, & *Unguenta* ex aliis conficiendo; habito ſemper vigili oculo ad tritum noſtrum Axioma: *Non quodvis ex quolibet fieri:* duce Philoſophiâ, & ratione, opus eſſe. Neque Naturam noſtro imperio ſubjicere tentemus, ſed ejus curſum, operationes, & productionis modos, obſervantes, ſeduli Naturæ ſimus imitatores, quædam admirantes, quædam æmulantes, &, in quibus limitata potentia noſtra dehiſcit, ejus cognitionem ab Authore Naturæ, & Patre Luminum, fiducialiter petentes.

Ut autem afflictis, & Phthiſi emaciatis, cordiali affectu, per exempla, oſtendam, quânam viâ ac methodo, *expræditis*, *hanc Aquam Antiphthiſicam ingredientibus*, efficacia & ſalutaria remedia, ſeu medicamenta alimentoſa, Antiphthiſica, ſapore & odore jucunda, paranda ſint; ad legitimos ſcopos, & morbi circumſtantias, omnia & ſingula ordinando, & circumſtantes indicationes adæquando, ſequentia, ſub diversâ forma & conſiſtentia, medicamenta Tibi ſiſto. Indignum enim eſt, *Eſculenta quævis*, *è Vegetabilibus & Animalibus deſumpta*, ſimili deſtillationi committere, quæ tamen, majori cum emolumento, recenter, & benè cocta, cuivis infirmo, Phthiſi emaciato, & vel ad extremum redacto, ſingulis diebus in eſcam cedere poſſunt; & quidem ſine nauſea, auctâ doſi, & quantitate. Sunt autem è cenſu eorum, quæ Ægris arridenti, *Emulſiones*, *Gelatinæ*, *Electuaria*, *Contuſa*, *Conſummata*, & plura his affinia, in magna quantitate, ad palatum ab Ægris aſſumenda: cum, è contra, Author *unum*, *vel duo ſolum cochlearia Aquæ ſuæ Antiphthiſicæ* (quæ vix quantitatem unciæ dimidiæ attigerit) nullo effectu propinet.

Sit igitur primum Medicamentum alimentoſum reficiens, & reſtaurans pariter, ac conglutinans, ſequens *Gelatina:*

℞. Ca-

℞. Caponem num. unum, communiter mactatum, eviſceratum, conſciſſum in particulas minutas, & oſſibus omnibus conquaſſatis.

Hepatis, Cordis, Pulmonum, Vituli, ana dimidiam partem, pariter minutim conſciſſam,

Limacum recentium, ſale & aquâ ſæpius à ſuâ immunditie purgatarum, numero viginti.

Hepatum Gallinarum conſciſſorum num. iiij.

Cancrorum fluviatilium conquaſſat. num. xx.

[Et hoc quidem locô ſanguinis Porcelli; quia inferiùs aliud quoddam remedium, ex Porculo parandum, monſtrabo.]

Rad. recent. Conſolid. major. in taleolas conſciſſæ, unciam unam ſemis,

Herbar. recent. Scabioſæ,
Veronicæ,
Plantag. ana inciſ. unciam unam,

Flor. recent. Roſ. rubr. unciam unam ſemis,
Hepaticæ,
Roriſmarini, ana drachmas duas.

Succi Tuſſilag. recent. expreſſi,
Seri lactis Caprini depurati, ana uncias ſex,

Cinamomi,
Nucum Moſchat. ana drachmas duas,

Macis,
Croci optimi, ana drachmam unam,

Radic. Chinæ elect. in taleolas conſciſſæ, unciam unam ſemis.

Hæc omnia, conſciſſa & mixta, immittantur Lagenæ ſtanneæ, quæ claudatur ſuâ clauſurâ, aut operculo, & inſuper veſicâ, nè nimium expirare poſſit vapor, & contenta fortè exſiccari. Coquatur poſtea in duplici vaſe, ſcilicet aquæ immersâ lagenâ in aliam ollam, horis quinque vel ſex. Peractâ coctione, & pauliſper à fervore remittente, aperiatur Lagena, & omnia fortiter exprimantur per linteum novum: *expreſſum condiatur modicô ſale, macere*, & *cinamomo*; ſi fortè in coctura adjectorum aromatum fragrantia non nihil expirarit. Cùm refrixerunt, in patina ſtannea vel terrea, congelabitur: & fiet *Gelatina, accepti ſaporis, odoriſq., coloris rubicundi*, ac inſuper *validiſſima, ad omnes exulcerationes & læſiones internas, præcipuè Pectoris, & Pulmonum*, quæ omnibus Juſculis, Panatellis, Cremori hordei, Oryzæ, atque ſimilibus ferculis, etiam cum *Lacte Caprino* confectis, ac coctis, immiſceri, & uſui ſervire poteſt, quoties, & quantum, de die libuerit; damnum neutiquam allatura, modò non ultra limites naturæ ſumpta, nec ad ſatietatem usque.

Verùm, cùm *huic Gelatinæ cuncta, hanc Compoſitionem ingredientia*, non aptè admiſceri potuerint; alia nonnulla ſubjungo Medicamenta, ex *illis ipſis ingredientibus* conficienda: quorum primum eſt *Electuarium* ſequenti modo parabile:

ELECTUARIUM ANTIPHTHISICUM.

℞. Conserv. Flor. Rosar. rubr.
Rad. Consolid. maj. ana uncias quatuor,
Nuc. Indic. condit. uncias duas,
Pinear. mundat.
Pistachior. decortic. ana unciam unam semis,
ad pultis formam contus. addita q. s.
Aq. Cinamomi, vel Rosar. vel. si mavis, crassiusc. saltem incisor.
Pulv. Croci optimi drachmam semis,
Syr. ex Succo Tussilag. uncias duas, vel tres.

Misceantur: Fiat *Electuarium, gratissimi saporis, nutriens, confortans, reficiens & conglutinans. Dosis manè, meridie, & vesperi, à cochleari uno, ad duo,* vel *per se*, vel unà cum *Jusculis*, & superiori *Gelatina* sumptum.

DECOCTUM ANTIPHTHISICUM.

℞. Rad. recent. Symphyti maj. unciam unam semis,
Chinæ opt. & electæ unciam unam,
Herb. recent. Veronicæ,
Hepaticæ nobilis,
Tussilaginis,
Plantag. min.
Herb. recent. Scabiosæ, ana unc. duas,
Rorismar. drachmas sex.
Incisa saltem coquantur in
Seri lactis Caprini recent. mulcti ac depurati libris sex, vel septem,
ad remanentiam librarum quatuor: fiat post colatura cum expressione; colatum optimè clarificandum, cui, dum adhuc fervet quasi, injiciantur.
Conserv. Rosar. rubrar. recent. unciæ novem.
Cinamomi optimi incis. minut. saltem drachmæ duæ, vel tres:
cùm refrixerit, de novo coletur & filtretur. *Remedium, præstantiâ, in Pectoris, atque Pulmonum vitiis, conspicuum, & experientiâ sæpè comprobatum: dosi ab unciis tribus, ad uncias sex, manè, ac vesperi, calidè bibendum.*

LAC CAPRINUM PRÆSTANS, IN PHTHISI.

℞. Lact. Caprini recent. mulcti libras quatuor:
cui immergantur
Limac. recent. sale & aquâ optimè repurg. & parùm saltem conquass. ut lac penetrare illos valeat, num. xxx.
Rorismarin.
&, si placet,
Tussilag.
Rutæ murariæ: ana recent. manip. unus;
coquan-

coquantur leniter in olla terrea, ad casum libræ unius: coletur, & servetur usui. Bibat Patiens de hoc singulis horis matutinis, ac vespertinis, *uncias quatuor*, vel *quinque*, ad *sex*, *calidè*, unà cum.

Conserv. Rosar. rubr. unciâ unâ, vel, locô hujus, quod gratius saltem, Sacchari candi albi drachm. sex: Misce.

EMULSIO ANTIPHTHISICA.

℞. Pinear. mundatar.
Pistachior. decorticat. ana unciam unam semis:
Contundantur optimè in mortario, & diluantur cum
Seri lactis caprini depurati, & clarific. in quo Limac. recent. probè mundat. num. vj. parùm ebullierint, libris duabus semis:
fiatque *Emulsio*, quæ colanda. Colaturæ addantur.
Syr. ex succo Tussilag unciæ duæ.
Misceantur: de qua Patiens bibat ad lubitum. *In Catarrhosis, Pectoris difficultatibus, & Exulcerationibus ejus, abstergit, refrigerat, humectat, nutrit, reficit.*

PINGUEDO ANTIPHTHISICA, ex PORCELLO.

℞. Porcellum, aut Porculum, satis pinguem, num. unum; quem communi modo macta, externè à setis purga, & exentera, *pinguedine ab intestinis aliisq; viscericus studiosè detractâ*, ut iterum cum aliis sequentibus speciebus mixta, *ventri Porcelli eviscerato* injici possit. Huic nunc ventri, *intestinis abjectis*, immitte, ut ab omni parte impleatur,
Cor, Hepat. & Pulmones ejusdem Porcelli, cum Adipe ab intestinis ante segregatâ; item
Rad. Symphyti major. recent. uncias duas,
Tussilaginis recent. unciam unam semis,
Chinæ elect. unciam unam,
Herb. recent. Veronicæ,
Scabiosæ,
Plantaginis,
Hepaticæ nobilis,
Rorismar. ana unciam unam semis,
Flor. Rosar. rubr. recent. unciam unam,
Limac. recent. è testis except. & sale ac aquâ optimè purgat. & consciss. num. xv.
His omnibus minutim consciss, & Ventri Porcelli immissis, consuatur Venter arctè, benè ac accuratè, ne quid excidat: Posteà in veru, igne moderatô, & debitè, assetur, suppositâ, *pro pinguedine exstillante*, lartagine; assetur in veru tamdiu, donec omnis *ferè Humiditas & Pinguedo à Porcello* exstillârit, ad siccitatem usque Porcelli. Quam *Pinguedinem*, *ab humiditate* (seorsim quoque, pro hoc usu, tenendâ) *separatam*, usui serva, ad fercula condienda, *Phthisi laborantibus*. Et sumant de hâc Pinguedine Ægri, *singulis horis matutinis, & vespertinis*,

cochlear unum plenum, *in jusculo Caponis*, vel alio vehiculo. Remedium gratum, à quô nemo mortalium abhorrebit.

Quod si quem nausea non absterreret, Porcello Caniculum saginatum, & castratum substituere posset; omnibus, ut suprà edoctum, ritè observatis: cujus certè Pinguedo quamplurimùm dicti Porcelli Pinguedinem antevertit.

Nota secundò; quòd, in concinnandis hisce remediis præscriptis, *illa tantummodò Ingredientia, quæ Aquam Antiphthisicam constituunt*, observaverim, exclusis reliquis omnibus, quæ eandem, aut majorem, fortassè spirant efficaciam. Qui igitur meliora exoptat, suo innixus genio, ac methodo, pro Indicationum circumstantiis, ea variet & dispenset.

Demonstravi igitur in præfatis, quâ dexteritate omnia & singula, hanc *Aquam Antiphthisicam* constituentia, tractanda sint, ut, juxta Conditoris & naturæ, leges, ad destinatos usus viribus & essentiâ suâ integris, adhiberi possint; dispari sanè modô, ac prædictus Author, in effœta sua *Aqua Antiphthisicâ*, nomine indignâ, fabulabatur. Volupe quidem mihi foret plures ejusmodi inconcinnas, Authoris hujus, *Compositiones*, ad dicendam causam citare: sed tempori, (cujus irreparabilis jactura) mihique consulo. Carptim tamen, & breviter, nonnulla attingam, quorum castigatio magno Medentibus constabit emolumento; liquidumque fiet quâ ratione ea tractanda, quæ destillationi, & cui, idonea, aut minùs talia sunt; qualiterve, ad perfectam medicamentorum adstruendam *Compositionem*, sit operandum. Excerpo autem, & seligo quædam, *ex tribus Mynsichtii Compositionibus*, *binis sc. Aquis contra Vermes*, & ex *Aquâ Cosmetica*, *p. mihi in 8. 292. & 294.* quas hîc subsequens ordo referet: suntque, *Rasura Cornu Cervi*, *Mercurius vivus*, *sale & aceto purgatus*, *Tartarus crudus*, *Nitrum præparatum*, *Hydromel*, *Theriaca Veneta*, *Cornu Cervi Spagyricè calcinatum*, *Cornu Alcis eôdem modo calcinatum*, *Borax Veneta*, *Sal Tartari album*, *Ebur ustum*. Quòd si verò Lectori *Mynsichtii* Armamentarium ad manûs fortè non esset, aut tempus ad evolvendum eum deficeret, pro capiendo, de hâc *Aquâ*, & *reliquis* pleniori judicio; analysi meæ, & correctioni, ipsas, in terminis, *Aquas* huc transcribam: & sunt,

AQUA CONTRA VERMES HADRIANI à MYNSICHT:

℞. *Rasuræ Cornu Cervi* ℥iiij.
Mercurii vivi, sale & aceto opt. purg. ℥ij.
Fol. Senæ Alexandr. elect.
Semin. Cinæ, & Citri,
Corallinæ veræ, ana ℥ß.
Nucleor. Persicorum,
Rhab. elect.
Agarici optimi,
Myrrhæ rubr. ana ℥j.
Rad. Diptamn. albi, exemptâ medullâ,

Ari-

Ariſtoloch. rotund.
Zedoariæ, ana ʒvj.
Tartari albi.
Nitri præparati,
Croci Oriental. ana ʒß,
Summit. Centaur. min.
Tanaceti,
Fol. Perſicorum,
Scob. ligni Coryli, ana ʒiij.

Omnia inciſa & contuſa infundantur in Hydromellis libr. iiij. digerantur in infuſione per octo dies: poſteà adde

Aq. Abſinth. Pontic.
Abrotani, ana lib. iß.
Card. bened.
Gramin.
Scordii, ana ℔j.
M. & in M. B. per Alembicum deſtillentur.

AQUA THERIACALIS, itidem CONTRA VERMES.

℞. *Theriac. Venetæ* ʒviij.
Terræ Sigillatæ ʒij.
Rad. Angelic. hortenſ.
Tormentillæ,
Enulæ campanæ, ana ʒiß.
Cornu Cervi Spagyricè calcin.
Alcis eodem modò calcinat.
Ligni Saſſafras,
Baccar. Juniperi,
Cortic. Citri, ana ʒj.
Boleti Cervini,
Myrrhæ rubræ, ana ʒvj.
Antimonii diaphoretici,
Croci Oriental. ana ʒij

Pulveriſata & mixta infundantur in Vini Malvatici ℔viij. *& macerentur per octiduum, vel quatuordecim dies: poſteà igne lentiſſimo, in B. M. deſtillentur.*

AQUA COSMETICA EJUSDEM.

℞. *Lactis Caprini* ℔iiij.
Aq. Radic. Aaronis,
Fl Fabarum,
Roſar. alb.
Lilior. alb.
Sigill. Salomon. ana ℔j.
Mellis virginei albi ʒiiij.
Sacchari candi albi,
Thur. alb. ana ʒij.
Hermodactyl. alb.
Ireos Florentin.
Boracis Venetæ, ana ʒj.
Sal. Tartari albi,
Eboris uſti,
Camphoræ, ana ʒß.
Flor. Narciſſ. alb.
Malv. min. alb.
Nenuphar. alb. ana ʒij.

Miſc. & B. M. inſerendo, pro ditioribus, roſtro Alembici Galliæ Moſchat. ʒj. *bombace involuta, deſtillentur.*

Quod igitur jam *Raſuram Cornu Cervi* ſpectat, ex illa, diu multùmque coquendo, ſ. q. ſimpl. affuſâ, *Gelatina* confici poteſt, translucida & elegans; quæ, ſi *ſaccharo* edulcorata fuerit, & condita *macere*, *& corticibus Citri recentibus*, præſtans erit remedium in morbis malignis, cordis debilitatibus, ac virium diſpendio: nutrit

insuper, ac reficit. *Eadem* autem *Rasura*, cum *aquis affusis* destillata, non reddit *aliam Aquam*, *quàm quæ affusa fuit*, *nullis viribus Cornu Cervi* dotata. Nam dicta repeto; quî fieri potest, ut ea, quæ diu multumque, sine virium defectu, coqui se sinunt, statim, nutui nostro auscultando, naturam ac indolem mutent, viresque suas, cursu heteroclito, & violento, in sublime efferant?

Ostendi autem, demonstratione usus, in prægressis meis notandis, quòd *omnia animalia*, *eorumq; partes*, vi destillationis hujus simplicis, aliud non reddant, quàm *aquam quandam elementarem*, ac inefficacem; aliumque destillandi modum sibi vindicare: prout inductione, & ab exemplo *Aquæ Hirundinum compositæ* declaravi. Ad decoctionem igitur *Rasura Cornu Cervi* aptanda; cui socium est, eique adjungendum.

De *Cornu Cervi Spagyricè*, ut & *Alcis Cornu*, *similiter Spagyricè calcinatis*, quid inferendum sit, *in præmissis Animadversionibus super ipsum Cornu Cervi Spagyricè calcinatum pag. 463.* aperui: Peragitur nempè illa calcinatio in capitello cujusdam destillatorii, (aut in alio simili, & majori instrumento, pro cornubus integris calcinandis,) ab ascendente vapore aquæ, in vesica cuprea, vel alembico, bullientis; cui capitello immittitur *Cornu*, sive *Cervi*, sive *Alcis*, *in frustula dissectum*; & diebus aliquot continuatur destillatio aquæ simplicis, vel alterius cujusdam destillatæ Aquæ: ita, ut vapor, continuò ab aquâ bulliente elevatus, *Cornuum frusta*, *capitello immissa*, intimè penetret, ac veluti decoquat, seu humidè calcinet, ut siccata tandem friabilia fiant, trituration apta, simulque albicantia. In illa autem destillatione *potiores Cornuum virtutes*, *unà cum mucilaginosa eorum substantia*, eluuntur, & cum aquâ, ab illis stillante, è capitello prodeunt, quatenus nimirùm vaporetenus aqua, in destillatione ascendens, *illa frustula Cornuum* immediatè tangit, non aliter, ac si in illô ipso capitello ab aqueô vapore cocta essent: atque ita ejus virtutes, unà cum dicta *Cornuum mucilaginosa substantia*, statim ex capitello effluunt. Sed dispari modô res ageretur, si in alembici fundum *frusta Cornu Cervi* collocarentur. Illorum enim *virtus*, *& efficacia*, *in mucilaginosa dictâ substantia abdita*, nullô modo, seu coquendo, seu destillando, sublime peteret, & exstillaret, sed in fundo alembici, cum *Cornubus*, remaneret. Capitello verò *Cornubus* immissis, & ab ascendente vapore bullientis aquæ, immediatè velati, coctis, *Aqua*, uti suprà dictum, *virtute*, *essentiâ*, *atque substantiâ ipsâ Cornuum plena* ab illis effluit, proditque. Et, licet *hæc ipsa Aqua*, *quæ à Cornu Cervi*, vel *Alcis*, *è capitello effluxit*, postmodum in olla, vel sartagine, exhalet & evaporet; *illa tamen substantia*, in capitello, alluente aqueô vapore, *è Cornubus* elicita, minimè adscendet, & evaporabit; sed, ad modum *Gelatinæ*, fundum peret, & in residuo manebit: adeò, ut sit ibi repertibilis *tota illa substantia*, quam *à Cornubus* aqueus vapor in capitello eluit, & mutua-

tuavit. Si ulterius deinde reſiduum illud, ſub ſpecie Gelatinæ, totaliter ſiccetur, & denuò per retortam, igne aperto, & valido, deſtilletur, prodibit *Sal volatilis*, *Spiritus*, & *Oleum*; prout *è recentibus Cornubus* deſtillari ſolent. Clariùs hæc Tibi, L. B. definire nequeo, niſi, cum Cynico illo, & doliari Philoſopho, ad meridianum ipſum, facem, aut lucernam, præferam, parvam maximæ luci allaturus. Conſequentiam Tibi nunc formandam relinquo, L. B. quàm incongruè hîc Author *Cornu Cervi* deſtillationi commiſerit; ſicut & *Alcis ungulam*: præpoſterè omnia invertendo, miſcens quadrata rotundis.

Succedit *Mercurius vivus*, *ſale & aceto mundatus*. Quô viſo portento, obſtupui ſanè, quâ ratione hic Vir, cæteroquin eruditus, & Chymicis clarus, ſiniſtrum adeò, & fallax judicium, ac calculum, de deſtillando *Mercurio vivo* dederit, ut illum, ſale & aceto lotum, B. M. incarceraverit. Dubito ſanè, num *Mynſichtius* noſter *Mercurium* in Chymica palæſtra exercitaverit, aut à *Mercurio* deluſus unquam fuerit; cujus naturam & indolem minimè penetravit. Etenim *Mercurius*, ſemper ſibi conſtans, indiviſibilis, in ignis tormento ita conſtans, ut vel totus in ſublime evolet, vel totus in igne perſeveret, omnibus individuus comes; non ad aras tamen: verbo, denique, Proteus eſt, mille indutus formas & metamorphoſes. Hunc igitur *Mercurium*, qui Fugitivi Servi nomine circumfertur, fallax Illuſor, Impoſtor Chymicorum, Aqua non madefaciens manûs dicitur, nunquam, ut video, tractavit Author: expertus cæteroquin, reſipuiſſet, quòd *Mercurius*, qui, inſtar elementi, ſimpliciſſimus, ut aqua, limpidiſſimus, ex ſimpliciſſimo Mercurii ſemine, & pura elementari aqua coaleſcens, omnem in ſe reſpuat dualitatem & heterogeneitatem; conſequenter, non ſit obnoxius noſtris ſtatim legibus; minus ſe dividi, taceo, ſimpliciter deſtillari patiatur, noſtram eludens operam. Aquæformis eſt *Mercurius*, non verò aqua madefaciens manus, quæ per deſtillationem efferatur. Petit ſublime *Mercurius*, ſed non noſtro nutu, ad deſtillationis hujus impulſum. Quid igitur hic *Mercurio-Maſtix* ex hoc ſimpliciſſimo ente, deſtillando, eliciet? Forſan Sulphur illud, quod, inſtar labis originalis, & inquinamenti, ab ipſo ortu Mercurio affigitur? aut inquinamenta Mercurii, quibus velut ſepia notatus, deſtillationis beneficio eluet? Apocalypticus Angelus hîc deſideratur, qui ſigillum hoc ſolvat, & claudat. Oedipum deſideramus, qui ænigma pandat; nec eſt cujusvis Unguentarii, abdita Mercurii in *Mercurio*, qui ignis nec urens, nec conſumens eſt, & ſimpliciſſima ſubſtantia, penetrare. Vita defecerit Mynſichtium (annos etiam Mathuſalem tribuerim) priusquàm *Mercurium* in hydromelite, aut aliô liquore, coctum, recoctum, deſtillatum, & cribratum, in ſublime ducat, ut virtutes ſuas, ignem, & radios (quaſi aliquid auræ divinioris) tribuat, & aquas ſignet, per alembicum exſtillantes. Revelabo tamen Authoris

hujus

hujus discursus, & primum offendiculi lapidem, quô super Mercurium cespitavit. Viderit, legeritque, Mercurium, in largâ quantitate, sale & aceto nondum lotum, in aqua, vel vini spiritu, beneficio vitri, oblongi colli, diù agitatum, aquam, aut vini spiritum, atrô quodam putamine, & recremento tingere; qui deinde liquores, pueris & adultis propinati, vermes mortificent, & è corpore deturbent. Intulit igitur ex veris præmissis falsissimam sequelam: Ergò (à majori ad minus argumentando) vires, & substantiam suam, destillationis hujus beneficio, efficacius tribuet Mercurius, quàm simplici agitatione. Qui quàm evidens sit error, à fugitivo hoc servo edisces. Plura de his Mynsichtio pandet Theophrastus, *libr. de vexamine Chymicorum*, *& in Archidoxis de Metall.* Verùm abdita hæc Mercurii nostri penetralia secretiores desiderant claves; quas hîc consignare, nec locus, nec animus est. Propterea transeo ad

Tartarum tractandum; qui nec ipse per alembicum virtutes suas communicabit, aut virtualiter transmittet; utut diutius decoquatur. Et quamvis nos experientia doceat, quòd *Aqua, in quâ Tartarus Vini, pro crystallis, & ejus cremore parando*, diutius coquitur, aciditatem quandam notabilem participet; illa tamen aciditas, ac sapor, vi destillationis nunquam habetur, nec, diutissimè coctus Tartarus, in sublime fertur: residuum, ac fundum potiùs petens; prout omnibus Pharmacopœis obvium est. Cœterùm, *ipsius Tartari specialem historiam*, vires, & usum, modumque tractandi, peculiari edisseram loco.

Coincidit cum ipso Tartaro *Nitrum præparatum:* Et hoc tale, pro destillatione, subjectum, atque Sal terræ, quod longè aliam destillationis speciem sibi vendicat, si, beneficio alembici, in spiritum, aut liquorem aqueum, sit vertendum, quàm simplex hæc, per M. B. esse solet. Noverit autem Author, & B. L. quòd *Nitrum simplex*, si crucibulo immittatur, & debito temporis intervallo, in flamma ignis liquatum detineatur, sulphure frustillatim injecto purificetur; donec denuò, debitè purificatum, integris viribus, & validius effundatur. Quod si ergò tàm constanter ignis torturam sustinet, citrà virtutis dispendium; quis, constantis judicii, asserat, illud, inter destillandum, benignioris caloris stimulo, & liquoris affusi illicio, qualitates suas, difficilè mobiles, per alembicum dissipare, & profundere? Quot, & quanta, subit examina, *coctiones & probationes, donec præparetur, clarificetur, crystallisetur Nitrum?* Nemo tamen hactenus quæstus, vel auditus unquam, qui non integerrimas *Nitri* vires in subsidentia, & fundo, repererit: Nec quippiam reperitur, quod ejus constantiam labefactet, quàm sulphur, juxta suas qualitates, ei ex toto contrarias. Quare alia destillatio, quàm in M. B. & quidem per Retortam, (substituto corpore, quod ejus liquationem impediat, suos alioquin non communicaturi spiritûs) excogitanda. Et licet nonnulli Practicorum Pharmacopœis suis injungant, ut *Nitrum, interventu aquæ simpli-*

ſimplicis, deſtillent, eximias vires refrigerantes exindè ſibi promittentes, quam & *Aquam Regiam* vocant: reverà tamen, ſimplici hac deſtillatione, *parum, vel nihil, de virtutibus Nitri, aquæ impreſſum* reperies: ex oppoſito autem deprehendes, quòd Aqua illa ſimpliciſſimas aquæ deſtillatæ vires æmuletur. Conſuetum erat olim Majoribus noſtris, *Nitrum, Veſicæ bovinæ incluſum, aquæ tepidæ immergere*, quousque quaſi ſuâ ſponte (illorum judicio) in veſica liquaretur; *quem Liquorem Nitroſum* mox deſtillabant, ac prædictas vires ab eô expectabant. Sed & illi, meô judicio, exorbitabant; cùm illa reſolutio in veſica non ſit ſpontanea, ſed *ſolutio Nitri in aqua, perindè, ac ſi, extra veſicam*, cum *aqua, ſuiſſet ſolutum.* At verò, ſi quis *Nitrum ſua ſponte, in loco humido, reſolvi* permiſerit, & in liquorem verti, idque in retorta, calore arenæ, vel cinerum, deſtillationis beneficio, abſtraxerit, ad *priſtinam Nitri ſiccitatem, Nitrum deinde relictum & ſiccum*, ut anteà, per ſe liquaverit in aëre humido, & demum humiditatem, ex aëre attractam, abſtraxerit, prout antea, in deſtillatione per retortam, in arena factum, hocque *Nitrum* toties liquando, aut ſponte reſolvendo, abſtrahendoque iteraverit, donec *Nitrum* ferè totum in liquorem abierit; is gloriari poterit, de *liquore Nitri volatili reſolvente*, & morbis radicatis, obſtructionibusque aperiendis, accommodatiſſimo. Veruntamen, cùm hic liquor præſtans equidem, ſed longiſſimi laboris ſit, ac proindè ejus pretium accreſcat, ut proindè libram unam & alteram ſimul ordinare non liceat; ejus nihilominus copia deſideretur: Author Tibi ſum, *ut Nitrum, æſtivâ tempeſtate, aſtris priùs pluviis, deniq; cum ingenti tonitru & fragore decidentibus aquis*, exponas, in patina, vel vaſe largiore quopiam, ut ab illis reſolvatur. Quod ita *impregnatum, & reſolutum Nitrum*, tandem deſtillandum eſt, in humili alembico, calore quidem arenæ. Quô modô obſervato, plus *de Nitro volatiſabitur*, utpotè ab aqua pluviali, & ſale illo univerſali aëris, & macrocoſmi, ingravidato; & nonnihil per alembicum, unà cum illa aqua, transibit. Et hæc *de Nitro.* Plura de eo ſub titulo ipſius proprio.

Cœterùm, quid *Hydromel* huic deſtillationi contulerit? Dulcedinem fortaſſis toti conciliare compoſito, putat Author? At rem non benè perpendit; cùm contraria qualitas, uti ex deſtilato *Melle* accidit, acidus nimirùm liquor, exſtillet, relictâ *dulcedine Melleâ* in reſiduo. Utſergò, præter inane nomen, ſolatii etiam aliquid Ægris afferat hæc *Compoſitio*, ſuaſerim, ut *ſingula hæc ingredientia*, ad *Aquam contra Vermes* deſtillandam, in *Hydromelite* ſaltem decoquantur, majoris energiæ futura.

Jam *Theriaca Veneta* diſcutienda venit: de qua quid tenendum ſit, habito reſpectu ad *Aquas*, ex eâ deſtillandas, *præmiſſæ Animadverſiones* oſtendent. Cùm autem in cenſum multarum Aquarum *Compoſitionum*, apud Authores paſſim veniat, datâ operâ, & ſtudio, demonſtrare conabor, quàm

inconsultè, ne dicam, insulsè, *hæc Theriaca reliquis Compositionibus*, instar centonis variegati, affuatur. Primò observemus, *Theriacam tribus constare partibus* (quoad pondus) *Mellis clarificati, & unâ solum parte reliquarum Specierum omnium*, in universum computatarum. *Mel verò, aliquoties in clarificatione sua coctum*, adeoque *spiritibus suis subtilioribus, violentò hoc impulsu, privatum* (quia aliàs Mel in destillatione, per se, haud efficacem reddit Aquam) destillationibus istis sine mente adjicitur. Accedit; quod, ob *portionem Mellis excedentem*, ex qua *Theriaca* constat, hujusdem *species*, consequenter, exiguâ nimis quantitate, in comparatione *Mellis*, Aquis destillandis hôc pacto combinentur, à quibus tamen (*ejus speciebus*) virtutes, non verò *à Melle*, his Aquis accedere debent: Quarum Specierum causâ, non verò Mellis gratiâ, *Theriaca Aquis destillandis* sociatur. Consideremus secundò, continere *Theriacam ingredientia, sive simplicia, quamplurima*, quæ vel ad hunc, vel illum, affectum morbosum curandum, quibus hæ diversæ Aquarum Compositiones, quas *Theriaca* ingreditur, destinantur, inutilia planè sunt. Tertiò, *insunt Theriacæ plurima ingredientia*, quæ nullâ virtute alexipharmacâ, neque vermes propellendi, prædita sunt; imò malignis & deleteriis morbis potiùs patrocinantur, quin ipsa venena: prout in *Ejus examine* satis demonstratum habes. Quartò, *constat Theriaca* è potioribus, & pro maxima sui parte, talibus ingredientibus, quæ coctionem, & destillationem prolixam, citra manifestum virium dispendium, ferre possunt, dum omninò nihil virium per alembicum destillando fundunt. E quorum numero multa quoque reperiuntur, quæ jamdiu, dum cocta sunt, virtutes suas retinuére, & semper retentura sunt. Quintò, *insunt quoque Theriacæ non pauca*, quæ maximo veniunt pretio, ob quæ *Compositiones* harum Aquarum, quas *Theriaca* ingreditur, majoris expensæ fiunt; cùm tamen nihil ab iis virtutis & efficaciæ Aquis destillandis accedat; eo, quòd destillationibus similibus planè inepta sunt. Quæ omnia si accuratè pensemus, iniqui sanè essemus, in proximum, si talia proprio motu, libidine, & injuriâ, scientes volentes perpetraremus. Quod enim *ad primum attinet argumentum*, quæro: cur non *Species solum vel Ingredientia Theriaces*, quarum causa hæc aliis *Compositionibus* adjicitur, *omisso Melle*, tanquam inutili ad destillationem, magis congruâ ratione, *Compositionibus* annumerantur? Respondebis, (præsumo) id fieri propter *Theriacam, Melle & Speciebus suis fermentatam, ac in unam qualitatem, ab omnibus suis ingredientibus discrepantem, beneficio fermentationis, transmutatam.* Verùm hoc in contrarium allatum argumentum sufficienter dilutum fuit, in *præterita Classe decima quarta*, quando dictum quid de *Theriaces fermentatione*, & ficta, eaque diversa, ab ingredientibus ejus, qualitate sentiendum sit. Quam ob causam, multò satius ab omni parte esset, (modò Compositæ compositis cumula-

mulare, ignavi non foret, nec tàm manifesti errores ex analysi, earumque dosium computatione, emergerent) si *species saltem Theriacam ingredientes* Aquarum Compositionibus iociarentur. Et sic, *secundò*, eligere possemus illa solummodò *Theriaces ingredientia, sive simplicia*, quæ huic, vel illi, morbo, cui hæc, vel illa, Aqua, quam constituere debent, destinatur, appropriata magis sunt, repudiatis inutilibus, & dissonis reliquis omnibus, ne tanta fiat jactura *rerum pretiosarum*: & minimè utile pretium, cum damno sensibiliter emergente, Aquis compositis accrescat. Et, quid obstat, *tertiò*, quò minus ad *Alexipharmacas Aquas* destillandas, quibus creberrimè *Theriaca* adjicitur, *Alexiteria tantùm, ex inutilibus plurimis Theriacæ speciebus, haud alexipharmacis*, eligimus & adjicimus, & reliqua inutilia, noxia, & deleteria ipsa in morbis malignis, repudiamus? *Deinde*, *& quartò*, quid juvat, & cui bono fit, quòd ejusmodi onera Aquis destillandis imponuntur, & quidem plurimarum rerum, (quarum magna copia inter Theriacæ ingredientia prostat) quæ non solùm coctionem, diuturnamque destillationem, sine ulla tamen virium suarum, per Alembicum, transmissione, sustinere possunt, sed quorum & quædam jam tùm multoties cocta sunt, & tamen integra viribus suis congenitis perseverarunt, ac toties, quoties adhuc ulterius coquerentur, sive destillarentur, virtutes tamen suas inviolatè retentura essent; quæque nequè ipsa *fermentatione Theriaces*, falsò persuasâ, neque verâ, ac legitimâ, eò redigi possunt, ut ad talem destillationem volatisentur, ac per alembicum gradiantur. Et cur non, *quintò*, vellemus etiam illis prospicere, quibus *res angusta domi* est, & *curta supellex*, subtrahendo ea, quæ inutilia, ac nullius frugis sunt, ad nihil proficua, quàm ut expensas, pretiumque multiplicent: iis solùm, è contra, admissis, quæ ad destillationes, morbosque determinatos diriguntur? Et verè tolerabilius hoc foret, nisi egenus, & qui *pauper ubique jacet*, talium errorum piacula luere cogeretur, ob adauctas impensas, è sanitatis asylo proscriptas. Quare, si hæc, & complura alia, quæ percurro, juxta artis, rationis, & conscientiæ libellam ponderemus, quàm prodigè nimirum, ineptè, & inconsultè, *dicta Theriaca* Aquarum destillandarum *Compositionibus* obtrudatur; pauci, meherclè, aut nullus futurus, qui castigatiore stylo suas, ut ajunt, medicaminum Formulas, & Receptas, non ordinet, citra authoritatis, charitatis, & conscientiæ offendiculum. Et hæc *de Theriaca*. Sequitur, ut etiam

Boracem Venetam tentemus. Hæc *sal Alkali fixus, & duplicatus est*, in igne quodammodo cum Salamandra constans, in destillatione nihil profundens; Auri, & reliquorum Metallorum, quæ magno labore funduntur, liquationem multùm promovens, dùm ipsi flammæ, aut in actu fusionis, supervenit. proinde, cùm *Borax* sit *naturæ salinæ, & fixioris*, atque Metallis, in flamma fundendis, insperſa, non tam citò volatisetur, aut subitò consu-

matur, quin cum iisdem aliquandiu perduret, eaque mundificet: quid de eâ, in balneo aqueo deſtillandâ, nobis compromittere poſſumus? Num ſudores balnei hujus exantlare poterit, quæ plus, quàm reverberii furnos, experta, & pertæſa? Induamus, quæſo, Philoſophi mentem, & talia in ſubſtantia propinemus, quorum nondum perrupimus corticem, &, quis lateat nucleus, ſcrutati ſumus.

Obviat mihi nunc *ſal Tartari album*, quod & ipſum huic profectò admirando Lixivio aggregari debet. Ridicula magis ſomnia mihi nemo facilè obtruſerit, quàm *Sal Tartari debere, aut fuiſſe, per B. M. deſtillatum.* Scrutemur enim ejus geneſin, & cunabula prima Chymica. An non *Tartarum violentiſſimâ calcinatione, in furno figuli, & flamma reverberii opus habet?* Ex quo, ſic ad albedinem *calcinato, Tartaro*, vel aquâ ſtatim affuſâ, *ſal ejus fixus* elixiviatur, vel *ipſum Tartarum calcinatum*, in cella collocatum, per ſe, in humido liquefieri permittitur. Utrum horum accidat, ſive liquorem, ſponte in cella attractum, ſive aquam affuſam, vapore tenus coquendo, usque ad ſalis ſiccitatem abſtraxeris, *ſal demum efficietur Tartari albus, & fixus*, in igne utique diu perdurans; in quo quantò diutius detinetur, liquatus nempe, (uti cum Metallis accidit in crucibulo,) eò magis excandeſcit, acerrimusque evadit. Cùm ergo *Tartarum, & ejusdem Sal*, tàm atrocem Vulcanum, & prolixam fuſionem, ad normam metallorum, ſibi depoſcat, nec in elixiviatione, aut etiam evaporatione, quidquam deperdat, virtutibus ejus, & ſalinâ naturâ ſemper ſuperſtite: anne futurum, Amice Lector, ut illa hiſce mollibus igniculis, & quaſi blandimentis, vi deſtillationis Balnei, qualitates ſuas ſalinas, balſami inſtar, per alembicum communicent? Minimè gentium! Poſt multas, & operoſas deſtillationes, reſiduum, & fundum alembici ſcrutare, ibique Theſaurum, & Tartari univerſam ſubſtantiam defoſſam reperies; prout *in Tartari* coctione evenire ſolet. Alia igitur via tenenda nobis eſt, quando *Tartarus volatiſari*, & per alembicum duci opus habet; & eſt ſequens: *Tartarum calcinatum*, & in cella collocatum, ſponte ſuâ, in liquorem limpidum, ponderoſum, & ſalinum reſolvendum, vel liquandum eſt, (quem liquorem *Olei Tartari* inſigniunt nomine,) qui (*liquor*) in retorta, ſive alembico vitreo humili, ſuper igne arenæ, non balnei, officio deſtillationis abſtrahatur, ad ſiccitatem ſalis, in reſiduo manentis. Relictus *hoc ſal*, porrò in cella collocatus, nonnunquam aſtris etiam expoſitus, ab humiditate aereâ attractâ liquetur, quæ denuò in arena, ut factum anteà, abſtrahatur; eoque liquore abſtracto, ſemper aſſervato, ſalem in cella, & aëre denuò, per ſe, liquefieri facito, & deſtillato; quod toties; donec *omnis ſal Tartari*, hoc modo, à volatili illo attracto univerſali ſale aëris volatiſatus, transierit per alembicum, repetendum. Et hâc demùm ratione certior eſſe poteris, L. B. virtutes *ſalis Tartari* per alembicum transiiſſe, Teque accepiſſe,

ſe, ſuccincto ſermone, ſecretum magnum, Tuæ, & Proximi ſaluti deſtinatum; quô felix utere. Idque Tibi, hoc ductus motivo, revelo, ne, ad æmulationem multorum ævi noſtri Scriptorum, invidiæ mancipium evadam, qui magnifica, & divina remedia, ore & calamo, jactitant: Ubi autem diutiſſimè, figurâ ſuſpenſionis, ab ore & ſermone eorum detinemur, & aliquod Oraculum ab ejusmodi Deaſtris præſtolamur; nos tandem deceptos videmus. Et, qui in Theoria ſua *Cicadis vocaliores* erant, *Scripheis ranis*, ipſisque *piſcibus*, *magis muti* fiunt, oriqué impoſito digitô, conticeſcunr; non ſine juſtâ Lectoris indignatione, qui ſe, velut illicio tractum, turpiter deluſum deprehendit. Inter quos Doctiſſimus ac Celeberrimus, re & famâ, Philoſophus, ac Medicus, *Helmontius*, cenſendus eſt, vir acris ingenii, & præcellentis literaturæ. Sed ſua nihilominùs deliquia, & eclipſes, ſuſtinuit hoc Sidus, quod ſuper candelabrum quidem conſtitutum, ut arderet, & luceret; ſcientiæ tamen radios Poſteritati ſubtraxit, &, præpoſterâ charitate, ſub modio occult vit. Ut proindè meritò poſthuma ejus ſcripta, ad quæ, veluti feliciſſimi ominis Cynoſuram, literatorum animi confugere debebant, tanquam funeſti ominis ſidus, crinitum ac portentoſum Cometam effugiant, qui inter umbras & tenebras triſti lumine emicat. Quàm enim hic, bonæ memoriæ, Vir, multa & præclara, *de Sale volatili ipſius Tartari*, adducit; ejus tamen modum, & parandi dexteritatem, occultavit, duro, ac novercali, in Poſteritatem, animo; quam, velut orphanos, inter ſuſpiria & lachrymas deſolatam, defoſſo in terram talento, vitâ excedens dereliquit. O verè obſtinatam cordis duritiem! Quæ gratis à Patre Luminum accepit, public non feciſſe juris, nec ſanè Chriſtianum Philoſophum, ac ſenſatum Medicum, decebat. Quàm iniquum, quem omnes, velut Deaſtrorum quempiam, & familiare Numen, recolunt, privato quorundam delicto, & ingratorum vitiis, in transverſum agi, innocuæ Poſteritati concreditos ſibi theſauros defodere, fontes denique ſcientiæ & ſapientiæ occludere; quos tamen increata Dei Sapientia jugiter manare facit, derivatis, ex bonitatis ſuæ abyſſo, aquis, usque in ævum Eliæ Artiſtæ, & conſummationem ſeculi! Convertant oculos, & aciem, lividiſſimi mortalium, in Authorem Fidei, qui Solem ſuum oriri facit ſuper juſtos & injuſtos; apud quem non eſt acceptatio perſonarum, cujus proprium eſt, ſemper miſereri, & parcere; qui, intuitu meritorum, decem etiam juſtorum, decumanum illud Pentapolis incendium, quo non urbes, ſed orbis conflagrare viſus, ſuſpendere voluit. Et tu, non Homo, ſed Vermis, diſcinctas adeò volvis cogitationes; ſuperbis, terra, & cinis, & omni Scythâ barbarior: Quem nec Orphanorum gemitus, nec Viduarum planctus; non ſanguineæ Conjugum lachrymæ, nec inviolati thori, ceſtique connubii, divortium ad pietatem flectit: Quin eos violenter divelli, vitæ mortem dominari finis, & tumulos pro thalamo erigis, dum incircumciſo corde, & im-

miti Genio, ſalutis medelam, Panaceas denique tuas, celas, & defodis, & piaculum cenſes, orbi revelare, donec aliquando, nec longiore dignus vitâ, cum iniquiſſimo illo talentorum veſpillone, & Paraphraſtico ſervo, in tenebras exteriores, plusquàm Cimmerias, ejiciâre. Induamus igitur viſcera miſericordiæ, & collata nobis deſuper chariſmata concredamus Poſteritati; ſic ea Domino cum fœnore reſtituentes: Nec nos turpis illa avaritia ſorditet, aut frigidum illud verbum: *Meum, & Tuum*, interturbet; quin nos totos Proximo; Patriæ, & Poſteritati mancipemus. Præivit ſanè, glorioſo exemplo, adhuc ſuum agens Tyrocinium tenebrarum, nondum ad lucem Chriſtianam initiata Antiquitas; apud quam Ars Medica, piâ religione exculta, inter prima adhuc incunabula, firmiſſima jecit fundamenta; adeò quidem, ut, ſi quis graviori morbo conflictatus, priſtinam ſanitatem receperit, rem veluti ab Ovo recenſuerint, genus morbi, ſanationis hiſtoriam, medicamenti ſpeciem, genuinâ veritate, & candore, deſcripſerint; ut, ſi fors quempiam eadem laceſſeret hydra, ipſa ſuum reperiret Herculem & domitorem: Donec, ſuccedentibus annis, res in immenſum Volumen excreſcens, non in Bibliotheca, aut quopiam ſecretiſſimo Archivo, centum ſeris & repagulis munito, ſed publico Æſculapii Delubro, aſſervari cœperit; ſuccedente interim, & inſtante, Magni illius Coi feliciſſima Aurorâ, quâ hic Medicorum Sol toti illuxit orbi, ad noviſſima usque tempora perennaturus. Nunc verò (ô Tempora! ô Mores! ô ferrea & duriſſima Secula) in tantum refrixit mortalium charitas, ut, ſi quem divina bonitas ad ſcientiæ ſuæ fluenta, & gratiarum fontes manu duxit, arcano quodam remedio, & Panacea, dignatus; non in publico ſuſpendat delubro, velut divinæ largitatis trophæum; non ſuper roſtra, pulpita, aut tecta, proclamet, ut ſequacibus profit: Imò inter anguſtias pectoris abſcondit, proximum defraudat, vix ſpirantem, & anhelantem, ne dicam, agoniſantem fratrem auxilio deſtituit, & (anteambulonem illum Levitam in Jericho deſignans) ſupercilioſo vultu oberrat; canem potius, quàm hominem, ſalutaturus. Portant ſanè tales homines myſteria, indigni, quibus miſericordia aliquando eveniat; homines, non homines. Sed heu! venient, & ingruent aliquando tempora, & opera eorum ſequentur eos; ubi rigidum immiſericordibus judicium, & certa damnatio. *Hucusq; Parentheſis.*

Tandem, *de Ebore uſto*, non eſt, quod multis ediſſeram; cùm per omnia Cornu Cervi uſtum æmuletur, in quô, peractâ ejus calcinatione, reliquum nihil eſt, quod deſtillationi deſerviat. Nam omnia à violentiâ ignis expulſa ſunt, oſſibus meris mortuis remanentibus. Cedat

dat igitur *Ebur uſtum* in alios uſus, &, fors, Pictorios; è quô calcinato, album ſimul, ac nigrum, colorem eruunt. *Albiſſimum* enim evadit *Ebur*, ſi in aprico, non verò concluſo vaſe, calcinetur; *nigerrimum* interim colorem contrahit, vaſe per calcinationem probè clauſo. Verùm, ſive nigro ſive albo colore ſpectabile ſit, effœtus cinis veluti, & terra ſterilis eſt; *neq; ſale* quidem *fixo* (multorum judicio) in gremio ejus contento.

Atque hæc ſunt, quæ in his *Compoſitionibus*, magni alioquin Viri, Mynſichtii, cenſuram petebant; ad cujus normam & reliquæ *Compoſitiones*, eôdem quaſi Collyrio, reſtitui poſſunt; ſive Aquæ ſint Deſtillatæ, Syrupi, Extracta; aut ipſæ denique Decoctiones.

De reliquo agam, ut & è *Pharmacopœia Medico-Chymica Dn. D. Shröderi*, duce ratione, manuali operatione, & praxi, aſſeclis, aliquot *Compoſitiones* luſtremus. Omnes enim ac ſingulas ſpecialiter inveſtigare, immenſus labor eſſet, & opus plenum tædio. Uno alterove *deſtillandarum Aquarum* exemplo, velut Ideâ, contentus, eam ſaltem ſcrutabor. Et cùm in præmiſſis, ſpectabilis Dn. D Quercetani, & Dn. D. Mynſichtii, ventilatis Compoſitionibus, pleraque diſcuſſa ſint, & amputata, quæ in his diverſis Compoſitionibus repullulant, utpotè *in Aquis: Aperitiva, Aſthmatica F. F. Cephalica, Cordiali frigida, reſtaurante, Coſmeticâ Myrrhata, Anti-Dyſenterica, Febrifuga, Anti-hectica, Pectorali prima, Theriacali &c.* eſto idem de iis judicium. In præſentiarum autem *Aquam* duntaxat *Carbunculi*, & *binas Coſmeticas*, in me ſuſcipiam, movendas. In illis autem ea unicè attingam, quæ in ſuperioribus examinatis *Compoſitionibus* nondum illuxêre; unde nec diſquiſitio eorum haberi potuit. Sunt autem *Compoſitiones* ex dicta *Pharmacopœia-Medico-Chymica*, *pag. 136. 140. 1. 1.* mutuatæ, ſequenti ordine comprehenſæ:

AQUA CARBUNCULI SCHRÖDERI.

℞. *Flor. Roriſmarini, ſ. Anthos,*
Lilior. convall.
Violarum,
Borraginis, ana ℥vj.
Herb. Majoranæ,
Salviæ min.
Lavendulæ,
Endiviæ,
Spicæ, ana ℥j.
Nuc. Moſchat.
Zinziberis,
Macis,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Cardamomi,
Granorum Paradiſi,
Cubebarum,
Galangæ,
Viſci Quercini,
Avellanar.
Sem. Pœoniæ,

Raſ.

Raſ. Cornu Cervi, ana ℥j.
Incidantur & infundantur in
Vini Malvatici,
Aq. Lavendulæ,
Spicæ,
Roſarum,
Fragorum, ana ℔iij.
Vini albi generoſi ℔ij.
Poſteà adde
Auri foliati,
Margaritarum,
Offium de Corde Cervi,
Lapid. Percarm, ana ℥ß.
Moſchi gr. v.
P. ſ a. Deſtillatio in M. B.
N. Solem, Margaritas, &c. minùs rectè ſubjici deſtillationi; rectius deſtillato admiſceri.

AQUA COSMETICA SCHRÖDERI.

℞. *Ceruſſæ albæ ℔j.*
Succi Limon. ℥j.
Limacum ℥iij.
Album. Ovor. num. xv.
Camphoræ,
Boracis, ana ʒiß.
Myrrhæ ℥ij.
Thuris,
Maſtichis, ana ℥ß.
Infundantur horis XXIIII. in
Aquæ Tiliæ ℔iij.
Sambuci ℔iß.
Poſteà deſtillentur.

AQUA COSMETICA PRETIOSA, EJUSDEM.

℞. *Lilior. albor. ʒvj.*
Ireos Florent.
Fabarum,
Cicerum,
Lupinorum, ana ʒß.
Flor. Fabar. recent. M. ß.
Tragacanthi.
Ceruſſæ alb.
Sacchari albi, ana ℥ß.
Medull. Panis alb. in lacte madefactæ, unc. j.
Olibani,
Gum. Arab. ana ʒiij.
Boracis,
Alum. plumoſi, ana ʒij.
Album. ovi ℥j.
Camphoræ ʒiß.
In ſ. q. Aq. Roſarum, & Flor. Fabarum, ana infundantur ♂ ♇ 3. deinde deſtillentur.

Quod ſpectat præprimis *Aquam Carbunculi*, laudo in illa Compoſitione, & approbo *cuncta ingredientia, quæ ſulphureæ naturæ ſunt; Cephalica, Cordialia, Flores, Herbas, & Aromata:* Quæ omnia deſtillationibus ſunt aptiſſima, virtutesque ſuas deſtillando per alembicum uberrimè transfundunt. Excipio autem *Viſcum Quercinum, Avellanas, Raſuram Cornu Cervi, Aurum foliatum, Margaritas, Oſſa de Corde Cervi, & lapides Percarum.*

Viſcum igitur *Quercinum* quod attinet, quoad Eſſe ſuum, *Lignum inodorum eſt*, nullô fragranti ſpiritu ſulphureo præditum, *terreſtrioris indolis*, ad *Extractiones, Decoctiones, Pulveres, & Eſſentias* ex eo comparandas, aptiſſimum; ſed quod, deſtillatum in Alembico, B. M. cum affuſo ſibi liquore, par-

parcius eſt, quàm ut minimum virtutum ſibi congenitarum per alembicum elargiatur. Deprehendimus enim illum in reſiduo, ſalvâ omni virtute, ſuperſtitem, repetitis etiam crebrò deſtillationibus. Quare multum prodeſſe, credo, ſi caſu, quô Aquis deſtillandis Epilepticis, & Cephalicis, aduniri debet, ſubtiliter tantùm conciſſum, alembici roſtro tradatur, (*vel penitûs, quia alias gratis adjicitur, removeatur,*) quò ab adſcendente ſpirituoſa aqua, in ipſo capitello, ejus eſſentia ſimul extrahatur, & proliciatur. Si enim ſecus accidat, Aquæ cum eo, vel ab illo, deſtillatæ, nihil virium participabunt; ſed ille gratias accumulabitur.

Huic Viſco ſuccedunt *Avellanar.* num *Viſcum*, num verô *Nuces*, dicam, hæreo. Utrum enim hæ, ſcilicet *Nuces*, an verò illud, in arbore Avellanæ repertum, viſcum ſit intelligendum, ſub judice lis eſt: dum ſub *Viſco Quercino* nulla areola, à parte ante, infra vocem *Viſc.* (quemadmodum ſolent Medici Species Receptarum, ut vocant, ſub, & ſupra, ordinatim ponere,) ſit relicta vacua; ſed ſub eôdem ſubſtantivo *Viſc.* in rectâ linea, *Avellanar.* vox ſubſtet. Ego tamen in ea omninò ſum conjectura, Authorem *Viſcum Avellanæ arboris*, vel *Avellanarum*, ſubaudiendum innuiſſe. Utut tamen ſit, ſive *Nuces Avellanas*, ſive *Viſcum potius Avellanæ*, Aquæ huic deſtillandæ addideris; eâdem difficultate laborabis: cum neque de uno, neque de altero, quippiam illi communicetur. *Avellanæ* enim *Nuces* fructûs ſunt, Nucleum Amygdalarum ſignantes; à quibus fructibus nullam peculiarem prærogativam, & ſubſidium, ſortimur, quod pro Aquis, ex iisdem perperàm deſtillandis, militaret. Unde illi, qui hanc Aquam paraturus eſt, Pharmacopœo, non ſolùm *Viſcum Avellanæ præferat Nucibus Avellanæ*, ſed & *Viſcum hunc*, minutim inciſum, unà cum *Viſco Quercino*, capitello, & roſtro capitelli (niſi nimia fuerit, propter hæc duo ligna, quantitas; quæ tamen non iniquè diminui poſſet, cùm drachma una, vel altera, eorundem, capitelli roſtro immiſſa, plus deſtillandæ aquæ communicatura ſit de viribus ſuis, quàm eorundem aliquot unciæ, deſtillationi ſubmiſſæ) immittat, ſuadeo; Maurum cæteroquin loturo.

De *Raſura Cornu Cervi* jam antè fundamentaliter actum eſt, evictumque, illam *Deſtillationi* penitus ineptam eſſe, Quare, hâc in ſequeſtro relictâ, nunc ad

Aurum foliatum deſcendo: de quo Clariſſimus Schröderus ipſe notam annectit, dicens; *Aurum, & Margaritas, &c. minus rectè deſtillationibus ſubjici, rectiùs illa deſtillato admiſceri.* Hæc ille. Verùm, num hoc Marginale, & Nota, difficultatem ex integro ſolvat, an ſolùm effugiat, disquiſitione opus habet.

Præprimis verò pro Clariſſimo Schrödero milito; *Aurum* nimirum *Deſtillationibus non eſſe committendum:* cujus ea eſt ſoliditas, & reſiſtentia, in Probatoria & Separatoria Fornace, ut, ſi diu multumque etiam in illa detineatur, nil quicqam tamen, neque de ſubſtantia, neque de virtuti-

bus ſuis, deperdat. Igitur ridiculum eſt, *Auri*, ſimplici deſtillationi commiſſi, vim & energiam arcanâ torturâ velle elicere. Nihilominùs de *una vel altera Auri additione*, ſi penitiùs examinetur, certum eſt, quòd, licet *prior additio Auri*, ad ea, quæ deſtillanda obveniunt, planè ſupervacanea & inutilis ſit; non ſit tamen Ægris æquè adverſa, & pernicioſa, quàm illa, juxta Clariſſ. Schröder. *Auri foliati in deſtillatas Aquas immerſio*, & uſus.

Et ratio præ foribus ſtat. Nam ſi *Aurum* addendum eſſet ipſi deſtillationi, illô quidem non foret opus, quoad exactiſſimo labore in minutias, ſeu folia, diductum eſt: ſed ſatis ageretur, ſi eſſet in tenues laminas malleatum, vel ſi, uti nonnulli aſſolent, catena Aurea multarum unciarum, aut nummi Aurei injicerentur, ita, ut, peractâ deſtillatione, à fæcibus reſiduis Aurum, non minùs ab omni parte ſalvum & integrum, ſpectando pondus, energiam, & valorem, denuò erui poſſet. Et demus, tantâ ſimplicitate quempiam circumveniri, ut *Aurum foliatum* deſtillationi committat, juxta compoſitionis mentem: perfacilè nihilominùs foret, *idem Aurum* è fæcibus (ſcilicet reſiduis à deſtillatione ſpeciebus) arte recuperare; prædictas nimirum fæces, à deſtillatione reliquas, comburendo: è quarum cineribus *Aurum*, additione quorundam ſalium, ſeu Mineralium, citra magnum laborem, liquari & ſuſcitari poteſt, præter ullam *Auri* jacturam, & pretii augmentum: ut hæc Aqua deinceps, egenis pariter, & divitibus, venalis extet. Quòd ſi verò *deſtillatæ* jam tunc *Aquæ Carbunculi, uncia dimidia Auri foliati* admiſceri debeat; plusquàm Indorum Ganges hæc Aqua aurifera foret: utpotè, in cujus ſuperficie aliud non refulgeret, quàm ſplendidiſſimæ atomi, & *irradians Aurum*. Quàm autem Ægris grata futura ſit, prudenti cuivis judicio committo, ſimulque riſui deſtino, conſiderando, quòd hoc modo Aurea Majorum ſecula ad nos refluerent, quibus theſauri adeô vileſcunt, ut ipſa Ægrorum inteſtina, œſophagus & labia, mentum, & barbæ obriſo incruſtentur auro. Tacerem fortè, & repetitam hanc inſaniam, ſeu prodigalitatem, diſſimularem; niſi Ægri quoque magno incommodo inde tentarentur, dum ſcilicet actio chylificationis, ſuctio, & tranſitus chyli, per lacteas ex inteſtinis, ejusmodi Aureis corpuſculis intervenientibus, turbaretur. Nam quædam venarum oſculis, in meſenterio & inteſtinis ſitis, ſe inſinuarent; quædam, citra alterationem, cruda, ut ingeſta, per alvum, cum excrementis inauratis, ſecederent; reliqua verò corporis œconomiam turbarent. Quod ipſi *D. D. Auguſtani*, jam olim, aureo ſuo aſſerto, confirmarunt, quando ſcripſêre; quòd *Aurum ſic crudè foliatum, Compoſitionibus medicamentorum unicè, ad ſaturandum oculos vulgi, addatur*, & indè nullius fructûs ſit. Verùm dum fallaci hoc *Auri fulgore* plebis oculos demulcere volumus, ſaltem ea ratione id præſtemus, ne ſumptuum, & crumenæ, pauperum immemores, illis fortunas ſimul, & ſanitatem, inſanâ hâc noſtrâ prodigalitate eripiamus, *Aurum* enim,

fixiſ-

fixiſſimum Metallorum, à debili calore, & fermento ventriculi inſito, actuari nequit. Altioris illud eſt indaginis, quâ ratione, & quo menſtruo, ſolvi Aurum poſſit, ut à noſtro calore deinceps ſe ſubigi patiatur; de quo hîc plura non addo. Interim *Mantiſſa* mea ſuper hâc re conſulatur; ex qua ſuam quisque hauriet ſatisfactionem.

Margaritas perperam deſtillari, vel *deſtillato* etiam *ſuperaddi*, ipſe notavit Author. Deſtillatæ enim nihil prorſus communicant, virtute ſalvâ, & intactâ ſubſidente. Nam etſi *Vinum*, *aciditate ſuâ*, *ſplendorem Margaritarum* retundat, ſeu obſcuret, ex integro tamen non ſolvit: licet in ſubtiliſſimum etiam pollinem eæ reducantur. Et ſi etiam diſſolveret Vinum, huic compoſitioni adjectum, *Perlas*, nequaquam tamen illæ vaporetenus aſcenderent, ſed inſtar *ſolutionis*, & *ſalis*, uti vocant, in fundo reſiderent, ad normam, quâ aliàs *Margaritæ aceto ſolvi* conſuevêre: à quibus ſi *acetum* ſolvens deſtillando abſtrahitur, non ſolùm *Perlæ ſolutæ* in fundo, reſiduoque ſuperſunt, ſed etiam *aciditas omnis aceti Perlis*, in quibus vim ſuam exercuit, inſeparabiliter adhæret, actione & reactione in aliud, ac tertium, Ens mutata; à quibus (aciditas illa aceti) ſeparari ampliùs non poteſt, niſi vi ignis fortè, & quidem ex parte tantùm, ſed cum interitu, & *Perlarum exuſtione*. Cùm itaque, uti ſatis declaratum, *Margaritæ* inconvenienter *Deſtillationibus* ſubjiciantur, ſive per ſe, ſive aliis *Compoſitionibus* fuerint ante commixtæ; quod crebrò accidit, compoſitiones compoſitis cumulando, quas ipſæ *Margaritæ* etiam ingrediuntur: hortor proindè, ut *Perlæ prædictæ*, ſed legitimè *ſolutæ*, atque adeò non crudæ, *Aquis* jam tùm *deſtillatis* immiſceantur. Nam ſi *ſimpliciter tritæ*, *& præparatæ Perlæ*, uti Author vult, *Aquis deſtillatis* immiſceantur; intimè cum eis nunquàm uniuntur, ſubſidentibus ſuâ ſponte ſemper *Perlis*: quæ proindè, denuò commotæ, Aquarum claritatem deturbant, ut cremorem quendam, aut lacteum liquorem, illæ potiùs repræſentent. Huic inconvenienti, ut maturè obviam eamus, & *Margaritæ* inſeparabiliter *Aquis* permixtæ maneant, eæque ſolutæ, claritate *Aquæ* nihil mutatâ; præſtat, ut n. m. *Perlæ*, ſeu *Margaritæ*, *in Spiritu noſtro Veneris Antepileptico* ſolvantur, & in *Magiſterium ſolubile*, & laudabile, prout *in Appendice n.* edoctum, redactæ, eidem *Aquæ* tandem legitimè permiſceantur. Atque hôc modô *Aqua* talis, ſubſtantiâ & virtute *Margaritarum* dotata, multò erit præſtantior: ſi verò ſecus agatur; aut nanciſcemur *Aquam* omni virtute, & Perlarum viribus, deſtitutam; aut inelegantem & minùs efficacem. Hæc *de Margaritis* dicta, ſufficiant ad ſcopum noſtrum præfixum: quòd ſcilicet *Margaritæ* contra leges Artis, & Naturæ, deſtillationibus committantur; non item deſtillatis; ſuppoſitô, ſi legitimè ſint ſolutæ.

Sequuntur Margaritas *Oſſa de Corde Cervi*, & *Lapides Percarum*, quæ ambo, quum eandem, huic *deſtillationi* commiſſa, proſapiam oleant, uni ſubjiciam cenſuræ. Eſt autem horum

ingredientium ea indoles, & natura, ut omnem *deſtillationem*, affuſo illis liquore, excludant, præſertim *Oſſium de Cord Cervi*, quippe, quæ nec *deſtillatis Aquis* ſunt permiſcibilia, niſi per retortam ex iis, ac ignis vi, ad eum planè modum, quo ex *aliis Animalium partibus*, *Sal volatilis*, *Spiritus*, & *Oleum*, juxta noſtrum ſuperius, in *Aqua Hirundinum*, indigitatum exemplar, propelleretur, & *Aquæ* huic *Sal volatilis* juſtè admiſceretur. Verùm hoc, propter *exiguum eorum Oſſium pondus, ac magnum pretium*, hoc locô, in Praxin deduci nequit. Quamobrem inani labore his *Compoſitionibus* annexa ſunt, & perpetàm *Deſtillationibus* commiſſa, ſumptûs & expenſas ſaltem multiplicatura.

Lapides verò *Percarum*, tametſi & ipſi, ex toto, ad *Deſtillationes* ſint inhabiles; poſſunt tamen conformiter, ad traditum *ſuperius Canonem, pro Margaritis*, in *Magiſterium ſolubile* converti, & *deſtillatæ Aquæ* legitimè uniri. *Oſſa* autem *de Corde Cervi* in ſimilia *Magiſteria* reduci nequeunt, propter lentorem, & viſciditatem, quam de natura ſua continent: neque etiam *Cornua*, ſive *Cervi*, ſive *Alcis*. Illa enim *Magiſteria*, quæ ex *his dictis oſſibus cornubuſq; omnibus*, communi modo, in officinis Pharmaceuticis confici ſolent, nullius ſunt valoris, & calx mortua, nullâ arte, aut ſpiritu, tametſi ſummè corroſivo, impoſterum ſolubilis; adeo, ut nec ignis vehementiâ aliquid ex ipſis poſſit extorqueri; prout fuſiùs, *in Animadverſionibus ad ſuper hæc Magiſteria*, tractatum eſt. Ut dennò illud verificetur, *non omnia ex omnibus fieri, ſed determinata ex determinatis*, duce Philoſophiâ, & Experientiâ.

In *Moſcho* huic *Aquæ*, & *Compoſitioni*, adſcito, hoc unicè ſuadendum, ut, ſi illum ad *Deſtillationes* tractum velis, *roſtro alembici*, *vel capitelli, in petia ligatum*, potiùs immittas.

Et hæc ſunt, quæ circa *ingredientia quædam Aquæ Carbunculi* ſpecialiter advertenda erant. Sequuntur ea, quæ, in duabus aliis, ſupra delineatis, *Aquarum Coſmeticarum Compoſitionibus* obvia ſunt caſtiganda. Hiſce autem ferè terminis notantur, utpotè: *Ceruſſa alba*, *Succus Limonum*, *Limaces*, *Albumen ovi*, *Borax*, *Myrrha*, *Thus*, *Maſtiche*, *Tragacanthum*, *Sacchar. album*, *Fabæ*, *Ciceres*, *Lupini*, *Medulla Panis albi in Lacte madefactæ*, *Gummi Arabicum*, *Alumen plumoſum*.

Quod attinet *Ceruſſam albam*, illa *Plumbi*, *Metalli*, *ſoboles*, calcinatione, partim extractione, è Plumbo conficitur; ex illa, beneficio *Aceti deſtillati*, *Saccharum*, ſeu *Sal Saturni* (veriùs *Vitriolum Saturni* nuncupandum foret) elicitur, extractione, & ſolutione nimirùm, ac menſtrui, ſcilicet *Aceti* (quod tamen à ſua aciditate, mediantibus actione & reactione, in liquorem inſipidum degeneravit) abſtractione, ſeu evaporatione; in qua verò abſtractione, ſeu evaporatione Menſtrui, ad *ſiccitatem Salis uſq;*, etiamſi decies fieret cohobatio, reaffuſione nimirum abſtracti Menſtrui, vel etiam recentis Aceti, *idem* tamen *Sal*, ſe

ſeu *Saccharum Saturni*, nec quicquam volatile redditum, aut à ſtatu ſuo mutatum, in fundo, & reſiduo Alembici, eſſet permanſurum. Hoc ſi verum, uti veriſſimum, accuilibet Pharmacopœo, aut Chymico, notiſſimum; quod, obſecro, *Ceruſſa*, in deſtillatione hâc, cum *Aquis Tiliæ* & *Sambuci* celebranda, nobis præbere poterit, quum *Aquæ* prædictæ illam neque extrahere, neque diſſolvere, multo minùs à gravedine & pondere, cum Plumbo genialem habente, eximere, ſeu volatiſare, & per alembicum raptare poſſint. *Mineralia* enim, *Metalla*, & illa quidem *calcinata*, quæ vim, & torturam ignis, longo intervallo, perpeſſa, irrita ſunt tentamina, & inſulſæ cantilenæ, velle deſtillationibus committere: nec aliud eſt, ſimiles nænias tradere, quàm Scholas, & Diſpenſatoria noſtra, apud Poſteros proſtituere, riſumque proplauſu reportare. Vulgato enim etymo, *Medicus Naturæ miniſter* dicitur, quâ, velut Anteambulone, aut Præficâ, noſtros diſcurſus, & mentis greſſus, firmemus; illius nutui & inclinationi auſcultantes; non verò ſomnia noſtra, & quandoque deliria, ſectantes; queîs aliquando, phanaticorum more, per avia & devia naturæ erramus, Chimæras fingimus, & naturam violentâ manu raptamus, per omnia ὕστερον πρότερον facientes. Ratio Chymicum præveniat, & comitetur pediſſequa; quâ duce, & comite, ad ſobrietatem philoſophabitur, naturæ arcana myſteria, diſparatas rerum geneſes, exoticos effectûs, in rerum Sympathia, & Antipathia fundatos, ediſcet: quæ reliquos, de plebe, viros, etiamnum ſub velamine latent.

Ceruſſam ſequitur *Limoniorum ſuccus*; qui etiam, haud dubiè, vim ſuam, quantum licet, in *Ceruſſam* exeret, ac de illa tantum ſolvet, quantum acidi liquoris, ſive ſucci hujus, ſive aceti, tantillum, ſi eſſet uncia nimirùm una in libram unam Ceruſſæ, agere, & ab illa ſolvere poteſt. Sed cui frugi? Tametſi *ſex*, vel *octo libras dicti ſucci*, vel etiam *aceti vini*, *uni libræ Ceruſſæ* affunderes, & ſolveres *Ceruſſam*, aut extraheres ejus *Saccharum*, vel *Sal Saturni*; transiretnè illud protinus per alembicum, deſtillando, unà cum affuſo *ſuo ſucco ſolvente Limonum*? Nequaquam: nehilum, aut granum, dulcedinis, aut ſalis, aut alterius, *de virtutibus Ceruſſæ*, quin potius *ipſe ſuccus*, *aliàs acidus* in ſuo Eſſe, *à Ceruſſa* transmutatus, in aliud Ens veluti transmigrans, inſipidus, inſtar aquæ elementaris, deſtillando transiret & proliceretur, omnis virtutis refrigerantis, & abſtergentis, efficaciæque Coſmeticæ, expers.

Cœterùm *de Limacibus* (in antecedentibus quoque examinatis) quæſtione factâ, quantum, rogo, virtutis, & Aquæ abſterſivæ, ex illis hâc deſtillatione eliciemus; cùm illi magis abſterſione, dealbatione, & lotione opus habeant, ut potè animalia, & inſecta viſcoſa, terreſtria, difficilis coctionis, & quæ, licet ſatis ſuperque coquantur, nihil tamen inter elixandum exhalant, præter aquam, conſimilis naturæ, elementaris, & noſtratis aquæ? Quis enim ſibi perſaudeat, deſtillatio-

nis balnei vim tantam esse, ut *naturam Limacum*, actione quâdam instantanea, pervertat, quô succus eorum viscosus (dealbans nimirùm, ipsis Limacibus nigerrimis stybio egentibus) in sublime feratur, & per alembicum exstillet? Sed ad alia, & seria magis, properemus.

Albúmina Ovorum, quæ à tergo sunt Limacum, similem, cum Limacibus, atque æqualem, commendationem merentur. Si *Ovum* spectes, id tanquàm simulachrum est universi, analogiâ quâdam, quaternarium Elementorum numerum designans. Adest enim *Concavitas quædam Aëre plena; Albumen elementum Aqueum*; *Vitellus Ignis Sphæram*, & *Cortex Terram* repræsentat. Hominem primum ex *Ovo* natum, aut exclusum, superstitiosa finxit Gentilitas. Duplex in *Ovo* viget virtus: una, quæ Pulli fabricam & corpus effingit; altera, quæ alimenta ministrat. *Albumen* (cui *particula albicans*, *duriuscula* magis, innatat, *semen Galli* supplens) primum dat Pullo nutrimentum, semen, aut ejus ideam, referens; postremò verò Vitellus, solidioris & nutritivæ magis virtutis. Imò, excluso jam Pullô, reliquiæ aliquæ, *de Vitello*, supersunt, quô unô alteróve die, nullius cœteroquin indigus cibi, fœtus, victitare possit: suâ velut è penu talia producente providâ in omnibus Naturâ. Si nunc de *Albumine Ovi* solùm sermo sit, missis *reliquis Ovi partibus*, illud, licet aquæ viscosæ symmetriam referat, externa solum sunt accidentia, non re ipsâ talis substantia. Hæc simplex, & elementaris aqua, in destillatione, & coctione, penitus exhalat, nullô sui relicto vestigiô, nisi pauxillo terre, Sale, Nitri, aut consimili aliquô alio sale, à loci illius terra, ejusmodi re imbuta, quo scaturit, sibi assumpto. *Illa verò viscosa Ovi aqua* (analogicè illam sic compello) longè aliter se habet. Nam *sive coxeris*, *sive lixaveris*, *aut assaveris Albumen Ovi*, *intra*, *vel extra Corticem*, nihil exhalabit, referens idem semper pondus, præmissâ etiam prolixâ coctura: ut adeò, nec destillando, quicquam virtutis eliciatur, quàm exilis admodum particula, & guttulæ aquæ cujusdam elementaris; contrà *Albumine à Calore protinus in corpus Album solidum coagulato*, nullâ arte, nullâque opera, ad pristinum Esse reducibili. Qui itaque *Albumine Ovi* uti voluerit, pro refrigeratione, absersione, nitore corporis, interno, & externo usui destinato, ille *Albumen Ovi recens fluidum*, *minimè coctum*, adhibeat; quemadmodum & ex illo indifferenter fieri omnia nequeunt, neque utilis liquor destillatione prolici.

Borax in superioribus paulò examinata est; quare ejus ulteriori disquisitione hôc loco supersedeo. Sufficit, ex dictis novisse, illam esse *Sal Alkali*, ad destillationes illius generis planè impertinens.

Transeo ad *Myrrham*, & *Thus*, & *Mastichen*. Hæc *Gummata resinosa*, (etsi *Myrrha* nonnihil de *mucilaginea substantia* participet) ac partim in *Spiritu Vini*, partim in *Oleis*, *resolubilia* sunt. Solutio enim illa, quæ cum *Vino*, & *Ace-*

& *Aceto* fit, *in Gummatibus reſinoſis*, violenta eſt; in *Aquis* verò nunquam ſolvuntur: quantumvis diu multumque coquantur, reſident nihilominus intacta, peractâ coctura, ſaltem odoris, & partium quarundam aërearum, paſſa aliqualem jacturam: unde, licet ſi deſtillationi aptentur, nonnihil odoris, & ſpirituoſæ ſubſtantiæ, *Aquis* imprimant; potior tamen eorum pars, & virtus, fundum petit. Quâ de causâ minus dextrè ejusmodi *humidis Deſtillationibus* committuntur; cùm potiùs *ſicca Deſtillatione*, & *per Retortam*, egeant, pro *Oleis eorum eſſentialibus* eliciendis; moderato tamen igne, cum, & ſine additione. Et *illa Olea* virtutis & ſubſtantiæ vicariæ ſunt *ipſorum Gummatum*, nulla lege, cum effœtis ab iis *deſtillatis Aquis*, conferenda.

Cadunt præterea *Tragacanthum*, & *Gummi Arabicum*, ſub unam Cenſuram. Nam ambo *mera mucilaginoſa Gummata* ſunt, nihil *reſinoſi* continentia. Solvuntur in puris aquis tantummodò, aut aliis aquoſis liquoribus; at Oleis, & ſpiritui vini, non parent. Nullô *ſpiritu ſulphureo* ditata ſunt, terreſtrioris duntaxat indolis, & deſtillationibus planè inutilia; cùm, vi deſtillationis humidæ, ab eis nihil transeat, ſed eadem mucilago, longâ morâ multumque deſtillata, vel ſiccata tandem Gummata (ſi nimirùm ad ſiccitatem, cum aqua illis affuſa, denuò abſtracta fuerint) uti antè erant, quoad vires omninò immutata, in reſiduo manent: & conſequenter *Aqua*, ab eis ſtillata, nihil ſaporis, nihil odoris, virtutis nihil, accepit, quod illis gratiam addere poſſet. Vides ergò, & hæc, eâdem injuria, *deſtillationibus* obtruſa fuiſſe.

Dum ad finem decurro, *in Saccharum* incido. Hoc, unà cum *Panis Medulla*, quàm impertinenter ad *Aquarum deſtillandarum* negotium evocetur, in ſuperiori examine *Aquæ Antiphthiſicæ Mynſichtii*, ex fundamento erutum eſt, & ad Solem expoſitum. Unde, ne crambem bis coctam apponam, *ad Fructûs: Ciceres Lupinos*, & *Fabas*, feſtino; quos *tres Fructûs ſeminales*, ſub unâ quoque luſtratione expedire competit, quia unius ferè naturæ ſunt *eſculenti Fructûs*, difficilioris & coctionis & concoctionis: à quibus tamen nihil fructuoſi exhalat, utut diu coctione, ad pultem uſque, torreantur; ſed, æmulando cætera enarrata, virtutem ſuam in reſiduo deponunt totam. Eandem igitur ſententiam, & reprobationem, tulimus, prout ſuperius, de Fructibus, ſoliti ſumus.

Coronidis locô *Alumen plumoſum* adjungimus, huic quoque *Aquæ Coſmeticæ* adjunctum. *Minerale illud eſt, naturâ ſuâ fixiſſimum*, adeô quidem, ut omnem etiam Reverberii ignem eludat, in quô perfectius redditur. De hôc pariter, ſed *in Animadverſionibus n. ad Aquas deſtillandas*, actum eſt, quò L. B remitto. Raptim interim aliquid inſinuaturus, dico, quòd, licet hoc *Minerale, cum affuſo liquore aqueo*, per menſem, continuo agitatu, deſtillares: certè tamen ab hoc ipſo, per alembicum, nihil proficeres, ne vel virtu-

tis

tis minimæ vestigium experturus; æquè fixum, & integrum, post iteratas destillationes, ac in suo principio, futurum est. Quare demirari satis non possum, nullo præmisso discursu, & indagine, *fixa simul, & durissima, Mineralia, atq; Metalla, omnisq; generis Animantia*, unà cum *Vegetabilibus*, uni eidemque destillationi committere Authores, non obstante, quòd quodvis, in individuo, determinatam, & specialem, destillandi & regendi, dexteritatem sibi vendicet; in naturam nostram injurios aut petulantes, quam nostræ libidini, &, quodvis audendi, temeritati, propriisque limitibus, circumscribere attentant.

Et hæc sunt, quæ circa paucas hasce *Compositiones, è Pharmacopœia, Clarissimi Schröderi* depromptas, eventilanda suscepi. Ex quibus, pronum est, intelligere, non tantùm in *hoc Capite Aquarum destillandarum*, sed & in *aliis, alterius formæ, & consistentiæ, medicamentis, diversorum capitum*, plura repertum iri, quæ spongiâ, & limâ, maximè sunt opus habitura: ubi etiam ad oculum patebit, quod non ad *quosvis Affectûs, vel Morbos, cujuslibet consistentiæ, aut formæ, medicamina*, nec *ex quibuslibet quælibet, dextrè & salubriter sint parabilia.*

In qua Arte Destillatoriâ Antiquorum simplicitas in propatulum emicat. Propterea Antistes noster, ipse Galenus, qui ne Rosarum quidem Aquam, aut aliam simplicem, ævo suo, fertur, artificiosè destillasse, pallio interim simplicitatis suæ protectus, tacere maluit, quàm id docere, quod nondum didicerat, more gentis nostræ, & seculi nostri. Quod utinam injurioso hôc tempore non accideret, nostrique Authores procaces adeò non essent, ut aliena venditarent, tanquàm è propria penu relata: cùm interim ex auditis, non verò experientiâ propriâ firmatis, juxta tritum adagium; *Veritas multum cespitet.* Suo proindè id vitio accidisse, credant, si alienis subtractis pennis, vilis cornicula in Theatrum ducatur, ad sacrum Posteris horrorem, & terriculamentum. Deinceps ergò *Manum de tabula*, & calamum à conspurcandis, seu scriptitandis, ejuscemodi libris abstineant; ne retrò agendis seculis sese prostituant, aut posthumos nostros, & hæredes, ulteriùs seducant.

Et hi sunt, uti dixi, trium Clarissimorum, & illustris famæ, Doctorum errores, & lapsus; qui erant reducendi. Hique vel ad primum occursum unicuique patent, non solùm in *Aquis destillandis*, cùm *simplicibus*, tùm *compositis, in genere & in specie:* sed &, si quis, juxta hanc, demonstratam à nobis, Cynosuram, navigare velit, ac reliquas quoque eorum, (scilicet Authorum) diversæ speciei *compositiones* & *Præparationes* examinare, & explorare; pares errores in *Syruporum, Decoctorum, Electuariorum, Extractorum, & alterius consistentiæ, formæq;, Medicamentorum compositionibus* iterato recurrentes, luce clariùs deprehendet: quos quidem fideli, & amicâ manu, ac calamo, intra modestiæ limites, omni sarcasmo abstinens, emendare studui, adductis ubique firmis demonstra-

ſtrationibus, & experimentis, nullum quidem ſecretum celando. Et quanquam curioſum quorundam ingenium, & inquieta indoles, ſiniſtro oculo meas cenſuras proſecutura eſt, non me alio, adhæc, inductum motivo, quàm ut muſcas, vanos honores, & gloriolam, aucuper, dictitans; huic meam oppono conſcientiam, & æquitatem, ſub qua, velut umbone, protectus conquieſco. Placuit interim, dictos Authorum errores, in hac, *de deſtillandis Aquis*, *Claſſe* revellere; qui licet in reliquis quoque pateant, in hac ſaltem adeò palpabiles ſunt, ut nulla demonſtratione, aut ſyllogiſmo, ſed potius Mechanicâ egeant. Æmulatus autem ſum hocce meo ſtylo, & diſcurſu, lucidiſſimum ſpeculum, quod, inter plures prærogativas, hoc ſibi vendicat, quod idem omnibus eſt, & cunctis fidum. Sic & ego me conformare ſtudui, ut nulli palparem, convitiisque neminem tentarem, veritatem interim nudiſſimam, abſque omni adulatione, ſub modeſtiæ velo, in ſcenam darem. Utile interim Tibi, B. L. dicavi. Nam non Nobis, ſed Poſteritati, famulamur. Confido interim, Apes Te æmulaturum, ut ex his dulciſſimis veritatis floſculis mel & mannam exſugas. Nam non deerunt toxicoſi aranei, qui ex iisdem venulis, non dulcedinem, ſed internecinum virus, elicient, quin &, virulento fomite, in alios transplantabunt; ſuo tamen hoc, malignantis naturæ & fermenti vitio accidiſſe, manifeſtè proditurî. Solantur me interim genuini, doctiſſimi Viri, & Medici conſcientioſi, qui, irretorto oculo, lumen veritatis intuentur, & mihi, in tanti momenti re, vitam & ſanitatem multorum myriadum concernente, album adjiciunt calculum. Facem ego prætuli, & ſemitas trivi, ſequantur me, his veſtigiis inſiſtentes, Poſteri: ſic mox errores longè proſcribentur, nitidior Reſpublica Medica brevî futura, ac, ſuppreſſis erroribus, majus indies incrementum captura eſt. Interim, L. B. liberum Tibi ſit, volvere, ac revolvere, Claſſicos omnes Authores, qui *de Compoſitione & præparatione Medicamentorum* ſcripſere: certè iis, quorum Te hiſce participem facio, Axiomata veriora, magisque ſecundum veras Artis leges conſcripta, ac exemplis & compoſitionibus elegantiſſimis illuſtrata, nullibi facilè reperies. Citra arrogantiam, & faſtum, liberè hæc profero. Soli enim mihi notum eſt, quæ Tibi ſecreta aperuerim; quâ ſolertia & vigiliis, inter diſparia nihilominùs ſtudia, hæc ad Te transſcripſerim: Tibique patebit, æquo & ſolerti ſtudio hæc lectitanti, ac practicanti, gravibus de cauſis, ac ſummè neceſſariis, hanc ipſam Compoſitionum quarundam cenſuram à me inſtitutam, & (laus DEO!) exantlatam eſſe. Nam Circe non ſum, qui Te ad meridianum, & diem, faſcinem, & veluti peplo oculos Tibi obſcurem. Facem Tibi in omnibus prætuli, rationis lumen accendi, demonſtrationibus uſus ſum, ad quarum ſplendorem & evidentiam, inevitabilem ubique ſequelam inferre potes, & decumanos ipſe Autorum errores ad cenſuram revocare; ſubſtitutâ ubique

verâ Medicamentorum componendorum, & parandorum, Methodo: quam feliciter confectaberis, ſi per omnia naturæ æmulus, & miniſter, abditos in natura, & conſtitutione Mundi, theſauros ſcrutatus fueris, virtutes & uſus obſervaveris, ejusque regimen exploraveris; ſedulò, quâ formâ & modo, cruda, & alterata, hâc vel illâ lege parata, in uſum ducenda, quæ homogenea nobis ſint, quæ vitæ media, quæ deleteria, & antipathica, obſervando.

Ad Te nunc convertor, Tyro Medice. Oculos mentis, & animum erige, contemplare, quantâ ſolertiâ, ſtudio, & experientiâ, opus habeas, ſi quid aptè, & dextrè, in Palæſtra Medica operari, ac remedia, & morborum Antidotos, diſpenſare velis. Veternus ſanè hinc abſit, oportet, ut & ebrietas, & reliquorum vitiorum plauſtra. Ad Cleontis lucernam vigilandum eſt, ſi Proximo, Conſcientiæ reatui, Deo inſuper, quondam vindici, & ultori à tergo, ex aſſe velis ſatisfacere. Interim reſpice ad bravium, & coronam, quæ Te manet. Et, licet in terris, cum ſuperſtitioſa Gentilitate, Deaſtrum aliquod ex te non fingamus, Tibiſque ſtatuas & obeliſcos erigamus; ſatis hoc Tibi ſit, quòd humanæ calamitatis aſylum ſis, præſes, & vicarius, in terris, vitæ & ſanitatis, charitate & obſequio in proximum ſulgidiſſimus, quîs cum aliquando, ſicut ſtella, emicabis in perpetuas æternitates.

PHAR-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS DECIMA SEXTA, OLEORUM COCTORUM, ET Expreſſorum, ſeriem complectens.

CLaſſem hanc & tractatum de *Oleis Coctis*, *& Expreſſis*, auſpicando, Methodus, & artis leges, expetunt, ſuccinctis verbis, in ipſo limine, præfari, quid ejusmodi *Olea* ſint; ac quibus uſibus deſtinata. Continent autem ejusmodi *Olea* partes plerumque *Balſamicas*, *tenues*, *ſulphureas*, *ac fragrantes*, *Herbarum*, *Florum*, *& Vegetabilium*, in quibus rerum poteſtas, ſigillum, & energia plerumque concentratur. Et quanquam *Olea Cocta* potiſſimum uſui externo deſtinentur, atque ex illis *Clyſteres*, *Unguenta*, *Emplaſtra*, *Cataplaſmata*, *Cerata*, *&c.* diſpenſentur: Magni tamen, in curando, ſunt effe-

ctûs & poteſtatis, ob fragrantiam, & odores rerum, & vegetabilium, ipſis impreſſos, qui ſymbolum ſunt fermentorum, &, analogia quâdam, ſpirituum noſtrorum fulcrum, & allevamentum: adeò, ut magnus ille Philoſophus, Helmontius, licet quamplurimum aliàs Galeni Antagoniſta, & Cenſor, nihilominus tamen, repudiatis cœteris auxiliis, multum prærogativæ *Unguentis & Oleis*, quibus fragrantia & genuinus vegetabilium odor impreſſus, attribuat. Sic enim ille, titulo: *Imago fermenti &c. à num. 16.* ait: *Rerum vires, ac robur maſculum ex odoribus eſt. Imò, ſi penitiùs res ipſa ſpectetur, etiam interna pharmaca tàm ſolutiva, quàm correctiva, ſolò odore tenus agunt. Vidi enim ſæpius, Quartanam, Uteri exundationes, Melancholiam, dolores Colicos, &c. ſolis unguentis ſuperata. Videntur enim odores etiam ſpiritûs abſtractos attingere.* Hæc ille. Vide etiam celebrem ejus locum, *num. 22.* ubi quendam, gravi ventriculi dolore exſolutum, adeò, ut ſtomachi Carcinoma crederetur, fragranti emplaſtro unius palmæ pauris horis curatum vidit. Quibus maturè deliberatis, omni conatu adlaboravi, ut pleraque *Olea fragrantia*, aut *ſimplicium ſuorum craſes, ac vires, redolentia*, uſibus internis deſtinarem. Sunt autem dicta *Olea duplicis Claſſis*: quædam *Simpliciſſima*; eáque *oleo* ſolô *Olivarum*, & *vegetabili* quôpiam, vel *animali*, conſtant: alia *Compoſita*; quoniam, præter *Olivarum Oleum*, quàmplurima recipiunt Ingredientia, unius ſcopi ac Indicationis. Nunc, eorum dextram præparationem afferre, rerum ordo ſibi deposcit: quam priusquàm aggrediar, ac ſuô locô debitis notis illuſtrem, A. L. Author ſum, ut *n. Animadverſiones*, hâc ſuper re divulgatas, nec non ejusdem Thematis *Appendicem*, *pag. 43.* conſulat, magnum exinde habiturus lumen ac compendium. ad dextram jam dictorum *Oleorum* diſpenſationem. Quare, ut tempori ſerviam, prolixis abſtineo prolegomenis, & ad dextram eorum deſcriptionem me converto.

Expreſſa verò *Olea* quod attinet, cùm illa unicâ materiâ, ac ſolâ, v. g. *Semine*, aut *Fructu*, conſtent: multas ambages, notas, ac animadverſiones, non exigunt; præterquam, quod abundè B. L. ſatisfiat in *prægreſſis n. Animadverſionibus*, in quibus vel maximè hoc notandum ſuaſi, ne dicta *Olea expreſſa* alienæ fidei Inſtitoribus, & mercimoniis intentis, concredantur: utpote, qui illiberaliter ea adulterant, ac rebus peregrinis obfuſcant, & enervant: prout, dum hæc ſcribo, è quôdam inaudio, qui propriô confeſſione retulit, ſe *confvetô Oleo Nucis Moſchatæ expreſſo* dimidium *axungiæ porcinæ* adjungere, ut plebi tantô magis tractabile, & unctuoſum veniat; cum illud genuinum, ſyncerum, ſpiſſum ac ſolidum nimis Ægris videatur. Quare, ne ejusmodi fraudes ſubrepant, Author ſum, ut Dn. Pharmacopœi talia propriô Marte elaborent ac exprimant, Ægris ac Sibi conſulturi. Accedo nunc ad ſpeciales *Oleorum deſcriptiones*, quas inter nonnullas *Oleorum Compoſitorum expreſſorum* ideas B. L. repe-

reperiet, ac æqui bonique consulet.

OLEUM ABSINTHII.

℞. Olei Olivarum recentis libras duas: huic immergantur
Summitat. seu Comarum Absinthii nostratis & recentis, minutim incis. unciæ octo.

Factâ maceratione, locô calido, in vitro probè clauso, die unâ, fiat pòst colatura cum expressione forti. Oleo expresso denuò
Comarum Absinthii recent. minutim consciissarum unciæ octo
infundantur, digerantur in calore, die unô atque alterô, factâ iteratâ colatura, & forti expressione. Repetatur tertiò eadem *recentis Absinthii* infusio ac maceratio. Quibus peractis, colatur, & exprimatur fortiter oleum; resideant deinde omnia in vitro probè munitô, ut, si quæ impiurtas, liquor, & humiditas supersit, (quanquam modicum residebit) per inclinationem, aut decantationem, segregari possit, *Oleumq́*, defæcatum, atque purum, usui destinari.

Hoc *Oleum frigidis affectibus Ventriculi conducit, Hepati auxiliatur; repetitâ inunctione adhibitum: Lumbricos enecat & arcet, ad umbilici regionem illitum: Carminativum est, ac Colicos dolores demulcet, quos frigidior causa fovet, ubi Clysteribus immiscueris.* Quod si tamen quis jam dictæ macerationi *Absinthii coctionem* præferat, ac ejus beneficio, majores virtutes dicto *Oleo* accedere, autumet; huic non resisto, aut succenseo. Verumtamen necesse est, ut decoctiones trinæ infusionis, in alembico vitreo, vel etiam balneo nostro vaporoso, appositô capitellô, celebrentur, ne virtutis Balsamicæ, & partium spirituosarum, (quæ pronæ sunt ad exhalationem,) fiat dispendium, sed eæ in capitello concentratæ, ibidemque humiditatem indutæ, ac resolutæ, in præpositum vas Recipiens transcolentur: quæ dein humiditas residuo oleo, ex postfacto, addenda, ac, post debitam digestionem, iteratò segreganda. Neque hîc tàm strictam, & longam decoctionem præcipimus, quâ omnis humiditas exhalet, ut ejus pauculæ guttæ, igni commissæ, illicò flammam concipiant, & strepitum non edant; (hoc enim de consueto signum est maximæ deseccationis, omnemque humiditatem emigrasse) sed sufficit, & abundè quidem, una vel altera ebullitio. Quò maturius enim hæ infusiones, & dictæ ebullitiones, celebrantur in Alembico; tantò efficacius oleum nanciscēris, nullum situm, rancorem, aut fœtorem contrahens. Enim verò ex prolixa maceratione, & insolatione *Olea* plerumque rancida & ingrata evadunt. Proindè macerando, ac extrahendo, *Oleum Absinthii*, per Alembicum, spatiô unius diei, per compendium, idem præstabit, ac si per octiduum (per mensem etiam, dixero,) maceratum fuisset, aut plurimùm coctum *Oleum* demum *hoc*, à trina illa manipulatione nimirum, *infusionibus, ebullitionibus*, & *expressionibus* residuum, reas-

fuſo *liquore*, *per Alembicum exſtillato*, ne ei quid virium decedat, reſidere pariter ſinito, donec, ſpatio dierum aliquot, dictum *Oleum* à fæcibus, & humido ſedimento, (quæ ambo in fundo ſubſidunt,) per inclinationem & decantationem, liberè poſſit depurari, ſuamque nanciſci perfectionem. Nam hoc Tibi, L. B tanquam infallibile principium, ac theorema, perſuadeas velim, omnia ac ſingula *Olea cocta*, à quibus dextrè omnem humorem, pro viribus, non ſegregaveris, ſitum, rancoremque brevi induere, neque durabilia futura; concurrente, [juxta mentem Ariſtotelis,] ad corruptionem & ſui deſitionem humiditate, & calore, à quibus omnis putredo, & corruptela, originatur: quæ in *Oleis coctis* utplurimum reperiuntur. Quòd ſi tamen hæc dicta humiditatis ſeparatio, per inclinationem & decantationem, forſan negotium faceſſat, aut ardua videatur; aliam tibi ſuggeram Methodum: & ſic procedito: Paretur charta bibula ſeu Emporetica, pro filtro, ut artis eſt, ac ad formam infundibuli, quod in conum deſinat, humectetur filtrum *aquâ communi*; cui dein affundatur etiam *Oleum*, cui adhuc *humiditas aquoſa* forſan conjuncta eſt. Sic dictum filtrum omnem *humiditatem Oleo junctam* alliciet, *Oleumq; purum* in filtro, ac reſiduo, perpurabit, omnis humiditatis expers; quod poſtmodùm effundendum & aſſervandum. Quòd ſi verò filtrum hoc chartaceum priùs *Oleo* imbuatur, quàm *aquâ* madeat, *Oleum* per filtrum præcedet, maximè, ac citius, ſi deſtillatum fuerit, reſiduâ in filtro humiditate. Si verò *Oleum* hoc *Abſinthii* viribus intenſius, ac exaltatum voles, ſuperadde ſingulis libri *Olei cocti Abſinthii*, drachmam unam vel mediam, *Olei proprii deſtillati*; à quo multum virium & efficaciæ, odoris pariter genuini, ac reliquorum accidentium, quæ vegetabile comitabantur, ei accedet. Quæ de *Oleo Abſinthii cocto* attuli, de reliquis *Oleis decoctis*, in genere, ſubaudiri cupio, quæ è *floribus*, *herbis*, *ac balſamicis vegetabilibus*, diſpenſantur; quorum *Olea deſtillata* in promptu ſunt, ac Officinis noſtris conſueta. E quorum cenſu numeranda puta, *Oleum Anethi*, *Chamomillæ*, *Menthæ*, *Rutæ*, *Sampſuchinum*, ſeu *Majoranæ*, & alia plura.

Quæ de *humiditatis aquoſæ* ſeparatione, ac incommodis, recenter attulimus, applicari poſſunt ad quantitatem *Vini*, aut *Succorum* etiam, quam, pro diuturnâ *Oleorum* coctura, *Antiquiora Diſpenſatoria* ſedulò præcepêre. Obeſt enim dicta *Vini*, & *Succorum* affuſio, & eorum prolixa lixatio, donec exhalent, ex duplici capite: Primò, quò diutiùs *Olea* coquuntur, quibus infuſa ſunt ſpirituoſa, balſamica, & aërea vegetabilia; tantò plùs virium, energiæ, ac virtutis, diſſipant, ac deperdunt; rarefactis ſulphureis particulis, & in ſublime delatis: unde confectaneum eſt, *Oleum effœtum*, ac nullius virtutis, in reſiduo ſupereſſe. Edocebit etiam magiſtra rerum, Experientia, aſſiduos Pharmacopœos, quâ obſervabunt, quòd, dum liberalior *Vini*,

m, aut *Succorum*, quantitas *Oleis decoquendis* jungitur, tum *Vinum* vices menſtrui ſubeat, ac ex herbis, & vegetabilibus reliquis, *Eſſentias* eorum proliciat. Quæ *Eſſentia* elicita nequaquam naturæ homogeneæ cum *Oleis* eſt, ſed humidæ potiùs, quàm oleaginoſæ: unde etiam, per coctionis decurſum, nequaquam *Oleo* unitur, aut communicatur, ſed, ſeparatum, remanet (ſuppoſito, quòd more Veterum uſitato, *Olea* ad humiditatis conſumptionem decoquenda) in reſiduo, ad inſtar picis, & nigricantis reſinæ, nunquam *Oleis* commiſcibilis. Rei hujus evidentiam clariùs deprehendes, additis *Succis propriis*, vel *Vinô*, cum quô vegetabilia ſola decocta, ac extracta fuêre. Hæc ubi cum *Oleis*, ad conſiſtentiam (nimirùm ad exhalationem humiditatum, ac liquorum,) deſtinantur coquenda: Illa materia, picem æmulans, fundo, ac lateribus, ſartaginis firmiter adhæret; neutiquam *Oleis* unita. Et dictat hoc ratio, ſuadetque Philoſophia, nimirum, aqueum elementum, ſeu quamcunque humiditatem, quæ ad id accedit, ſeu *Succus vegetabilis*, *Vinumve* ſit, nunquam ſe *Oleis* (aëreum nactis temperamentum & levitatem) unire, ac communicare poſſe, quin qualitatem aliquam ac contrarietatem, invicem oſtentare ac exercere, quò minus coaleſcant, ac unum efficiant, ſed ſeparata diffidere; adeò quidem, ut *affuſus liquor aqueus* quispiam potiùs vires aliquas *ex Oleo* eliciat, idq; e ſale terræ nitroſo privet ac defraudet. Neque verò ſalvamus incommoda, aut difficultatem ſolvimus, quæ affuſam Vini, aut Succorum, largam quantitatem ad *Olea cocta* ſubſequuntur, ſi à prolixâ decoctione nobis caveamus, ſolaque inſolatione, additâ tamen *Vini quantitate*, rem peragamus: vel inſtituamus etiam decoctionem in Alembico vitreo, proprio capitello ritè munito, ac ſuppoſitô excipulo; ne quid ſpirituoſæ humiditatis, ac humidæ vegetabilium eſſentiæ, præterlabatur, procurantes. Nihilominùs enim perneceſſarium foret, dicto *Oleo exſtillatam humiditatem*, fragrantiâ & viribus imbutam, ſuperaddere, & poſtliminiò, per inclinationem, & decantationem, ſegregare, cùm nimia *humiditas* ſit, neque *Oleo* uniri poſſit. Quidquid horum acciderit; notabile ſecum advecturum eſt detrimentum. Nam quò prolixior *Inſolatio* concedatur, tantò efficacius *Liquor*, & *Vinum*, copioſius affuſum, *vegetabilium eſſentiam*, tanquam appropriatum menſtruum (licet unâ alterâque die, quantum ſatis eſt, extrahat,) eliciet; quod *Oleum* non præſtabit: (docui enim *in Animadverſ. meis*, quòd *Oleum Olivarum* vices *menſtrui* aptè ſubire non poſſit, ad extrahendas *vegetabilium* humidas, aquoſas præſertim, eſſentias; benè autem eorum, quæ multum *reſinoſa*, *oleaginoſa*, ac *quaſi homogenea*,) dictus autem liquor, *Vinum*, aut *Succus*, largiter affuſus, ſi vaporetenus non exhalaret, neceſſario per reſidentiam, & ſeparationem, decantandò *ab Oleo*, foret ſegregandus. Hoc ubi accidat; pronum ac manifeſtum eſt, virtutes quoque ac eſſentiam, à dictis *menſtruis*, ac *Vino*, elicitam, *Oleis*

leis ſubtrahi. Eadem ratio foret. ſi, quod coctione in Alembico tranſiit, *Liquor* ſcilicet *fragrans ac ſpirituoſus*, (ſuppoſito, quòd *copioſus Liquor*, ac *Vinum*, affuſum fuerit,) *Oleo reſiduo* adderetur. Nam & ipſe ab *Oleo* jam dicto decantari, ac per inclinationem ſeparari, neceſſe haberet: quô facto, multum virium, ac efficaciæ, peſſum iret ac elaberetur. Quare longè conſultius eſt, Praxiſque conformius, *Vino*, aut etiam *proprio Succo*, ad decoquenda *Olea*, cum herbis recentibus, ſive in Alembico, ſive in aprico, omninò abſtinuiſſe: imò immergantur potiùs *recentes herbæ*, *flores*, *& vegetabilia*, *Oleis* ſolùm, macerentur, aut coquantur etiam breviſſimè cum illis in Alembico. Nihil enim officit, vel detrahit, *perpauca illa humiditas* quæ à ſolis floribus & herbis recentibus, nullô additô peregrinô, aut heterogeneô, liquore, Oleis jungitur, ac per decantationem, & reſidentiam, vel filtrum, aquâ humectatum, modô ſuperiùs indigitato, ſeparari debet, (quôcunque tandem modô, ſive per præviam macerationem, ſive breviſſimam ebullitionem, in Alembico *Oleum* paratum fuerit, nihil variat.) Tàm enim modica eſt illa *humiditas*, ut vix in cenſum venire mereatur, nedum *Olei virtutes*, ac *efficaciam*, infringat. Hoc pacto operantes, magnam energiam *Oleis* conciliamus; cùm, pro viribus, omnia concentramus, ac tuemur: præſertim cùm, factâ ebullitione in Alembico, ſi quid *ſulphurei*, *odoriferi*, aut etiam *oleoſi*, ſimul pertranſiit, *Oleis*, in ejusdem reaffuſione, id ſtatim denuò, ob ſymbolum, reddatur, ac firmiter unitum perſeveret, pauculâ humiditate fatiſcente. Et hanc, de *Oleis coquendis*, Theoriam, ac fundatam ratione, & Praxi, methodum tractandam, tàm neceſſariam arbitrabar, ut, eam præterire, nefas eſſe, duxerim. Manifeſtè enim, & perſpicuè, Tyrones Medicinæ colligere poſſunt, nihil in arte tàm vile, ac ignobile reperiri, quin ſuas habeat cautelas & momenta; quibus neglectis, vel non cognitis, abſurdi quique errores in Medentes redundant, magnâ Artis infamiâ & ludibrio; quos tamen facilè, noſtris obſecundantes monitis, evitare poterunt, aut emendare. Ex quô præterea manifeſtum fit, quàm longè à ſcopo & veritate oberrent ii, qui medicamentorum Ordinationes (vulgò Receptas dictas) leve quid, & cnique obvium, in Medicina autumant; cum interim auſim dicere, ac palàm decidere; hanc unam eſſe notam diſtinctivam, & characterem, ſenſati Medici, cui uni & ſoli competit: genuini Artis Filii honos & prærogativa.

Nunc rei ſeries, ac ordo, expoſcerent, ut reliquorum *Oleorum coctorum*, atque *ſimplicium*, præparationes his ſubjungerem. Verùm, cùm omnia, & ſingula, unam eandemque methodum, ac præparationem, reſpiciant, nihilque, quoad diſpenſandi normam, varient; omnia, ac ſingula, juxta, ſuperiùs, in *Oleo Abſinthii*, adumbratam ideam decoqui poterunt. Quod ſi efficaciora reddere ea velis, noſtrum pariter æmulare modum quô *Olea* eorum *deſtillata*, ſi in uſu, ac promptu ſint,

ſint, debitô pondere adjunximus; magno virium incremento.

Ut autem *Oleorum coctorum*, quæ in præparatione minimè diſcrepant, virtutes, ac prærogativas, in Medicina ediſcas, ordine ſequenti eorum delineationem auſpicor:

OLEUM ANETHINUM.

Defluxionibus à Capite, ad partes inferiores, conducibile eſt; roborat nervos, reſolvit, attenuat, craſſos, viſcidosque nervis impactos humores, calefacit moderatè, & emollit, Colicos dolores ſedat, cùm externè umbilico inunctum, tùm Clyſteribus quoque admixtum. Et hæc omnia potentius præſtat, quando *Oleo* huic *ſimplici cocto*, *Oleum* ejus *deſtillatum* admiſcetur.

OLEUM CHAMÆMELI.

Oleum eſt *Carminativum, flatûs diſcutit & reſolvit;* ideoque Colicis, & Capitis doloribus, ſalubre, ac hypochondriorum tenſionibus perutile eſt, externè nempè inunctum, Clyſteribusque admixtum: cui etiam, ſi lubet, *deſtillatum proprium Oleum* addere convenit.

OLEUM CHEYRINUM, SEU KEIRINUM.

Oleum eſt *Cephalicum, & capiti dicatum, doloribus ejus auxiliatur,* ventris torminibus ſuccurrit, nervorum inſuper, & junctûrarum, dolores levat, & pectori confert; partum etiam facilitare, & lumbricos interimere, creditur. Hujus *Oleum deſtillatum* cùm proſtet, illi admiſceri nequit.

OLEUM LILIORUM ALBORUM.

Vulnerarium audit Oleum; quod *& inflammationes ſedat;* gravidis, tempore partûs, auxilio eſt, præſertim ſi *& flava ſtamina in floribus*, qualia in *Roſis Anthoræ* dicuntur, in præparatione ejus fuerint adjecta; Menſe mulierum promovet, dolores Ventriculi, Coli inteſtini, Uteri, Renum, Veſicæ, ac Nervoſarum partium, compeſcit; ideoque etiam Colicis doloribus opitulatur.

OLEUM MAJORANÆ.

Cephalicum Oleum eſt, & Anodinum, adeoq; frigidis Cerebri & Nervorum vitiis prodeſt; ſpinæ dorſi inunctum, Paralyticis auxilio eſt; ad uteri præcluſiones & everſiones utile: Menſes & ſecundinas pellit, ac aliis etiam affectionibus Colicis & Hyſtericis prodeſt: & quidem multò potentius, ſi ejus *Oleum proprium deſtillatum* illi *cocto* admixtum fuerit; tùm & internè, & externè, uſui eſſe poteſt.

OLEUM MENTHÆ.

HOc *Oleum Ventriculo dicatum eſt*, quem roborat, atque matricem moderatè calefacit, nec non vomitûs

spontaneos, Colicosque dolores sistit, appetentiam excitat, & juvat concoctionem; præsertim, si *Oleum* ejus *destillatum* fuerit admixtum.

OLEUM POPULINUM.

Fit ex *Oculis Populi*, cum *Oleo Olivarum*: & si dextrè, *juxta n. superiorem informationem*, sine coctura, paratum fuerit, *Præstans Oleum est Nervinum, in omnibus contracturis, & debilitatibus membrorum, & nervorum:* Cerebro etiam, & Ventriculo, cedit emolumento, & externè inunctum, & internè assumptum: dolores levat Colicos, & roborat matricem; hoc solùm observando, ut in Alembico vitreo, suô capitellô munito, ejus præparatio peragatur.

OLEUM ROSARUM.

Vim *tenet* hoc *Oleum* familiarissimum *refrigerandi, inflammationes extinguendi, repellendi, mitigandi, roborandi, & modicè constringendi;* humectat, refrigerat, atque dolores sedat; externè utplurimum usurpatum. Ejus *Oleum destillatum* caro nimis venit pretio: Idcircò per se, diligenter, & legitimè paratum, usui & commodo esse potest externè.

OLEUM RUTÆ.

Antiloimicum & Alexipharmacum Oleum est, cordis regioni, pulsibus, volis manuum, & plantis pedum, inunctum: Clysteribus admixtum, & externè Ventri, atque umbilico, inunctum, aut linteolis, in eô madefactis applicatum, dolores Colicos compescit, laterum, renum, ac vesicæ, dolores placat, flatûs dissipans: interno etiam usui, in prædictis affectibus, non exiguo fructui esse potest; idque eò magis, si quando *Oleum destillatum* quoque illi fuerit adjunctum.

OLEUM SAMBUCINUM.

PAratur è *Floribus Sambuci recentibus; vim refrigerandi obtinet, & inflammationes, & erysipelata sistendi;* lenit, abstergit: Hepati confert, Nervorum & Articulorum doloribus utile; Vermibúsque necandis, internè receptum.

Plura qui desideraverit *Olea simplicia*, & *cocta*, exempli gratia,

ANAGALLIDIS:
CYDONIORUM:
MYRTINUM:
NARDINUM:
ex SALVIA:
SPICA:
NYMPHÆÆ:
HYPERICI:
VERBASCI:
VIOLARUM MARTIAL.

is singula illa, *juxta superiùs præscriptum exemplar*, apparatu facillimô, sibi comparare poterit. Quorum vires pariter, ac modus utendi, in vulgus nota sunt, atque è *Pharmacopœia Augustana*, cum ubertate depromi possunt.

Sequi-

Sequuntur hæc pauca quædam *Olea simplicia*, *è Gummatibus* deſcribenda; utpotè,

OLEUM MASTICHINUM.

℞. Olei Majoranæ dextrè parati libram unam,

Maſtichis el. uncias tres:

ſolaque diſſolutione Maſtichis, in leniſſimo calore, ſine ullâ ebullitione, paretur præſtans *Oleum*; quod colandum, & ita aſſervandum.

In affectibus Ventriculi, & Inteſtinorum, certè, præſtantiſſimum; quòd calefacit, ventriculi vim concoctricem, retentricemq; firmat, in Lienteriâ & Cœliacó tormento, quàm ſalutare extans; neque minus tale *in Dyſenteriâ, & Diarrhœâ*, cùm internè, tùm externè adhibitum, admixtumque Clyſteribus.

Nota: Non ſolum hoc, ſed & alia ſimplicia Olea, quæ vocant, cocta, cum Oleo Amygdalarum dulcium expreſſo, vel cum Oleo Nucum, itidem expreſſo; & quædam, quæ Cerebro, Capiti, & Calculo pellendo, dicata ſunt, cum Oleo Amygdalarum amararum rectè parari poſſunt; & quidem omnium maximè illa, quæ uſui interno ordinata ſunt. Verùm, in parvâ quantitate illa parari, convenit, ne, temporis longô tractu, rancida & fœtida evadant. Recenter enim parata, palato gratiora, efficacioraque erunt.

OLEUM EX STYRACE.

℞. Olei Olivarum recent. vel, ejus vice, Olei Amygdalar. amararum, uncias quatuor:

in hôc diſſolve, leni calore, ſine ullâ coctione, aut ebullitione.

Styracis Calamitæ unc. unam ſemis:

Gummi Tacamahacæ drachmas ſex:

factâ diſſolutione ſolâ, colentur; colatum aſſervetur.

Oleum præſtans, in roborando Ventriculo, & Cerebro, internè ac externè uſurpatum: calefacit; cartarrhos à capite delabentes ſiſtit, vertici illitum; doloribus Colicis, & uterinis ſiſtendis ſalutare.

Nota, quòd loco Olei Olivarum, vel etiam Olei Amygdalar. amarar. Oleum Roſarum, aut Anethinum, vel Keirinum, pro baſi hujus Olei ſubſtitui queat: & ſic major efficacia illud commendabit.

OLEUM DE EUPHORBIO.

℞. Olei Keirini, vel Majoranæ, uncias tres;

in hoc ſolvatur,

Gummi Euphorbii uncia ſemis, vel drachmæ ſex:

factâ diſſolutione, calore leni, fiat colatura, *Oleumq;* aſſervetur. Hujus virtutes ex *Pharmacopœia Auguſtana*, longâ ſerie, peti poſſunt.

Nota, Cur horum Gummatum Olea ſine ulla coctione, ſolâ Gummatum diſſolutione, parare præceperim, cauſæ in Animadverſionibus noſtris, ſuper Olea Cocta factis, pag. 332.

item in Appendice pag. 43. & 44. additæ ſunt; quæ huc revocandæ.

OLEA EX ANIMALIBUS:

Utpotè,

OLEUM LUMBRICORUM:

RANARUM:
SCORPIONUM:
VULPINUM:

Hæc cuncta *Olea* etiam tritiſſima, paratuque facillima ſunt: præſertim, ſi juxta cautelam, *in Appendice n.* injunctam, *pag. 43.* eorum præparationes dextrè inſtituantur, virtutibus ſuis vigentia proſtabunt; quorum vires, & modus utendi ex encomiis à *Dn. Dn. Auguſtanis*, cuilibet eorum ſigillatim adjectis, quoque peti poſſunt.

OLEA COMPOSITA.

OLEUM ANTAPOPLECTICUM CEPHALICUM.

℞. Olei ex Styrace, cum Oleo Majoranæ,
ſuperiùs edoctô modo, parati unciam unam,
Olei ſtillati Succini albi drachmam unam ſemis,
Coriandri,
Lavendulæ,
Majoranæ,
Rorismarini,
Salviæ,
Nuc. Moſch. ana drachmam unam,
Miſceantur pro uſu.

Eſt *Oleum Cephalicum efficaciſſimum, roborat Cerebrum, & principium Nervorum, vertici capitis, temporibus, nuchæ, & ſpinæ dorſi, ad os ſacrum uſque, inunctum: ſedat & compeſcit defluxiones à capite ad partes inferiores. Quare in catarrhis ſuffocativis ſalutare exiſtit; ut & membris, paralyticis, contractis, doloribus Colicis, à frigida causâ exortis ventoſitatibus, & uteri debilitatibus, auxilio eſt.*

BALSAMUM VULNERARIUM.

℞. Ol. Terebinthinæ flavi & rubicundi, videlicet, quod per retortam, (ſpiritu oleosô albicante priùs, deſtillando, prolecto) dextrè deſtillatum eſt, libram unam:
huic immerge
Pulv. Gummi Animæ,
Elemi,
Maſtichis,
Olibani,
Myrrhæ, ana drach. ſex,
Hederæ unciam ſemis,
Balſami Indici Peruviani unciam unam,
Oculorum Populi arboris recent. unc. unam ſemis,
Decocti inſpiſſati, ex ſummitatibus Hyperici recent. & florent. parati,

Suc-

Succi Millefolii inſpiſſati, ana unciam ſemis.

Digerantur in calore leni, vitro probè clauſo, ad diſſolutionem, pro majori parte, *Gummatum*, ſæpiùs commovendo. Poſteà colentur calidè per linum & qualum, atque ad uſum aſſerventur; quibus, ſi lubet, nonnihil de *Camphora* adjiciatur.

Vulnerarium eſt præſtantiſſimum, cùm in recentibus, modòq; inflictis, tùm in antiquis, Vulneribus; præſertim in partibus nervoſis, ubi unctuoſa, ex oleis expreſſis, locum non habent. Singulare eſt remedium, filamentis in eô madefactis, ipſis impoſitum.

BALSAMUM ALIUD VULNERARIUM MARTIALE.

℞. Olei Terebinthinæ flavi, per retortam, uti ſuprà, deſtillati,
Olei Abietis odoriferi, & clari deſtillati, ana uncias ſex.
His mixtis *Oleis* adde, immergendo,
Oculorum Populi arbor. recent. & conquaſſat. temp. vernali, uncias tres, vel quatuor:

factâ maceratione, duobus circiter diebus, calore leni, vitrô benè occluſo, eoque alto, fiat poſt colatura, cum forti expreſſione. Huic *Oleo expreſſo*, iterum in vitrum altum, ſive alembicum capacem infuſo, ulteriùs immerge

Limaturæ Chalybis puri, & accuratè limati, uncias tres, vel quatuor;

et deſuper guttatim, pededentim, & per vices, inſtillentur

Spiritûs Nitri opt. vel, loco hujus,

Spir. Vitrioli, unciæ duæ, vel plus; ita tamen, ut, ſpatio duodecim horarum circiter, totus *ſpiritus* guttatim affuſus fuerit, ſpatulâ ligneâ ſæpiùs *Limaturam* hinc indè movendo, ne fundo vaſis adhæreat & indureſcat. Sic enim ſolvitur *Limatura ferri*, & ſuam eſſentiam, ſeu animam, *affuſo Oleo* communicat, idque imbuit, & rubicundiſſimo colore tingit. Solutione hâc peractâ, digerantur ſimul in vitro largo, & probè clauſo, per duos circiter dies. Tandem ſeparetur *Oleum* ſive *Balſamum rubicundiſſimum*, ſanguinis inſtar, à *Limaturâ*, & omni humiditate: quod uſui aſſervandum.

Non minoris, quin imò majoris efficaciæ exiſtimem hoc fore *Balſamum*, quàm illud ſuperius, non ſolum externè Vulneribus impoſitum, ſed & ad intrà aſſumptum: Quia nullô modô corroſivum eſt. *Spiritus* enim *Nitri*, vel *Vitrioli*, *corroſivus*, non in *Oleum*, ſed in *Chalybem limatum* agit, & vim ſuam exercet, illumque ſolvit: & ipſe ſolvendo in aliud ens veluti transmutatur & edulcoratur.

Nota: Si quiſpiam aliô modô Balſamum iſtud conficere voluerit, per me licet; nimirùm, ut Limaturæ Chalybis priùs Spiritum Nitri, abſentibus Oleis ſupradictis, inſtillet: modò & hoc pededentim, guttatim, & per vices, ſpatulâ indefinenter Chalybem agitando, fiat. Abſolutâ deinde ſolutione, ſeu affuſione Spirit. Nitri, tandem Olea ſupradicta affundat Limaturæ

turæ ſolutæ ex parte, digeratque per biduum circiter. Hôc pactô pariter rubedo extrahetur, ad ſanguinis ſimilitudinem, rubicundiſſima, & efficietur Balſamum Vulnerarium eximiis virtutibus, ac nobile, non minus interno, quàm externo, uſui deſtinatum.

BALSAMUM ALIUD VULNERARIUM EX SULPHURE.

℞. Sulphuris crudi & boni uncias ſex. Hoc lique fiat in ollâ, ſeu patellâ terreâ vitreatâ, ſuper leni igne, ne accendatur illud, aut flammam concipiat. Liquefacto *Sulphuri* immiſceantur probè, adhuc ſuper igne,

Salis Tartari puri unc. tres, vel quatuor:

factâ hâc mixturâ, ſpatulâ benè commotâ, auferantur ab igne; & fiet *Hepar Sulphuris* dictum; quod, in pulverem redactum, immittatur alembico parvo, cui ſuperaffundantur

Olei Terebinthinæ flavi per retort. uti ſupradict. deſtillati,

Abietis recenter deſtillati, ana unciæ tres, vel quatuor, aut plus.

Digerantur in leniſſimo calore, ſine ullâ coctione aut ebullitione: & protinùs extrahetur Tinctura rubicundiſſima, ſanguinis æmula. Separetur hoc *Balſamum*, ſive *Oleum* rubicundiſſimum, per decantationem, ſive filtrum, & cuſtodiatur in vitro, externo & interno uſui deſtinatum: *ſummè proficuum in ulceratione Pectoris & Pulmonum; viribus Balſamum Sulphuris vulgare, ſine dubio, ſuperans.*

OLEUM DE CAPPARIBUS, HEPATICUM ET SPLENETICUM.

℞. Capparum recent. aut, ſi tales deſint, ſale condit. uncias quinque,

Cort. Radicum Capparum, cum Vino humectatorum, unciam unam,

Herb. rec. Tamariſci, cum cortic. Verbenæ floreſcent. ana uncias duas ſemis,

Ceterach unciam unam ſemis,

Flor. recent. Nicotianæ uncias duas,

Flor. Roſar. rubr. recent. uncias duas ſemis,

Salis Ammoniaci, ſublimati cum chalybe, unciam ſemis,

Hæc omnia, inciſis, quæ incidenda ſunt, infundantur, vel immergantur, in

Olei Olivarum recent. & puri libras duas.

Digerantur aliquandiu; poſteà coquantur leniter, ad humiditatis exhalationem, (quia nihil ſpirituoſi, aut ſulphurei, ineſt, præter pauciſſimum quid, à Roſis, quarum tamen hîc virtus roborativa, non odor, deſideratur. Fiat pòſt colatura, cum forti expreſſione: *Oleo* verò *expreſſo* porrò adde

Pulv. Gum. Ammoniaci unciam unam ſemis,

Camphoræ unciam ſemis.

Factâ denuò brevi digeſtione, tandem coletur *Oleum*, & uſui aſſervetur. Obſtructionibus Hypochondriorum, exter-

externâ ejus inunctione, perquàm utile eſt: Hepatis & Lienis duritiem reſolvit, & flatûs diſcutit.

OLEUM CARMINATIVUM ANTI-COLICUM.

℞. Olei Olivarum recent. libras duas; cui immergantur ſequentia, craſſiuſculè inciſa, & contuſa: utpotè,

Herb. recent. Anethi, cum ſummit.
Rorismarini,
Menthæ criſpæ,
Pulegii floreſcent. ana. unciæ duæ ſemis,
Flor. Chamomillæ recent. unciæ quatuor,
Cortic. Arantior. recent. & extim. uncia una ſemis,
Baccar. Lauri recent.
Juniperi virid. ana uncia una,
Sem. Carui,
Coriandri,
Aniſi, ana drachmæ ſex,
Opii Thebaici drachmæ duæ.

Stent in infuſione die unâ, factaque pòſt unâ atque alterâ ebullitione, in alembico vitreo, ſuô capitellô munitô, [ut id, quod ebulliendo tranſit, reaffundi poſſit,] colentur dùm adhuc parùm calent, & exprimantur ſpecies fortiter: *Oleo expreſſo* adde, & in eô liquefac, leniſſimô calore,

Camphoræ drachmas ſex,
Ol. ſtill. Carui,
Fœniculi, ana drachmas duas.

Miſceantur, & ſerventur pro internò æquè, ac externô uſu. *Verum Anodynum, & Carminativum Oleum; Colicis, & Hyſtericis affectibus perquàm ſalutare eſt.*

OLEUM DE CASTOREO.

℞. Olei puri & recentis Olivarum libras duas;

huic immergantur ſequentia inciſa & contuſa:

Caſtorei pinguis recent. uncia una,
Rad. Pyrethri uncia ſemis,
Herb. recent. Rorismarini,
Sabinæ,
Salviæ, ana uncia una ſemis,
Cubebarum,
Piperis longi, ana drachmæ ſex,
Caryophyllorum uncia ſemis,
Croci opt. drachmæ duæ,
Styracis Calam. uncia una,
Opopanacis,
Galbani, ana uncia ſemis:

Factâ maceratione breviſſimâ, die, circiter unâ, additaque duntaxat *Vini albi unciâ unâ, vel duabus*, fiat, in almebico vitreo, ſuô capitellô munitô, una atque altera ebullitio: id autem, quod ebulliendo tranſit, reaffundatur *Oleo*; coletur, dùm omnia pauliſper refrixerint, & exigua humiditas adjuncta, prægreſsâ aliquali digeſtione, per reſidentiam tandem, decantationem, aut filtrum, uti ſuprà notatum, ſeparetur; addendo ultimò

Olei Lavendulæ ſtill. drachmam unam ſemis.

Servetur uſui hoc præſtans *Oleum, ad omnes Nervorum & Cerebri frigidos affectûs, Convulſiones, Tetanum, Tre-*

Tremorem & Paralyſin: contra Atrophiam, & Maraſmum, perquàm utile accidit.

OLEUM HYPNOTICUM, SEU ANODINUM.

℞. Olei Nympheæ, juxta n. modum ſuper. facti, uncias tres,
Sem. Papaveris expreſſ. unciam unam ſemis,
Hyoſcyami expreſſ. unciam ſemis,

His mixtis *Oleis* immergantur ſequentia inciſa & contuſa: utpote,

Croci Auſtriaci drachmæ duæ,
Majoranæ recent. uncia una ſemis,
Ladani optimi drachmæ duæ,
Opii Thebaici drachma una ſemis,
Vini albi boni uncia una:

Factâ maceratione brevi, fiat, in alembico, ſuô capitellô munitô, una ſaltem atque altera ebullitio: ea, quæ tranſit, paucula humiditas, reaffundatur, cùm omnia refrixerint: fiat pòſt colatura, cum forti expreſſione; expreſſum à pauxilla humiditate, prægreſsâ aliquali maceratione, per reſidentiam ſeparetur: Cui ultimò adde, & in eô liquefac

Olei Nucum Moſchat. expreſſi unciam ſemis,
Ligni Rhodii ſtill. drachmam unam ſemis:

reponatur uſui in vaſe benè clauſo. Præſtans eſt *Oleum ad Somnum conciliandum, fronti, temporibus, ac naribus illitum; inflammationibus Capitis, & Podagricis doloribus ſedandis, perquàm ſalutare eſt. Doloribus* etiam *Colicis, Dyſenteriæ, Lienteriæ*, cum externè inunctum, tùm Clyſteribus immixtum, cum ſummo emolumento ſubvenit.

OLEUM LACERTARUM CONTRA HERNIAS.

℞. Olei Nucum Jugland. recenter expreſſi libras tres;
cui immergantur
Lacertarum viridium num. xxv.

& in eo ſuffocari & emori permittantur. Digerantur in vaſe vitreô, per diem integrum; coquantur deinde in alembico vitreo, appoſitô capitellô, affuſâ humiditate, quæ pertranſiit, ubi omnia refrixerint. Fiat dein colatura, abjectis *Lacertis: Oleum* ſervetur, *utpote ad curandas Hernias præſtantiſſimum: & ſecretum*, ſanè, non, niſi Magnorum Principum; qui cur id multâ annorum ſerie latere voluerint, ignoro. Inungitur eô locus affectus, ubi inteſtinorum irruptio ac provolutio deprehenditur, priùs repoſitis inteſtinis; ſuperimpoſitâ dein *particulâ Omenti cujuscunq; animalis*, hoc *Oleo* illitâ, ac, inſperſis *Pulviſculis adſtringentibus*, fit ligatura apto cingulo, ad prohibendam ulteriorem inteſtinorum irruptionem. Et verò, licet (prout ſecreta hujus *Olei* deſcriptio fert,) *Lacertarum maceratio*, unô menſe infolando, peragi deberet, ad conciliandam, ipſâ morâ, infuſo efficaciam; eam tamen non approbo. Tantô enim tempore *Lacertæ*, quæ à primâ, quâ deſcendunt, geneſi, corruptioni vel maximè obnoxiæ

ſunt

ſunt, (utpotè è putri generatæ) cooperante cùm Solis, tùm Olei, calore, & fluidâ omnium ſubſtantiâ, ad ſummum putredinis gradum, & cadaveris peſtilens miaſma, deducerentur: ut, unde remedium, & ſecretum, præſtolaremur, arcano nos toxico, & peſtilenti fracedine, periclitari deprehenderemus. Accedit, quòd *ſpiritus vitæ*, *ſeminalis*, aut *Lacertarum* tàm diuturnâ maceratione fatiſcat, & diſpereat: cùm tamen (meâ ita Philoſophante) ejus præſentia, ad effectum talem producendum, unicè deſideretur. Hæc enim conſolidatio, & cura, nequaquam ſenſibili, materiali, aut conſpicuâ, actione perficitur; ſed influxu purè ſpirituali, ac actione ſympathetica; quatenùs activitas *terroris alieni*, & *ſpiritus Mumialis Lacertarum*, per ejuſmodi imagines, ac phaſmata, ſpiritus vitales microcoſmi, vel ipſas partes operativas viſcerum, & partium, determinant, ut, juxta connaturalem, ac propriam ſibi impreſſionem, ſe contrahant, & claudant, ac peregrinum ſpiritum arceant: unde naturaliter dein ſolidatio partis, & optata ſanitas exoritur: quod non contingeret, ſi *ſpiritus hic Lacertarum*, prævia animalis corruptelâ, migraret, aut formæ cadavereitatis ſuccumberet. Quare, ut hæc Peritonæi conſtrictio, ac Herniarum cura, feliciùs ſuccedat, brevem *Lacertarum* macerationem ſuaſerim. Sufficiat, Te ſpiritum, ſuffocatô in Oleo inſectô, ſuperſtitem, compendioſô labore nactum; nec ſalubrius quid à cadaveroſo miaſmate præſtoleris. Et licet *Scorpius* (qui tamen ſolidior *Lacertis* eſt, & non facilè putreſcit) diu in *Oleo*, uti & *Scarabæi* ſupereſſe videantur; ſuadet tamen ratio, & eos maturius eximere, ut tantò *purius Oleum* nanciſcaris, vitam, & ſpiritûs, ipſius animalis poſſidens.

OLEUM MOSCHELINUM.

℞. Olei puri recent. libram unam ſemis;
cui immergantur ſequentia, craſſiuſculè inciſa, & contuſa: utpotè,

Herb. Majoranæ,
Roriſmarini,
Thymi, ana recent. uncia una ſemis,

Flor. Lavendulæ,
Spicæ,
Tunicæ rubr. ana recent. drachmæ ſex,

Caryophyllorum,
Cinamomi opt.
Cubebarum,
Cardamomi,
Macis,
Nuc. Moſchat. ana uncia ſemis,
Calami Aromat. uncia una ſemis,
Croci opt. drachmæ duæ,
Styracis Calamitæ uncia una ſemis,
Vini albi boni uncia una, vel duæ.

Fiat maceratio, per unius atque alterius diei intervallum; & deinde, alembico vitreô, capitellô ſuô munitô, una & altera ebullitio: humiditas, quæ tranſit, ultimò reaffundatur; cùm refrixerit pauliſper, fiat colatura, cum

forti expreſſione ſpecierum: in expreſſo *Oleo* amplius diſſolve

Maſtichis electæ unciam unam ſemis,

Ol. Nucum Moſchat. expreſſi unciam ſemis:

Miſceantur exactè, &, ſeparatâ pauculâ humiditate, per reſidentiam, *Oleum* cuſtodiatur in vitro, vel vaſe benè obſirmatô. Quòd ſi verò aliquis *Oleo communi Olivarum*, *Oleum Amygdalarum expreſſum*, vel etiam *Oleum de Been*, ſubſtituere vellet, longè præſtantius illud *Oleum Moſchel.* efficeret, virtute & fragrantiâ, ſeu odore gratô.

Eſt *Oleum præſtantiſſimum in frigidis affectibus Ventriculi, quem roborat, & calefacit; Colicis, ac Nervorum vitiis confert, Cerebrum inſuper roborat, & ab Epilepſiâ & Apoplexiâ præſervat.* Interné, juxta ac externè, adhiberi poteſt.

OLEUM NERVINUM.

℞. Olei Olivarum recent. non rancidi, libras tres:

cui immergantur, ſucceſſu temporis, inciſa & contuſa ſequentia:

Gemmar. Populi arbor. recent. unciæ ſex,

Summitat. Abietis, vel Laricis arb. (vulgò Fehrene Gipfel) unciæ tres, vel quatuor,

Herb. recent. Calaminth. mont.
Majoranæ,
Meliſſæ,
Ivæ Arthetic.æ,
Origani,
Salviæ min.
Thymi,

Flor. recent. Chamomillæ,
Lavendulæ,
Spicæ, ana unciæ duæ,

Baccarum Lauri,
Juniperi virid. ana unciæ duæ ſemis.

Macerentur ſeptimanâ unâ, vel alterâ, donec omnia collecta, & immerſa ſunt. Poſtmodùm ebulliant parùm, in alembico vitreo, capitellô ſuô munitô, ut particula, quæ prodit, humiditatis reaffundi queat. Tùm fiat colatura, & fortis herbarum expreſſio; *Oleo* autem *expreſſo* ulteriùs adde

Lumbricorum terreſtrium vivorum, & lotorum, uncias octo:

&, factâ adhuc unicâ ebullitione, in alembico, uti anteà, ſuô capitellô appoſitô; deinde denuò coletur: colato verò *Oleo* ſuperadde

Ol. ſtill. Majoranæ,
Salviæ, ana drachmas duas:

Fiat *Oleum Nervinum* efficaciſſimum.

Sî ipſa hujus *Olei Nervini*, ut & aliorum præcedentium & ſubſequentium Oleorum, Ingredientia, & Præparationes, inſpiciantur, & accuratè conſiderentur, ſuſpenſâ hederâ reverâ opus non fuerit; quamobrem, in eorum iis recendis non eſt, ut longus ſim. Sufficit hîc, dixiſſe, quod hoc *Oleum* ſit præſtantiſſimum in omnibus Nervorum affectibus frigidis: quod tamen, tantum abeſt, ut nimiopere calefaciat, ut potiùs virtute roborante, con-

confortante, & penetrante, egregiè polleat.

OLEUM PURGANS.

℞. Olei Lini recenter expressi libram unam semis;

huic immergantur sequentia minutim incisa & contusa:

Rad. recent. Bryoniæ,
Asari,
Cucum. Asinini, ana uncia una semis,
Hermodact.
Ireos nostrat.
Esulæ, ana uncia una,
Herb. recent. Anethi,
Gratiolæ,
Malvæ,
Mercurialis,
Tanaceti, ana unc. duæ,
Corallinæ drachmæ sex,
Flor recent. Rosar. pallidar.
Myrrhæ rubræ,
Aloës hepaticæ, ana uncia una,
Pulpæ Colocynthid.
Sem. Cynæ,
Cataputiæ,
Ebuli, ana drachmæ sex.

Factâ maceratione, die unâ vel alterâ, bulliant leniter, ad consumptionem ferè humiditatis; colentur posteà, exprimanturque species fortiter: seperetur *Oleum purum*, per residentiam: quod ad usum seponatur; addendo tamen ultimò

Camphoræ drachmas duas semis.

Solvit alvum, umbilico inunctum, vel, petiâ in eô intinctâ, & umbilico, aut toti ventri, superappositâ: enecat vermes, eosq; expellit. Delicatis, purgantia interna abominantibus pueltis, à symptomatibus vermium quasi insensibilibus, aut medicamenta intrinseca respuentibus, præsicuum.

OLEUM ALIUD PURGANS.

COnficitur & aliud *Oleum purgans, per expressionem*, sumendo nimirum

Semin. Cataputiæ uncias duas,
Carthami,
Cucumeris Asinini, ana uncias tres,
Ebuli uncias quatuor,
Lini uncias quatuor, vel quinque

Ex his simul conquassatis, & contusis, exprimatur, modò usitatò, *Oleum*, per prelum, fortiter; quod pro usu servetur. *Potenter alvum movet, umbilico illitum: educit vermes Infantum, si cum linteolis, in eô madefactis, ventri imponatur.*

OLEUM SCORPIONUM ALEXIPHARMACUM.

℞. Olei Olivarum recentis & puri libras tres,

vel, loco hujus,

Olei Amygdalarum dulcium, sed ex tribus partibus Amygdalarum, & unâ parte semin. Rutæ expressi, tantundem substituatur:

cui immergantur ſequentia, minutim inciſa atque contuſa:

Rad. Angelicæ,
Contrajervæ,
Imperatoriæ,
Zedoariæ, ana unc. una,

Herb. recent. Scordii noſtr. unc. duæ,
Rutæ hortenſ. uncia una,

Flor. recent. Hyperici unciæ tres,
Centaurii uncia una,

Sem. Citri drachmæ ſex,
Croci Auſtr. opt. drachmæ duæ,
Myrrhæ electæ uncia una,
Vini albi uncia una, vel duæ:

Digerantur per dies aliquot; poſteà bulliant, in alembico, parum, ad prolectionem *exiguæ humiditatis*. Cùm refrixerint, *Oleum per expreſſionem* à ſpeciebus liberandum, & ſimilibus *recentibus Speciebus*, unà cum, à prima deſtillatione, aut coctione, prolectâ exiguâ quantitate humiditatis, reaffundendum; digeſtio per aliquot dies reiteranda, & humiditas, quemadmodum anteà, coquendo, per alembicum prolicienda eſt: *Oleum* deinde iterum exprimatur; &, ſi lubet, (quamvis mihi non neceſſarium videatur,) labor hic, cum *recentibus Speciebus* infundendo, deſtillando & exprimendo, etiam tertiâ vice repetatur. Tandem injice in *Oleum hoc expreſſum*, & ab omni humiditate, per reſidentiam, ſeparatum,

Scorpiones vivos, diebus Canicularibus collectos, num. CC.

qui in iſto *Oleo* ſuffocentur, &, poſt brevem digeſtionem, aut unicam, in alembico, ebullitionem, ac reaffuſionem pauxillæ iſtius humiditatis prolectæ, ſeparentur, ab *Oleo* quidem, colaturâ; ab humiditate autem, per reſidentiam: addanturque

Olei ſtillat. Rutæ,
Cortic. Citri, ana drachma una,
Juniperi drachmæ duæ:

Fiatque *Oleum Alexipharmacum* præſtans.

Efficax eſt in morbis Contagioſis Peſtilentibus, Febribus Malignis Petechialibus, pulſibus, regioni cordis, & ſpinæ dorſi inunctum, repetitis vicibus. Venenatorum animalium morſibus Medicina eſt, Venenis oretenus aſſumptis adverſatur: aliquot guttularum doſi propinatum.

OLEUM STOMACHICUM.

℞. Olei Olivarum recent. & clari libras duas:

cui immerge ſequentia, minutim concifa contuſaque, ſcil.

Herb. recent. Abſinth. noſtr.
Menthæ criſpæ,
Rorismarini,
Salviæ, ana unc. tres,

Rad. recent. Calami Aromat. unc. duas,

Bacear. Juniperi virid.
Lauri,
Styracis Calamitæ, ana unciam unam ſemis:

Cinamomi opt. unciam unam,
Caryophyllorum drachmas ſex:

Factâ

Factâ digestione brevi, ebulliant parùm, in alembico vitreo, suô capitellô munitô, ut pauca; quæ transit, humiditas reaffundi queat residuo: Coletur tandem *Oleum*, dùm adhuc parumper calent, *Speciesq;* exprimantur: expresso, colato, & à residentia, postquàm aliquandiu quietè steterit, separato, vel decantato *Oleo* adde, ac in eô liquefac.

Mastichis electæ uncias duas,
Ol. Nuc. Moschatar. expressi unciam semis, vel unam integram:

Misceantur exactè, leni in calore; fiat *Oleum Stomachicum* nobile, cùm externo, tùm interno usui destinatum. *Confortat* enim *Ventriculum*, *concoctionem adjuvat*, *& flatûs pellit*, *atque discutit*.

OLEA EXPRESSA.

QUô modô, & quâ ratione, illa *exprimantur*, cuilibet experto Pharmacopœo notum accidit, ac in usitatiorum numero, quæ in Officinis habentur, meritò prostare debent. Sunt autem sequentia:

OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM:
AMYGDALARUM AMARARUM:
de BEEN:
HYOSCYAMI SEM.
LAURINUM:
SEM. LINI:
NUCUM MOSCHAT.
SEM. PAPAV. ALBI:
NASTURTII;
OVORUM EX VITELLIS.

QUibus hæc usibus destinentur, ac viribus polleant, *Pharmacopœia nostra Augustana*, *Animadversionibus locupletata*, uberrimè demonstrat. Quare ulteriori explanationi non insisto, nec dicta atque scripta, tædioso Auditorum labore, recolam. Sed libet nonnulla *Composita Olea*, è paucis tamen rebus expressa, *Fructibus* nimirùm, & *Seminibus*, hîc superaddere; quæ, licet hucusque ignota ferè fuerint, suis tamen virtutibus eximiis non sunt destituta; imò multis morbis, tàm intra, quam extra corpus, exhibita, levamen non minimum afferre possunt; & sunt sequentia:

OLEUM AD CALCULUM, EXPRESSUM.

℞. Amygdalar. Amararum,
Nucleor. Persicorum, ana siccat. & excorticat. libram unam,
Sem. Cæparum,
Nasturtii,
Thlaspios,
Urticæ, ana uncias quatuor.

Econtusis omnibus exprimatur, lege artis, leni calore, *Oleum*, quod pellendo calculô, illique comminuendo, ac proprietate substantiæ resistendo, non parvæ operationis est. *Dosis drachmas*

ma ſemis, ad drachmam unam, & duas.

OLEUM CARMINATIVUM EXPRESSUM.

℞. Amygdalar. Amararum excortic. libram unam,
Sem. Carui ſiccati uncias quinque,
Fœniculi unciam unam ſemis,
Coriandri unciam unam,
&, ſi libuerit,
Macis drachmas ſex, vel unciam.

Ex mixtis & contuſis omnibus exprimatur, ſ. a. *Oleum præſtans*; *ad flatûs diſcutiendos, tollendos, ſedandos, vel internè, ad drachmam unam*, in vehiculo convenienti exhibitum; vel *externè, linteolis eò irroratis, & regioni ſtomachi, ac unà umbilici*, applicatum.

OLEUM ANTEPILEPTICUM EXPRESSUM.

℞. Nucleor. Perſicorum excort. libram ſemis,
Ceraſorum unc. duas ſemis,
Sem. Pœoniæ excort. uncias duas,
Bardanæ majoris,
Baſilici, ana unciam unam,
Cubebarum,
Caryophyllorum, ana drachmas ſex:

Ex contuſis & mixtis invicem exprimatur *Oleum*, ſ. a. quod præſtat *in affectibus Cerebri frigidis, Epilepſiâ, Lethargo; non ſolùm externâ inunctione temporum, verticis, & nuchæ verùm etiam ab intra receptum, & ori immiſſum.*

OLEUM PURGANS, ET CONTRA VERMES, EXPRESSUM.

℞. Sem. Lini recent. libram unam,
Ebuli,
Cucumeris Aſinini,
Cataputiæ,
Cynæ, ana uncias tres:

hæc mixta ſemina contunde, contuſa in loco tepido, per unum atque alterum diem, relinque, quò ſe invicem amplectantur: tandem ex omnibus ſimul exprime *Oleum*. Hoc externè, umbilico inunctum, *alvum movet, & vermes expellit.*

OLEUM STOMACHALE EXPRESSUM.

℞. Amygdalar. Amarar. decorticat. libram unam.
Sem. Carui uncias tres,
Macis,
Nuc. Moſchatar.
Caryophyllorum, ana uncias duas:

exprimatur ex omnibus, mixtis & contuſis, *Oleum*; quod *præſtat in affectibus Ventriculi frigidis; quem roborat, digeſtionem promovens, & nauſeam, cum vomitibus ſpontaneis, compeſcens.*

Qui-

Quibus paucis, ac recens inventis, etiam huic *Classi* Colophonem impono: in quâ certè non exigua, sed eximiis virtutibus prædita, *Balsama*, & *Olea*, omnis generis, contra, & adversus diversorum morborum genera, exhibui; dexterrimis, paratuque facillimis præparationibus annexis: ut quodlibet suis virtutibus prægnans, neutiquam mutilatum, aut castratum, in promptu habeatur; quæ ob id quoque, ad subsequentis *Classis Unguenta* præstantiora conficienda, multum conferre possunt. Ut ergo boni æquique consulantur, tanquam proximo in reliquis saluberrima, pervelim.

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS DECIMA SEPTIMA, UNGUENTORUM STRUCTURAM studioſe deſcribens.

UNguenta inter externa remediorum genera collocantur, & ex variis rebus, utplurimùm unctuoſis, Oleis videlicet Simplicibus, & coctis, nonnunquàm & Deſtillatis, Axungiis identidem, Pinguedinibus, Cerâ, Reſinâ, Gummat. Terebinthinâ (quæ veluti corpora Unguentorum ſunt) aliisq; rebus quàmplurimis, partim Vegetabilibus, partim Animalibus, partim Mineralibus, prædictis unctuoſis, pro re natâ, commiſcendis, diverſimodè parantur. Horum hæc Claſſis plures eſt exhibitura Compoſitiones; quas dextrè & ordinatè deſcribendas in me ſuſcepi.

Pro majori tamen dilucidatione, quænam, in dexterioribus Unguentorum præparationibus factu, obſervatuq; neceſſaria ſint; ea non ſolùm in Animadverſ. n. ad quamlibet ferè Unguen-

guentorum Compositionem, *sigillatim factis; verùm maximè, & fundamentaliter*, in Appendice n. super prædictas Animadvers. pag. 60. & 61. *(licet carptim) præmissa sunt. Quæ cùm sint digna, ut legantur, ad majora, quæ genuinam medicamentorum compositionem & præparationem pertinent, investiganda Lectorem incitabunt. Benev. Lector non gravetur ea consideratè perlegere: haud enim operæ Lectionis pœnitebit.*

UNGUENTUM ÆGYPTIACUM.

℞. Mellis, cum succo Plantaginis & Millefolii despumati, & cocti, libram unam,
Pulv. Crystall æruginis, s. viridis æris, cum aceto parat. uncias duas,
Aceti Sambucini, vel Rosacei, unciam unam semis.
Succi Millefolii,
Plantaginis, ana recent. express. & depurat. unciam unam.

Coquantur igne paulò validiore. ad consistentiam Mellis, & *Unguenti* liquidioris, *ulceribus malignis, & sordidis detergendis valdè proficui.*

UNGUENTUM ALABASTRINUM, vel de ALABASTRO.

EJus dexterrima Compositio, & præparatio, petatur *ex Append. n. ad Animadvers. & ipsam Classem hanc Unguentorum, pag. 64.* quô locô quoque plura observationem merentia, *de Unguentorum præparationibus*, annexa sunt.

Est *Unguentum Cephalicum præstans, curvis dolori Capitis conferens. In Febribus tertianis, calidis, ardentibus, summè salutare est, si spina dorsi, tempora, frons, & plantæ pedum, illo inungantur.*

UNGUENTUM ALBUM.

℞. Cerussæ Venet. cribratæ libras duas,
Olei Sambuci ex floribus,
Aceti Sambuci n. m. parati, ana libram unam semis:

Coquantur in sartagine, igne lenissimô, spatulâ continuò agitando, ad consistentiam *Unguenti*, in quô liquefac

Ceræ albæ uncias quatuor (si opus fuerit,)

&, ubi penitùs refrixerunt,

Albuminum ovorum conquassatorum, & in aquam denuò resolutor. num. v. diu multumq; agitando misceantur:

item,

Pulv. Olibani albiss. & subtiliss. triti, uncias tres:

Fiatque *Unguentum; ad sedandas inflammationes, erysipelata, & combustiones, efficacissimum.*

UNGUENTUM ALBUM CAMPHORATUM.

EX præcedenti *Unguento* parari poterit: admiscendo illi ultimò, ubi planè refrixerit,

Camphoræ unciam unam,
in
Olei Rosarum s. q. solutam;

& evadet, ad præfatos effectûs, adhuc efficacius.

UNGUENTUM DE ALTHÆA SIMPLEX.

℞. Rad. Althææ recent. libram unam,
Sem. Fœnigræci,
Lini, ana libram ſemis:
coquantur cum ſufficiente q. Aquæ ſimplicis, ad mucilaginem: mucilaginis pòſt colatæ, & expreſſæ, accipe libras tres; cui adde
Axungiæ Suillæ caſtratæ,
vel
Butyri recentis libras ſex,
Pul. Rad. Curcumæ unciam unam.
Coquantur leni igne, ſpatulâ continuò agitando, ad conſumptionem mucilaginis, quodque reſidet à mucilagine, craſſamentum, picis inſtar indiſſolubile, colaturâ, per linum & qualum, ſeparando: deinde adde
Ceræ flavæ uncias ſex,
Terebinthinæ uncias tres,
Reſinæ albæ puræ uncias quatuor,
Pulv. Rad. Curcumæ q. ſ. pro colore flavo.
Omnibus invicem liquatis, leni igne, ſine ulteriori coctione, colentur adhuc ſemel per linum atque qualum; quemadmodum ſuprà: ſerveturque uſui.

Eſt *Unguentum* ſimplex, ſed ſatis familiare. *Emollit & humectat; pectoris dolorem à frigore contractum abolet; laterum doloribus & puncturis feliciter, & cum ſucceſſu, medetur: in contracturâ, & exſiccatione nervorum*, externæ quoque inunctionis mediô perquàm utile.

UNGUENTUM APOSTOLORUM.

℞. Terebinthinæ claræ & liquidæ uncias quatuor;
in quâ liquefac
Pulv. Gummi Ammoniaci unciam unam ſemis,
Opopanacis,
Galbani, ana unciam ſemis,
Maſtichis drach. ſex;
quibus leniter liquefactis adde paulatim ſequentia tria, pariter jam tùm, in aliâ ſartagine, colliquata, & per linum qualumque colata: utpotè,
Reſinæ albæ bonæ,
Ceræ flavæ odoratæ, ana unc. tres,
Olei Terebinthinæ rubri, deſtillati per retortam, (quod benè obſervetur) unciam unam ſemis;
nec non ultimò,
Pulv. Ariſtoloch. longæ,
Thuris albi,
Myrrhæ, ana ſubtiliſſ. trit. drachmas ſex,
Sacchari Saturni reſolubilis unciam ſemis,
Cryſtall. æruginis, ſeu viridis æris, cum aceto deſtill. parat. drachm. decem:
fiatque *Unguentum vulnerarium*, hôc modô, *præſtans & laudabile, omnis generis nervorum, & oſſium, Vulneribus, quibus unctuoſa & oleaginoſa contraria ſunt, atque nociva, accommodatiſſimum, & ſalutare.* Quamobrem quilibet Pharmacopœus *Oleum Terebinthinæ flavum & rubrum deſtillatum*, paratu facile, & levis pretii,

pretii, sibi procurare, & parare debet, ut id, tanquam, per se, *validissimum Vulnerarium Oleum*, in promptu semper habeat.

UNGUENTUM AD AMBUSTA.

℞. Butyri recentis non saliti libras duas,
Olei Olivarum recentis,
vel hujus locô,
Olei Sambubi, aut Rosarum, libram unam;
quibus immergantur
Granorum Juniperi viridium immaturorum conquassator. libra una,
Flor. recent. Sambuci unciæ sex,
Rosar. recent. pallid. vel alb. unciæ quatuor:

factâ maceratione, diebus aliquot, tandem, paucis ebullitionibus peractis, coletur: colato adde

Album. Ovorum uncias quinque.

Misceantur, conquassando sedulò, ut fiat *Unguentum*, seu *Limentum*, album, *præsentissimum remedium ad Ambusta omnia*. Singularis autem requiritur modus illo utendi. Patienti ergò sæpiùs, & multoties, de die, & nocte, locus ambustus, hoc *Unguento*, plumâ, vel penna gallinæ inungatur; non adhibitis ligaturis: sed linteolo rarò pars ambusta leniter contegatur, donec crustæ spontè decidant, & ita illa ad sanitatem reducatur.

ALIUD, AD EADEM.

℞. Baccarum Juniperi viridium libram unam,
Cremoris Lactis (vulgò Milchramb) recentis, non acidi, sed in recenter emulso lacte in superficie facti, libras duas, vel plus:

coquantur simul leni igne, baccis priùs conquassatis, in *Unguenti* mollis formam, nec nimium, ne comburatur: coletur postmodum, & efficiatur *Unguentum*; quô locus ambustus, primâ die, singulis propemodum horis, secundâ die, singulis alternis, & tertiâ, ternis singulis, vel quaternis horis, leniter inungatur, pennulâ gallinæ; partes ambustæ non obvolvantur multùm fasciis, sed saltem linteolo, foraminulis prævio, obtegantur, ut semper spatium exhalandi habeat calor. In eô enim multi impingunt Chirurgi, quòd ambusta, & inflammata vulnera, ipsasque inflammationes, quacunque parte fuerint, à pulvere Pyrio, oleo, vel aquâ, fervidis, factas, nimioperè, suis ligaturis, emplastris, & unguentis, etiam naturâ suâ & actu calidis, occludunt, quò minùs calor exhalare, & inductô, ab ustionibus, empyrevmate, transpirare fuligines queant; quæ sic, obstructis poris, coërcitæ, facilè calorem partis ustæ naturalem afficiunt, moxque subigunt & extinguunt: unde periculosa, si non lethalis, gangræna exoritur; quod non semel contigit observare, & videre.

UNGUENTUM ANODINUM.

℞. Olei Nymphææ alb. flor.
Rosarum,
Liliorum alborum,

Chamæmeli, ana juxta n. m. parat. uncias duas,
Papav. alb. expreſſi unciam unam ſemis,
Olei Hyoſcyami expreſſ. drach. ſex,
Pinguedinis Anatis,
Gallinæ, ana recent. unciam unam ſemis,
Ceræ flavæ uncias tres:

Miſceantur leniſſimô igne, ut tantùm liquefiant; quibus immergantur

Flor. Nymphææ alb.
Sambuci, ana recent. unc. duæ,
Herb. recent. Solani unciæ tres,
Crocioptdrachmæ duæ:

factâ maceratione, brevi aliquot dierum ſpatiô, donec nimirum omnia recentia collecta & immerſa ſint, bulliant parùm, in alembico vitreo, ſuô capitellô firmatô, ut, quæ omnium primò tranſit, humiditas, Unguento pòſt confecto, vel colato, reaffundi poſſit. Et cùm parùm à fervore, in alembico, remiſerint, adhuc calidè fiat colatura cum expreſſione, immiſceaturque, quæ *primitus, bulliendo in alembico, humiditatis uncia una ſemis, circiter*, exſtillavit; & agitando fiat *Unguentum*: quod *dolores mitigat, in quacunque parte corporis*; unde & nomen ſuum ſortitur.

UNGUENTUM DE ARTHANITA PURGANS.

℞. Butyri Majalis recent. non ſaliti libras duas,
Olei Lini recenter expreſſi libram ſemis:

his mixtis immergantur ſucceſſivè, inciſa & contuſa ſequentia:

Rad. recent. Cucumeris Aſinini unciæ tres,
Cyclaminis,
Ireos noſtrat.
Bryoniæ, ana unciæ duæ,
Aſari uncia una ſemis,
Herb. recent. Mercurialis unciæ tres,
Anethi,
Pulpæ Colocynthidis, ana uncia una ſemis,
Sem. Cataputiæ,
Ebuli,
Myrrhæ el. rub. ana uncia una,
Fellis Tauri liquid. recent unciæ tres:

factâ maceratione, donec omnia ſucceſſivè, & recenter, collecta ſint, coquantur leniter, ad humiditatis propè exhalationem, ut tamen aliquid ſaltem de humido remaneat: factaque pòſt colaturâ, cum forti expreſſione ſpecierum infuſarum, expreſſo *Unguento*, adhuc liquido, calenti adde, & in eo liquefac.

Ceræ flavæ novæ uncias tres:

pòſt pulveres ſequentes, ſub continuâ agitatione, inſpergantur:

Pulv. Aloës Hepaticæ,
Salis Gemmæ, ana uncia una,
Colocynthidis,
Scammonii,
Turbith,
Caryophyllorum, ana drachmæ ſex,
Ol. Ligni Rhodii, pro odore grato, drachma una.

Miſceantur, fiat *Unguentum purgans, quod, ſtomacho illitum*, (uti fertur) *per ſuperiora, vi vomitûs, purgat; umbilico* verò, *vel hypogaſtrio, inunctum, alvum dejicit.* Utut ſit, *movet*

vel alvum, putamini juglandis inditum, & umbilico alligatum; simulque vermes enecat & exturbat. Non autem ab intrò, sed saltem de foris, iis, qui purgantia medicamenta sumere nequeunt, adhibendum est.

UNGUENTUM AUREUM VULNERARIUM.

℞. Ceræ Citrinæ novæ odoratæ uncias tres,
Olei Terebinthinæ rubri, vel flavi, per retortam destillati, uncias octo,
Terebinthinæ claræ uncias duas,
Resinæ albæ uncias duas semis,
Mastichis electæ unciam unam,
Colophoniæ unciam unam semis.

His omnibus liquatis, ac per linum & qualum colatis, superinsperge, dum adhuc parùm calent,

Pulv. Thuris albi in granis subtilissimi unciam unam semis,
Myrrhæ rubræ translucidæ & subtil. unciam unam,
Croci optimi drachmas duas, vel tres,

confice, secundùm artem, *Unguentum;* quod, si in usum jam trahi debet, *Vitello ovorum* permisceri potest, ad formam *Unguenti digestivi.*

Aureum Unguentum est, colore, & re, seu virtute. *Omnia* enim *Vulnera* tutò, *& salubriter sanat;* præcipuè, quæ *partibus nervosis*, ubi unctuosa, seu oleaginosa, obsunt, infligi contingat.

UNGUENTUM CARMINATIVUM.

℞. Axungiæ Porcinæ recentis libras duas,
Olei Chamæmeli n. m. parati libram unam,
Ceræ flavæ odoratæ uncias tres, vel quatuor;

quibus invicem leniter liquatis immergantur, successu temporis, & per vices sequentia:

Summitat. recent. Anethi,
Majoranæ,
Rorismarini,
Pulegii, ana unciæ duæ,
Flor. recent. Chamæmeli Rom. unciæ tres,
Sambuci unciæ duæ,
Lavendulæ,
Semin. Anethi,
Anisi,
Carui,
Coriandri,
Cumini,
Fœniculi, ana uncia una,
Macis,
Nuc. Moschatar. ana drachmæ sex,
Styracis Calamit. uncia una semis:

sient in infusione, septimanâ unâ vel alterâ; factaque pòst unâ alterâve ebullitione, colentur, & exprimantur Species: expresso adde

Camphoræ unciam unam,
Ol. stillat. Anisi,
Carui,
Chamæmeli,
Fœniculi, ana drach. duas,
Majoranæ drachm. unam.

Fiat *Unguentum nobile, tàm clamosos Infantum abdominis, quàm Adultorum colicos, & hystericos dolores insigniter compescens;* cùm intra corpus sumptum, tùm externè, regioni umbi-

umbilici, non attingendo ventriculum, inunctum; vel etiam gutturi inferiori immissum.

UNGUENTUM CEPHALICUM.

℞. Axungiæ Porcinæ recent. libras duas; cui, successu temporis, immergantur sequentia, incisa & contusa:

Gemmar. Populi arbor. recentium unciæ tres,
Herb. recent. Betonicæ,
Basilici,
Majoranæ,
Menthæ aquat.
Rorismarini,
Rutæ, ana unc. una semis,
Fol. recent. Nucis Juglandis,
Flor. recent. Acaciæ,
Keiri,
Lavendulæ,
Persicorum,
Rosar. Damascen.
Sambuci,
Tunicæ, ana unc duæ,
Croci Austr. vel Orient. uncia semis.

Stent in infusione, in cellariô, donec omnia collecta & immersa sint: factâ pòst aliquali ebullitione; non verò ad totalem humiditatis exhalationem, in alembico quidem vitreo, suô capitellô munitô, ut id, quod tranfit, sequenti pulti parandæ inservire possit, colentur, & exprimantur species: expresso adde pulpam sequentem:

℞. Nucleorum Persicorum unc. duas semis,
Ceratorum unciam unam semis,
Camphoræ unciam semis;

contundantur optimè in mortario, cum suff. q. Aquæ superiùs, in ebullitione & coctione per alembicum, asservatæ, ad pultis subtilis. formam; quæ per setaceum cogatur, ac superiori *Unguento* expresso viridi, & odorifero, sub continuâ agitatione, uniatur, addendo adhuc

Olei still. Majoranæ drachmas duas,
Nuc. Mosch. expressi unciam unam,
Lapid. Alabastri præpar. unc. duas, vel tres,

Fiat *Unguentum nobile, Capitale* seu *Cephalicum, fronti, temporibus, & occipiti, applicandum.* In *doloribus Capitis continuis, Cephalæa, Hemicraniâ, Febribus continuis, Tertianis, & Ardentibus, utiliter adhibetur.*

UNGUENTUM CLYSMATICUM.

℞. Butyri Majalis recentis libras quatuor;
cui immergantur incisa & contusa sequentia:
Rad. recent. Liliorum albor.
Bryoniæ,
Cucumeris Asinini,
Cyclaminis,
Ireos nostrat. ana unciæ tres,
Herb. recent. Mercurialis,
Meliloti,
Anethi,
Tanaceti,
Flor. recent. Chamæmeli,
Rosar. pallid. ana unciæ tres semis,

Sem.

Sem. Ebuli recent. uncia una semis,
Carthami uncia una,
Anethi drachmæ sex:

Factâ maceratione, donec omnia & singula collecta, atque butyro immersa sint, coquantur leniter, usque dum humiditas, pro maximâ sui parte, exhalârit: colentur, & exprimantur species fortiter. Fiatque hôc pactô *Unguentum Lenitivum & emolliens.* Adhibetur ad Enemata; aut externè, ad ventrem illô illinendum: quo modo alvum blandè movet ac subducit; prædurasque emolliendo fæces, eandem lubricam reddit.

UNGUENTUM COMITISSÆ ADSTRINGENS.

℞. Rad. Tormentillæ,
Bistortæ,
Cypri rotundi,
Cynoglossi, ana unciam unam semis,
Saniculæ unciam unam,
Herb. Equiseti,
Millefolii florescentis,
perfoliatæ,
Pyrolæ,
Hyperici,
Fol. Quercûs,
Pruneoli sylv.
Hederæ arboreæ, ana unciam unam semis,
Nucum Cupressi,
Baccarum Myrti,
Gallarum Turcicarum, ana unciam unam,
Glandium Quercûs unciam unam semis,
Calicum Glandium unciam unam,
Cort. med. Castan. affat. drachm. sex,
Quercus arb. unciam unam,
Prunorum sylvestr. siccat.
Sorborum immaturor. siccat. ana uncias duas:

Incisa & contusa coquantur in Aqu. simpl. libris sex, ad medietatis consumptionem; colentur, & decoctum interim asservetur: species relictæ à decoctione, & à colatura, immergantur in

Axungiæ Porci,
Ol. Myrtillorum, ana librâ unâ semis,
Ceræ flavæ unciis octo,

priùs invicem liquatis, & leniissimo calore permixtis: factaque pòst maceratione, per aliquot dies, & addito tandem decocto superiùs asservato, coquantur leniter, ad consumptionem propemodum totalem humiditatis; quô expeditô, instituatur colatura, cum forti specierum expressione: Expresso huic *Unguento* porrò adde, immiscendo,

Succor. Acaciæ,
Hypocisthidis, ana drachm. sex,

solutorum ad pulticulam priùs, in particulâ superioris decocti, ad solutionem hanc studio asservati:

Item,

Pulv. Mastichis,
Olibani,
Succini albi, ana unciam unam semis,
Tormentillæ,
Bistortæ,

Sanguin.

Sanguin. dracon. ana unc. unam,
Cort. med. Caſtan. drachm. ſex.
Fiatque *Unguentum* debitæ conſiſtentiæ.

Hoc *valet ad Menſtrua ſuperflua ſupprimenda, & Abortum prohibendum; Hæmorrhoidum ſuperfluum fluxum, Dyſenteriam, Lienteriam, & Diarrhœam immoderatam, ſiſtit atque compeſcit. In Herniis ſanandis, efficaciæ permagnæ cenſetur*, ab extra ſaltem applicatum.

UNGUENTUM CORDIALE.

℞. Axungiæ Porcinæ recent. libram unam ſemis;
cui immergantur, ſucceſſu temporis, ſubſequentia, minutim priùs inciſa, & contuſa: nempe,

Herb. recent. Meliſſæ citratæ,
Baſilici,
Rorismarini,
Majoranæ,
Flor. recent. Borraginis,
Bugloſſæ,
Arantiorum,
Lavendulæ,
Tunicæ, ana uncia una ſemis,
Roſar. fragr. unc. tres,
Violarum Martialium uncia una,
Cortic. Arant.
Citri, ana recent. & extim. drachmæ ſex,
Croci Auſtr. vel Or. drachmæ duæ,
Cinamomi optimi acuti,
Caryophyllorum,
Macis,
Nucum Moſchat. ana uncia ſemis,
Ligni Aloës gum. drachmæ duæ.

Peractâ maceratione brevi, & poſtquam omnia collecta fuerint, coquantur parùm in alembico vitreo, capitello ſuô munitô, & recipiente præpoſito, non ad totalem, ſed aliqualem, humiditatis exhalationem vel prolectionem; quæ ipſa tamen exſtillata humiditas Unguento ultimò colato addi poteſt. Ulterius fiat colatura cum forti expreſſione ſpecierum; inque expreſſo & colato ſolve

Reſinæ Styracis calamitæ,
Pulv. Benzoës opt. ana drachm. ſex.

His ſolutis porrò adde

Ol. Nucum Moſch expreſſi drach. (ſex,
Ligni Rhodii ſtill.
Extracti Croci opt. ana drachm. duas.

Ex omnibus benè mixtis fiat *Unguentum Cordiale*, *præſtans*, cui, & *Ambra*, & *Moſchus*, pro placito adjungi queunt: tàm recreandorum, per odores acceptabiles, ſpirituum gratiâ; quàm pro ditiorum exigentia.

Præſtantius etenim, & excellentius, *Unguentum* Cordiale, hôc, vix reperies ullum; quod ita in omnibus debilitatibus Cordis, Lipothymiis, Animi defectionibus, Morbis Malignis, & calidis, Peſtilentibus ipſis, utroque ſexui, excellentiſſimè medetur: eoque non ſolùm Cordis regio, ſed & Pulſus, & vola Manûs, ſpina Dorſi, & Tempora bina, inungi ſæpius debent.

UNGUENTUM HEPATICUM.

℞. Axungiæ Porcinæ recent. libras duas ſemis;

cui

cui immergantur ſequentia, inciſa atque contuſa, ſucceſſu temporis; utpotè,

Rad. Apii recent.
Enulæ,
Fœniculi,
Calami Aromat.
Pimpinellæ,
Cichorii,
Rubiæ tinctor. ana recent. uncia una,

Herb. Abſinthii,
Agrimoniæ,
Chamædryos,
Betonicæ,
Hepat. nobilis,
Naſturtii hortenſ. ana recent. uncia una ſemis,

Flor. recent. Roſar. rubr. unciæ tres,
Papav. errat. uncia una ſemis,
Baccarum Lauri,
Juniperi virid. ana uncia una,
Myrrhæ rubræ,
Sem. Naſturtii, ana drachmæ ſex,
Fœniculi,
Santali rubri raſpati, ana uncia ſemis.

Peractâ maceratione, poſtquam omnia collecta fuerint, coquantur ad aliqualem humiditatis exhalationem, &, ſi lubet, in alembico vitreo, capitellô ſuô munitô; uti ſæpiùs monui: fiatque pòſt colatura & expreſſio; colato & expreſſo adde

Pulv. Gum. Ammoniac. uncias duas,
ſoluti cum ſ. q.
Vini albi, ad pultis formam;
item
Camphoræ unciam unam,
Ol. Ligni Rhodii ſtill. drachmas duas,

& fiat ex omnibus, legitimè mixtis, *Unguentum Hepaticum, aperiens & roborans. Aperit obſtructiones Hepatis, & Lienis, conſtatq; virtute confortandi dicta viſcera, ab extrà applicatum:* multò præſtantius eſt *Unguento*, aut *Emplaſtro Santalino;* quemadmodum ingredientia ipſa, ejuſque legitima præparatio, demonſtrant.

UNGUENTUM AD HÆMORRHOIDES.

℞. Radic. Tormentillæ,
Cyperi rot.
Ireos Flor. ana unciam unam,
Liquiritiæ unciam ſemis,

Herb. Plantaginis,
Millefolii,
Equiſeti,
Hyperici,
Pyrolæ, ana recent. unc. duas,
Linariæ recentis uncias tres,

Flor. Roſar. rubr. unciam unam ſemis,
Verbaſci,
Papav. errat.
Sambuci, ana unciam unam,
Croci optimi drachmam unam ſemis, vel duas,
Succi Acaciæ unciam ſemis,
Opii Thebaici drachmas duas.

Inciſa & contuſa coquantur in ſ. q. Aquæ Chalybeatæ, ſeu Fabrorum, ad reman. libræ unius ſemis; coletur: colaturæ adde

Mellis rosati simplicis libram unam semis,

coquantur porrò ad exhalationem decocti, & ad pristinam Mellis consistentiam; cui tandem adde, & immisce

Vitell. ovorum num. III.

Olei ovorum, è vitellis expressi, unciam unam semis,

Pulv. Olibani,
Sangv. Draconis,
Succini albi, ana subtiliss. trit. drachmas tres,
Flor. Verbasci,
Sambuci subtiliss. ana unciam semis,
Rosarum subtiliss. drachm. sex,
Croci Martis adstringentis,
Croci Austr. opt.
Sacchari Saturni, ana drachmas duas:

Fiat, omnibus l. a. mixtis, veluti *Opiatum*, seu *Unguentum præstans, ad acerbissimos Hæmorrhoidum dolores placandos, eorum inflammationes retundendas, fluxumq; nimium sistendum.*

UNGUENTUM ALIUD HÆMORRHOIDALE, DE LINARIA DICTUM.

℞. Butyr. rec. Majalis libras duas; cui immergantur

Herb. Linariæ (veræ, non lactescentis, ad differentiam Esulæ) recentis, & contusæ, unciæ octo:

factâ maceratione, diebus aliquot, fiat, ebullitione unâ atque alterâ prægressâ, colatura, cum forti expressione, calidè. Expresso Butyro porrò

Linariæ recentis consciss, & contusæ, unciæ octo

immergantur, digerantur leniter, coquanturque paucis ebullitionibus, & iterum exprimantur: quæ Infusio cum

Linariæ recentis conciss, & conquassatæ, unciis octo

tertiâ vice repetatur. Hinc, maceratione peractâ, coquantur leniter, pro potiori, non tamen totali, humiditatis exhalatione. Colaturâ tandem factâ, cum forti expressione, servetur *Unguentum* hoc viride, per se, sine additione aliâ, donec in usum trahatur; cujus demum *singulis circiter duabus unciis, vitellus ovi unius, Pulv. Olibani subtiliss. drachma una semis, Pulv. Rosar. & Sambuci, item Pulv. Croci, ana drachma una* circiter admisceri possunt. Quod *præstat in doloribus, & tumoribus, venarum Sedis sedandis*, repetitâ applicatione.

UNGUENTUM ALIUD HÆMORRHOIDALE.

℞. Rad. recent. Tormentillæ,
Bistortæ,
Saniculæ,
Symphyti maj.
Liquirit. ana unc. unam,
Herb. recent. Millefolii,
Plantag. min.
Hepatic. nobil.
Pyrolæ,
Achimillæ, ana Mij,

Flor

Flor. Rosar. rubr. drachm. sex,
Verbasci,
Sambuci,
Balaust. ana unciam semis.
Antimonii crudi pulv. & in petia ligati, uncias quatuor.
Fiat cum s. q. aq. simpl. repetitis vicibus affusæ, decoctio, ad totalem virtutum extractionem: decoctiones junctim clarificentur, & ad spissitudinem Mellis, seu Extracti, leniter, in patella ferrea, vel in diplomate, evaporent.

Huic decocto inspissato, si fuerint unciæ quatuor, adde
Mellis Virginei albi crassi, & nunq. cocti, sed legitimè, uti superiùs, ex alveolis extracti, unc. octo, vel decem,
Terebinthinæ claræ uncias duas, s. tres;
in qua solutæ sint
Gummi Elemi,
Mastichis, ana unc. semis,
Balsami Vulnerarii Martial superiùs descripti, uncia una semis;
quibus omnibus exactè mixtis superinspergantur sequentes Pulveres; utpotè,
Pulv. Olibani subtiliss. uncia una,
Flor. Sambuci,
Verbasci,
Rosar rubr. ana drach. tres,
Lapid. Calaminar. cum succo Millefolii præparat.
Tutiæ, cum succo Plantaginis præparatæ, ana drachm sex,
Sacchari Saturni ex Minio parat. drachmæ tres.

Misceantur omnia exactè; fiatque *Unguentum* præstans; cujus virtutes ex superiori patent.

UNGUENTUM INFRIGIDANS, SEU REFRIGERANS GALENI.

℞. Olei Rosacei ritè parati libram unam,
Ceræ albæ uncias tres:
his liquatis immergantur
Flor. Rosar. recent. alb. contus. unciæ quatuor, vel quinque,
Sambuci recent. uncia una semis,
factâ maceratione, fiat, in alembico vitreo, suô capitellô munitô, una atque altera ebullitio. Id autem, quod bulliendo transiit *Unguento* in fine reaffundatur. Coletur tandem, & exprimantur flores: expressum, cum refrixerit, agitetur diu multumque, in sartagine, donec parumper albescat; addendo tamen, sub continuâ agitatione illa,
Aceti Rosacei quantum sufficit, vel imprimi potest:
Fiat *Unguentum*.

Vel, si lubet, paretur simpliciter, in modum sequentem:

℞. Olei Rosati ritè parati libram unam,
Ceræ albæ uncias tres:
Liquentur leni calore, &, cum refrixerint, agitentur tandem diu multumque, in sartagine, affundendo, durante indesinenter agitatione,
Aq. Rosar. alb. sine addit. ex Baln. n. vaporoso stillatæ.
Aceti Rosacei opt. ana q. s. vel quantum sub continuâ agitatione imprimi potest; fiatque *Un-*

guentum refrigerans atque humectans.

Renum & Inguinum doloribus opem fert, si à causâ calidâ, vel calculo, originem trahant. In Febribus calidis ardentibus, spina dorsi eô inungenda est.

UNGUENTUM JOVIS, REFRIGERANS ALIUD.

℞. Butyri Majalis recent. libram unam semis:

cui impastentur, conquassata priùs, & contusa, successu temporis, sequentia: utpotè,

Herb. recent. Hyoscyami,
Verbenæ,
Parietariæ,
Cicutæ,
Sempervivi,
Solani,

Flor. recent. Sambuci,
Papav. errat. ana uncia una semis,
Rosar. albar. vel Damascen. unciæ tres.

Sem. Papav. albi minutiss. contusi, ad pultis formam, additâ portiunculâ aquæ Rosar. uncia una semis,

Rad. Liquiritiæ recentis unciæ duæ: & postquàm omnia immersa fuerint, ac parùm macerata, coquantur leniter, ad humiditatis exhalationem: Colentur, cum expressione herbarum, vel specierum, cùm refrixerint, agitentur in sartagine benè, addendo, sub continuâ agitatione,

Aq. Rosar. fragr. sine addit. still. uncias duas semis;

in quâ tamen priùs

Nitri puriss. crystall. uncia una semis soluta sit:

fiatque *Unguentum, refrigerans potenter; externâ inunctione spinæ dorsi, Febribus ardentibus, ac incendiis magnis, opem fert.*

UNGUENTUM AD HERNIAS.

℞. Butyri Majalis recentis, non loti, libras duas,

Axungiæ Taxi uncias octo,
Hominis uncias sex;

his mixtis immergantur sequentia, subtiliter incisa & contusa:

Rad. recent. Tormentillæ,
Bistortæ, ana uncia una semis,
Symphyti maj. unciæ tres,
Saniculæ,
Bard. maj. ana unciæ duæ,

Herb. recent Persoliatæ,
Hyperici,

Herb. recent. Consolid. Sarracen.
Pyrolæ,
Millefolii,

Fol. recent. Quercûs,
Hederæ arbor. ana uncia una semis,

Glandul. seu Nuc. arboris Laricis, sive Abietis (vulgò weisse Tannzapffen von Fehren Bäumen) unciæ tres, affusis

Vini boni rubri unciis sex.

Factâ

Factâ maceratione, donec omnia ac ſingula collecta ſint, coquantur leni igne, in ſartagine ferreâ, ad humiditatis totalem ferè exhalationem, colentur: pòſt exprimantur ſpecies fortiter; fiatque ſic *Unguentum*: ſervetur uſui.

Certum remedium eſt, pro ſanandis Herniis, quò inungendæ partes affectæ; ſive in inguine ruptum ſit peritoneum, aut aliquò aliò in locò abdominis, inteſtinis prolabentibus, ſive peritonei proceſſus, qui ad ſcrotum tendit, dilatatus ſit, per quem inteſtina in ſcrotum etiam prolabuntur, perindè erit; modò inunctio ſemper verſus ſuperiora fiat; inteſtinis tamen priùs repoſitis, & cingulò appoſitò, ſive ligaturâ adhibitâ, paucarum ſeptimanarum ſpatio cura abſolvetur. Hoc tamen inſuper notandum, quòd, ſi hoc *Unguento* partes anteriores inungantur, retrò, in dorſo, cum *Axungia Urſi*, tanquàm ex oppoſito, inunctio quoque peragenda ſit.

UNGUENTUM DE LIQUIRITIA.

℞. Butyri Majalis recentis libram unam ſemis:
huic impaſtentur
Rad. Liquiritiæ conſciſſ. recent. unciæ tres,
Herb. recent. Solani unciæ duæ:
factâ maceratione diebus aliquot, coquantur leniter in ſartagine, ad humiditatis ferè exhalationem; colentur pòſt, & exprimantur ſpecies immerſæ; expreſſo verò denuò immerge
Rad. Liquiritiæ recent. conſciſſ. uncias tres,
Herb. recent. Solani uncias duas;
ac, uti antea, præmiſſa maceratione, leni coctione, in ſartagine, ad humiditatis exhalationem, colentur, & exprimantur ſpecies: idque novâ ſpecierum infuſione, maceratione, coctione leni, & expreſſione, tertiâ vice repetendum. Tandem *Butyro* huic ſic præparato adde, ſub continuâ agitatione,
Ceruſſæ albæ uncias quatuor, priùs cum
Aceti Roſacei,
Sambuci, ana n. m. parati, unc. ſex,
coctæ leniter in patella terreâ, & ad priſtinam ſiccitatem redactæ,
Pulv. Pompholygis unciam unam,
Olibani ſubtil. triti drachm. ſex,
Album. ovorum conquaſſat. unciam unam ſemis:
Fiat ſ. a. *Unguentum*.

Refrigerat, & hoc ipſum *potenter, fiſtit inflammationes, eryſipelata, ſacros ignes, puſtulas calidas perſanat, & dolorificis ulceribus egregiè conducit.*

UNGUENTUM DE LITHARGYRIO, SEU SATURNINUM.

℞. Aceti Sambucini fortis, ex Aceto deſtillato, & flor. Sambuci, ritè parati,
Aceti Roſati, itidem ex Aceto deſtillato, & flor. Roſ. rubr. parati, ana juxta n. m. libram unam ſemis,

Lithargyrii ſubtiliſſ. pulveriſati, ſeu, quod melius,
Minii opt. uncias xv. vel xvi.
coquantur in vaſe terreô vitreatô, ad conſumptionem tertiæ partis circiter, Litharg. ſive Minium, continuò ſpatulâ agitando. Reliquæ duæ libræ Aceti à Minio colaturâ ſeparentur, & ad libram circiter dimidiam, in vaſe etiam terreo, pòſt evaporent: cui reſiduo liquori adde, ſub continuâ agitatione,
Oleor. Sambuci ex floribus,
Roſati, ana per trinam infuſionem, macerationem, & expreſſionem, uti ſuprà edoctum, diligenter paratorum, quantum ad Unguenti albi conſiſtentiam ſufficere videbitur; quæ ipſa præparatio dictabit:
adjiciendo, poſtremò, ad quamlibet libram unam ſemis Unguenti
Pulv. ſubtil. Olibani, ſeu Thuris albi,
Maſtichis,
Pompholygis, an. drach. ſex,
Lapid. Calam. cum ſucco Millefolii levigati & ſiccati, unc. unam,
Camphoræ drachmas duas:
fiatq; *Unguentum nobile refrigerans; quod omnibus inflammationibus, ulceribus ſordidis ac pertinacibus, ut & ambuſtionibus, & eryſipelati medetur.*

UNGUENTUM MERCURIALE.

HUjus *Unguenti* legitima præparatio, cum iis, quæ notatu digna, & circa ejus modum parandi, ingredientia, virtutesque conſideranda ſunt, *in prævius n. Animadverſ ad illud Unguentum Mercuriale ſcriptis ſigillatim*, fundamentaliter dicta & præmiſſa ſunt; quæ L. B. hûc revocare poteſt.

UNGUENTUM NERVINUM.

℞. Axungiæ Porcinæ recent. libras tres ſemis,
Canis recentis, non rancidæ, libram ſemis, vel unam,
Humanæ recent. uncias quatuor:
quibus commixtis, immergantur ſequentia, per vices, & ſucceſſu temporis; ſingula tamen inciſa & contuſa: utpotè,
Gemmar. Populi arbor. recent. unciæ quatuor,
Summitat. Abietis, vel Laricis arboris recent. (vulgò Fehren Gipfel) tempore Veris, unciæ tres, vel quatuor,
Herb. recent. Rorismarini,
Salviæ minoris, ana unciæ quatuor,
Chamæpithyos,
Majoranæ,
Calaminthæ mont.
Origani bulb.
Thymi floreſc. ana unciæ duæ,
Herb. recent Serpilli floreſcent.
Pulegii,
Flor. recent. Chamomillæ Rom.
Lavendulæ,

Spi-

Spicæ, ana unc. una semis,
Baccar. Lauri,
Juniperi virid. ana unciæ duæ:
factâ maceratione suffic. in cellâ, donec nimirum omnia colleĉta sint, ebulliant parùm, in alembico vitreo, capitellô suô munitô, & recipiente præpositô, pro receptione particulæ humiditatis, quæ transit. Deinde, dùm adhuc parùm calent, fiat colatura, cum forti expressione specierum infusarum: expresso autem statim immergantur

Lumbricorum terrestrium benè purgat. unciæ sex,

ac in eô emori ac suffocari permittantur; factaque adhuc unicâ ebullitione, vel saltem digestione, in alembico vitreô, denuò coletur *Unguentum*, & à *Lumbricis* separetur, superaddendo *particulam humiditatis, vel aquæ odoriferæ, per alembicum coquendo prolectæ*, uti superiùs jussi; item

Olei stillat. Majoranæ,
Coriandri, ana drachmam unam semis,
odoris grati gratiâ.

Et fiat *Unguentum* nobile *Nervinum*: cui si quis *Balsamum Indicum de Peru* addere voluerit, *Unguentum* nobilius reddet, ut meritò *Nervinum* dici mereatur; quòd *frigidos Nervorum affectus tollat, eorundemq; doloribus opituletur.*

UNGUENTUM NIHILI AD OCULOS.

℞. Unguenti Rosati simplicis, ex trinâ infusione Rosarum albarum, cum Axungia Porcina recent. parati, uncias sex;
cui immiscentur
Camphoræ opt. scrupulus unus, vel drachma semis,
Sacchari Saturni resolub. ex Minio facti, drachmæ duæ,
Pulv. Tutiæ præpar.
Nihili albi, ana uncia semis,
Matris Perlarum præpar. drachmæ tres,
M. Fiat *Unguentum.*

Calidas defluxiones ad oculos demulcet; eorundem rubedinem & inflammationem aufert, & dolores sistit.

UNGUENTUM PECTORALE.

℞. Axungiæ Porcinæ recent. libram unam,
Caponis,
Anseris, ana uncias tres,
Butyri Majalis recentis libram unam.
His mixtis, & leniter liquatis, immerge sequentia successivè, minutim incisa, & contusa,
Rad. recent. Enulæ uncias duas,
Pimpinellæ,
Ireos Florent. ana unciam unam semis,
Herb. recent. Hyssopi,
Chærefolii,
Hederæ terrestr.
Betæ rubræ,
Rorismarini,
Salviæ,
Summitat. recent. Anethi,
Flor. recent. Chamomiliæ,
Lavendulæ, ana unc. duas,

Se-

Semin. Aniſi,
Olibani in granis,
Styracis Calam. ana unciam unam,
Croci opt. drachmas quinque:

factâ maceratione, donec omnia collecta ſint, fiat, in alembico vitreo pòſt, ſuo capitellô appoſitô, levis ebullitio & coctio, ad aliqualem ſaltem *Liquoris odoriferi* prolectionem; qui aſſervandus, ac ultimò *Unguento*, dum adhuc parùm calet, colato, & ſpeciebus opt. expreſſis, reſtituendus, cum agitatione aliquandiu continuatâ, addendo deſuper

Pulv. Benzoes ſubtiliſſimi,
Rad. Ireos Florentin. ana unciam unam,
Croci optimi unciam ſemis,
Ol. ſtill. Fœniculi,
Coriandri, ana drachmam unam ſemis.

Miſceantur exactè in calore leniſſimo: fiat *Unguentum pectorale*, *nobile & præſtans; laterum ac pectoris dolores mitigans. Tuſſim maturat, expectorationem juvat, craſſos & viſcidos humores digerit, atque attenuat.*

UNGUENTUM PEDICULORUM.

IGnobilis hujus, ac gregarii *Unguenti* præparatio, ex *præcedaneis Pharmacopœiæ Auguſtanæ* repeti poteſt; cujus notæ ibidem extant: &, licet, ob contemptiſſimum etymon, ac humile nomen, (quòd plerumque Mendicabulis, aut deſidiâ torpentibus, in uſu ſit) magnæ famæ non ſit; ſuam tamen cupit dexteritatem, non cuique obviam: cujus etiam diſpenſatio, ad majora rimanda, Lectorem manuducet.

UNGUENTUM POMATUM.

℞. Axungiæ Porcinæ recent. libras duas ſemis;

huic impaſtentur ſequentia inciſa & conquaſſata:

Pomorum odoriferorum, in fruſtula ſaltem conſciſſorum, cum ſuis corticibus, abjectis tamen ſeminibus, num. x.
Rad. Ireos Florent. albiſſ. uncia una ſemis,
Roſarum albarũ recent. unc. decem,
Flor. Arantiorum recent. unciæ tres,
Cortic. & flavedin. Arantior. Citri, ana uncia una ſemis,
Pulv. Benzoes, ſeu Aſæ dulcis drachmæ ſex:

factâ maceratione diebus aliquot, fiat, in alembico vitreo, ſuô capitellô munitô, levis ebullitio, ad excipiendam *humiditatem odoriferam*, quæ bulliendo tranſit in præpoſitum vitrum; cujus autem *prior*, *magis odorifera*, *particula*, *& aqua*, ſeorſim, ſeparatim etiam, quæ ſubſequitur, ſigillatim aſſervanda eſt: non tamen diu coquendum; quod obſervetur, ne aduratur *Unguentum*, & nigrum ac fœtidum evadat, empyreuma ſpirans: idque è *colore albicante*, *& fragrantiâ*, probatur. Factâ igitur ebullitione leni, dumque hâc peractâ, à calore, aut fervore, parùm

rùm remiſerint, fiat colatura cum forti expreſſione; in colato diſſolve, ſi lubet, & *unguentum* paulò ſolidius, & duriuſculum deſideretur,

Ceræ albæ non rancidæ, ſed novæ, uncias duas, vel tres.

Agitentur pòſt, cùm refrixerint, diu multumq; piſtillo ligneô, in ſartagine, donec albeſcat *Unguentum*, adjiciendo paulatim *particulam priorem aquæ odoriferæ*, quæ in ebullitione ſuâ per alembicum tranſiit, item ſubſequentia:

Reſinæ Styracis Calamitæ expreſſæ unciam ſemis,

Olei ſtill. Cinamomi,

Caryophillorum, ana ſcrupulum unum,

Ligni Rhodii drachm. unam,

Nuc. Moſchat. drachm. ſemis.

Miſceantur; fiat *Unguentum* ſic *nobile & fragrans, quod, ad oris fiſſuras, & decorem cuti conciliandum, utilitèr adhibetur.*

Nota, quòd in coctionibus & ebullitionibus hujus, & aliorum *Unguentorum*, alembico vitreo peragendis, diſcretione & diligentiâ, ac peritiâ, repetitâq; inſpectione Pharmacopœi, opus ſit; ne diu nimis illa coqui vel ebullire in alembico ſinat, ad copioſiorem aquæ, vel humiditatis, prolectionem, quàm rebus recentibus adjectis, ſcilicet, *hîc, floribus Arantiorum, & Roſarum recentibus, ac Pomis*, de humido aquoſo ineſt; quod peritus Pharmacopœus conjecturâ facilè aſſequi poteſt, ſi in laboribus, & judicio, expertus ſit. (&, ut eò ſecuriùs perficiat, *in Balneo noſtro vaporoſo* inſtituat horum & ſimilium *Unguentorum* ac *Oleorum* etiam, ebullitiones) Quapropter etiam, in prioribus *Unguentis*, hoc ſæpiſſimè & clarè monui, ut parum illa in alembico coquantur, vel ebulliant ad aliqualem ſaltem, non ad totalem, humiditatis exhalationem, & prolectionem; ut nimirum aliquantulum humiditatis remaneat cum *Unguentis*; quæ & ipſa non exiguis viribus prædita eſt, atque unà cum *Unguentis*, ſi non nimia, conſtare, iisque immixta manere poteſt. Secus in *Oleis præteritæ Claſſis* ſe res habet; à quibus omnis humiditas, ſive per decoctionem, ſive per reſidentiam, & decantationem, ſeparanda eſt: quippe quòd illa *Oleis* neutiquam permixta maneat, quàm exigua etiam illa ſit, ſed neceſſariò ſeparari debeat. Oleis enim nullum, cum aqua, commercium, nec combinatio, neque vera miſtio, aut unio intercedit. Quare non eſt, ut me carpant Naſutuli quidam, qui ſine arte, abſq; ſcientia, & conſcientiâ, ſuas inſtituunt medicamentorum præparationes, hoc pro ratô & firmô habentes, ſe nil, quod artis legibus contrarium, aut impoſſibile eſt, ſtatuiſſe, aut ſcripſiſſe. Sed ſibi, ſuæque inſcitiæ, incuriæ, atque inadvertentiæ, ſocordiæque imputent, ſi quandoque impingunt. Sedulum enim, atque peritum, requirunt meæ Præſcriptiones Pharmacopœum, utut quæque ad amuſſim, adjectis omnibus Manipulationibus, deſcripta ſint, & ferè minima quæque. Cœterùm, nil difficul-

tatis habent, neque in pretio excedunt, (de quo etiam nonnulli, sed reverà, falsò conqueruntur) paratuque sunt facilia.

UNGUENTUM POPULEON.

℞. Axungiæ Porcinæ recentis libras decem;

huic immergantur & impastentur, successivè, tempore Veris sequentia, incisa & contusa:

Oculorum Populi arboris recentium libræ duæ,
Herb. recent. Hyoscyami,
Solani,
Sempervivi min. seu Vermicularis,
Violarum, cum Floribus Martialibus,
Chærefolii,
Anethi,
Plantag. minoris,
Millefolii,
Hederæ terrestris,
Flor. recent. Bardanæ, ana unciæ quatuor, vel quinque,
Flor. Rosarum pallidarum unc. sex.
Papaveris, cum foliis, unciæ tres.

Macerentur, postquam omnia collecta sunt, per tres circiter septimanas; coquantur postea leniter, ad humiditatis ferè totalem consumptionem; fiatque post colatura, cum forti expressione: expressum agitetur parùm, ac usui asservetur.

Unguentum hoc refrigerat & humectat, somnum conciliat, frontí, temporibus, & pulsibus illitum: in febribus ardentibus, & aliis incendiis, opem fert; verumque Anodinum est Unguentum.

UNGUENTUM POTABILE RUBRUM.

℞. Butyri Majalis recentis sine sale libras duas,

huic impastentur

Rad. Alkannæ unciæ tres,
Rubiæ Tinctor. unciæ duæ,
Tormentillæ uncia una semis,
Enulæ uncia una,
Ireos uncia semis,
Castorei pingu. drachmæ sex,
Croci opt. drachmæ duæ,
Vini rubri unciæ quatuor.

Macerentur per aliquot dies, in loco frigido: bulliant postea leniter, ad vini consumptionem; colentur, & exprimantur species. Colato *Unguento*, dum adhuc calet, adde, & in eo dissolve,

Spermat. Ceti rec. non rancidi drachmas sex,

Fiat *Unguentum*, interno & externo usui destinatum. Internè assumitur contra *concretum aut coagulatum, & extravasatum sanguinem*: quamobrem *præcipitatis, & contusis ab alto, auxilio est.*

ALIUD UNGUENTUM, SEU BUTYRUM POTABILE.

℞. Butyri Majalis recentis sine sale libras duas,

Cancrorum fluviatilium recent. & conquassat. num. LX.

Radi

Rad. Symphyti major. recent. uncias duas semis,
Enulæ recent. unciam unam semis,
Ireos Florent. unciam unam,
Croci Austriaci drachmam unam,
Flor. recent. Papav. errat.
Rosar. rubr. ana unciam unam semis, vel duas,

Coquantur leniter, in patellâ terreâ vitreatâ, igne leni carbonum, ad humiditatis exhalationem; cavendo tamen, ne comburantur. Coletur pòst, & exprimantur species fortiter: *Butyrum* expressum *rubrum* asservetur usui: quod *præstans est in affectibus pectoris, tussi antiqua, sputo purulento, & phthisi ipsa. Ulcera pectoris conglutinat atque sanat.*

UNGUENTUM ROSATUM: de MINIO: ad SCABIEM:

CONficiantur juxta *Animadversiones super ipsa, in prægressa Pharmacopœiâ* sigillatim factas; quas Lector Amicus haud gravatim revolvere dignetur.

UNGUENTUM AD SCABIEM ALIUD.

℞. Rad. recent. Helenii raspat. unc. sex,
Lapathi unc. quatuor,
Scrophulariæ unc. duas,
Axungiæ Porcinæ libram unam semis, vel duas:

coquantur aliquandiu leniter, præmissâ tamen maceratione, per unam alteramve septimanam: fiat colatura, pòst, cum expressione forti; expressoque admisce

Pulv. Sulphuris vivi subtiliss. unciam unam semis, vel duas, priùs cum
Olei vitellor. ovor. unciâ unâ probè subacti, item
Olei Laurini uncias tres.

M. Fiat *Unguentum.*

Illinitur loco calido, præsertim à balneo sudatorio, aut vesperi; & sequenti die abluitur cum *decocto Lapathi*, aut *Scrophulariæ*, &c. aliquoties repetendo.

UNGUENTUM SPLENETICUM.

℞. Axungiæ Porcinæ recentis libras tres:

cui immergantur sequentia incisa & contusa: utpotè,

Rad. recent. Apii,
Bryoniæ;
Helenii,
Pimpinellæ, ana unciæ duæ,
Valerianæ uncia una,
Herb. recent. Nasturtii hortens. aquatici,
Matrisylvæ,
Verbenæ,
Roris marini,
Abrotani, ana unciæ tres,
Plantag. min. unciæ duæ,
Cortic. Tamarisci recent. uncia una,
Capparum recent. sale condit. unciæ duæ semis,

Baccar. Juniperi virid unciæ duæ,
Lauri excort. drachmæ ſex,
Sem. Naſturtii opt. conquaſſati unciæ duæ:

factâ maceratione, ſeptimanâ unâ vel alterâ, coquantur parùm; pòſt colentur & exprimantur ſpecies fortiter: expreſſo *Unguento* adde

Pulv. Gummi Ammoniaci unciam unam ſemis,
Sagapeni unciam unam,
ſolutorum cum
Vini albi boni ſ. q. ad pultis formam.

Verùm non multum ea coquantur, ne *ſubtiliores & penetrantiores Gummatum partes* in coctura exhalent. Propterea *Pulveres prædictorum Gummatum* non abs re ſumendos præcipio; quia facilius diſſolvi, vel dilui poſſunt, & ſine colatura (ob quam liquidiora effici gummata, & denuò, ac neceſſariò, coquendo, ad competentem conſiſtentiam pultis inſpiſſari deberent,) *Unguento* dextrè commiſceri.

Item adde

Camphoræ unciam unam, vel unam ſemis,
ſolutæ pariter priùs ad pultis formam, cum
Olei de Capparibus ſuff. quant.

fiatque *Unguentum Spleneticum*, omnibus exactè mixtis; cui, ſi libitum eſſet, *Olea Coriandri*, *Lavendulæ*, vel *Majoranæ*, propter gratum odorem, addi poſſent.

Eſt *Unguentum præſtans, & efficax, in obſtructionibus lienis; cujus duritiem reſolvit, emollit, & egregiè roborat, externâ, & ſæpiùs repetitâ, inunctione.*

UNGUENTUM, SEU BALSAMUM STOMACHICUM REGIUM.

℞. Ol. Nuc. Moſchat. expreſſi unciæ duas ſemis,
Pulv. Gummi Maſtichis elect. unciam ſemis,
Tacamahacæ,
Animæ, ana drachmas tres,

His omnibus, leniſſimo in calore, liquefactis & ſimùl colatis, ſuperadde

Ol. ſtill. Menthæ,
Majoranæ,
Caryophillorum, ana drach. unam,
Cinamomi,
Abſyntii,
Calam. Aromat.
Carui, ana drachmam ſemis;

&, cùm omnia veluti refrixerint,

Balſami Indici de Peru drachm. ſex, admiſceantur; item
Extr. Croci drachm. una, vel una ſemis.

Fiat *Balſamum nobile Stomachicum*, cum interno, tùm externo uſui deſtinatum, & accommodandum.

Eſt verè Regium ſtomachale Balſamum. Roborat inſuper Cor, & vitalem facultatem: non ſolùm externâ ſui inunctione, ſed & intra corpus ſumptum, cum *ovo ſorbili*, egregiam præſtabit operam.

UNGUEN-

UNGUENTUM AD VERMES, ET UNGUENTUM VIRIDE REGINÆ.

CONficiantur juxta *Animadversiones n. ad ipsa in præmissâ Pharmacopœia* sigillatim factas; quas L. B. haud gravatim adeat.

Nota Epilogica. Quantumvis, L. A. quædam ex his præstantissimis *Unguentis*, & verè Regiis, ritè ac dextrè, quoad Compositiones suas, descriptis, apparenter saltem magnos labores, difficiles præparationes, & graves impensas postulare videantur; reverà tamen, si exactius inspiciantur, paratu facillima sunt omnia, & paucis insuper expensis parabilia, cum singula eorum ingredientia levi pretio haberi queant. Unicè diligentem, & sedulum requirunt Pharmacopœum, qui indefessus sit in laboribus, atque expertus; Latini nec non gnarus Idiomatis. Unde, profectò, me falsò accusant nonnulli Pharmacopœi, & Medici; quorum alii difficilem Compositorum medicamentorum præparationem arguunt; iterum alii pretium excedens, in comparandis Ingredientibus carioribus: plurimi verò, nimis apertam, & cuivis indigno Lippo, Ionsori, vel Anui sagaciori, obviam eorum descriptionem: qui, quando non habent, quod carpant, hoc quærunt prætexere. Sed ex his contrariis, & iniquis judiciis palàm fit, ne unum ex prædictis Zoilis, scripta mea integra, & studiosè, perlegisse, aut vera ea intellexisse, nec etiamnum capere; idque ob Latini Idiomatis ignorantiam: sed omnes, Momorum saltem more, cuncta suggillare instituisse, nihil, nisi quod ipsi faciunt, rectum putantes. Nam illi, qui difficilem horum medicamentorum præparationem culpant, his, qui, eandem nimium manifestè expositam atque detectam esse, clamant, è diametro contrarii sunt. Undè ultrò eorum insulsa, & nullo veritatis fundamento innixa, judicia per se ipsa ruunt, atque, in contemptum eorum, nota fiunt. Quod igitur dexterrimas has, & claras medicamentorum Compositorum descriptiones concernit; fateor, & certum est, omnia tàm accuratè, juxta tenorem & leges artis, esse tradita, ut nullus Pharmacopœorum, ab experientiâ eruditus, vel in uno anceps hærere possit, quô modô, vel quali ratione, hoc vel illud artificiosè parandum, & aggrediendum sit. Veruntamen nil minus fieri potest, quàm ut quælibet anus, etiam sagaciissima, vel alius ex vulgo, ea statim imitari, & Simiam Pharmacopœorum peritorum agere valeat, quin potius modo illo artificioso fiori manifestato, penes Pharmacopœos peritos & doctiores hæc magis Dædala Medicamentorum præparatio mansura sit, atque adeò ars Nobilissima, pessum itura aliàs, ab interitu vindicetur, pristinæque dignitati suæ restituatur. Quod idem mecum sentient doctiores, in Theoria pariter, ac Praxi, exercitati Medici, & Pharmacopœi; qui ipsi plurimorum suorum Ministrorum levitatem in arte, tùm

& segnitiem, ignorantiam (de quâ etiam Dn. Fridericus Müller, Peritissimus æquè, ac Doctus Viennensium Statuum Austriæ Provinciæ Pharmacopœus, *in sua supèr Lexicon Medicum, Præfatione*, summoperè conqueritur,) detestantur. E contra verò, qui difficiles has ipsas præscriptionum mearum præparationes quasi in jus vocare instituunt, illi, è diametro contrarii prioribus, à veritate etiam planè aberrant, nec rationem, quâ me, qui omnia juxta Legum Pharmacevticarum harmoniam ordinavi, de jure culpent, dum seipsos, tanquam inexpertos, & leviter arte suâ tinctos, reprehendere, satis habent. Etenim non pauci illorum sunt, qui hoc sibi firmiter persuasum tenent, modò Syrupum aliquem simplicem, (licet haud debitè,) conficere didicerint, aut Aquam d stillare simplicem; tùm se solidè doctos, & Magistros artis protinus esse; cùm tamen vix à limine hanc nobilissimam æquè, ac difficillimam artem salutarint. Tandem, precium grande quando nonnulli taxant, itidem & ipsi rem haud penetrant, aut intelligunt, vel lucri sunt nimis cupidi. Illud dico, quia aliàs cernerent perfacilè, me primariò quidem Divitibus, atque Magnatibus; (ob id enim Regiæ titulo insignitur hæc Pharmacopœia, quòd verè Regia Medicamentorum genera in ea tradita contineantur,) nec tamen minus quoque Pauperibus, ut qui tenuioris fortunæ sunt, sua quibus libet ordinasse & destinasse; quorum potiora tàm levi ære veneunt, ut meritò hi, qui de intenso conqueruntur precio, heluones, & avari, meritò dicendi sint, gratis omnia volentes, nihilque ferè Præparationibus medicamentorum sanioribus impendere, in animo habentes. Perpendant illi mecum, qui rem exactiùs, æquiori animi lance, trutinant, quanta, olim, rerum pretiosarum, simplicium, utilium, & innumerabilium, facta sit inutilis profusio, in quibusdam, & quidem plurimis, Antiquorum præscriptis medicamentorum Compositionibus omnis generis; quorum specimina haud pauca, in *duobus prioribus Classibus XIV. & XV.* aliquot saltem Compositiones limæ sani judicii subjiciendo, manifesta feci, nec sine fundamento detexi. Esto, quòd quandoque, in his meis legitimè delineatis medicamentorum Compositionibus, & Præparationibus, quæ prostant, reverà Antiquis, quædam, in quantitate majori, huic vel illi, adjiciantur medicamento Composito, simplicia: sint & ea paulò sumptuosiora: (quod tamen raro contingit,) hoc tamen, quoad precium, tanto damno Pharmacopœis non cedit, quàm si potiora Compositionum Veterum ingredientia inutiliter agglomerentur, aut annumerentur; à quibus non solùm hoc, vel illud, determinatum medicamentum nullas Virtutes mutuare habet, sed quæ aut obsunt magis, aut reliqua, in Virtutibus suis, remorantur contenta, essentialiter adjecta: quippe, quod ex fundamento, & radice rei, non semel demonstravi. Quæro ergò, annon majuscula illa copia Ingredientium, paulòque dexterior ac artificiosior medicamentorum præparatio, propter quæ illa præstantiora

tiora & validiora efficiuntur in operationibus ac virtutibus ſuis, non ſint præferenda invalidis & effœtis quibusdam Antiquorum medicamentis Compoſitis? Ubi, ſi recta inſtituatur computatio, certè graviori multò veneunt precio Antiquorum nonnulla, quàm illa edocumatiùs elaborata: quæ ſunt, ut dictum, Virtutibus ſuis longè efficaciora, idque propter, in minori quoque Doſi infirmis propinari poſſunt: ex quo & Medicus ipſe, ut fine ſuo potitus, Exiſtimationem, & Laudem; Pharmacopœus, haud exigui momenti, Lucrum; Infirmus denique ipſe, Sanitatem priſtinam celeriùs conſequi valet. Itaque non moror Ego Zoilorum inſulſa & iniqua judicia, quæ tantum abeſt, ut inſtituto meo impedimento ſint, ut potiùs calcar acrius ad perſequendum, & majora mihi, melioraque, in lucem proferendi aſſint, hoc pro ſolatio habenti, quod ne Jupiter quidem omnibus placeat. Quomodo ergò hæc omnium nutui conformia eſſe poterunt? præſertim quæ, quot capita ſunt; tot ſenſus, & opiniones, abundantes inveniunt.

Et hæc ſunt etiam illa, quæ, circa *Unguentorum*, tanquam externorum Medicamentorum, præparationem & Compoſitionem, annotare volui: è quibus pateſcit, quòd & in hâc, horum, licet externo aſpectu viliorum, juſtè deſcribendi & præparandi ratione, non levi opus ſit dexteritate atque prudentiâ. Hoc igitur labore noſtro, intuitu Tui ſuſcepto, L. B. fruere.

Ego verò ad alia progredior.

PHAR-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ, *SEU* DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

Classis Decima Octava,

EMPLASTRORUM DEBITE PARANDORUM FORMULAS EXPLANANS.

EMplaſtra & Cerata, *quæ duabus hiſce Claſſibus continentur, non, niſi conſiſtentiâ, inter ſe differunt.* Emplaſtra *paulò ſolidiora* ſunt; *molliora nonnihil* Cerata. *Suntque Medicamenta externa, Vulneribus, Ulceribus, Rapturis; debilitatis, refrigeratis, & inflammatis Membris, &c. accommodata, liquabilia utplurimùm, uti* Cera, Reſina, Pix, &c. *ob id ſolida, infrigore; liquida, in calore paulò fortiori. Componuntur ex omni genere* Mineralium, Vegetabilium, & Animalium, *pro intentione Medici, & diverſitate affectuum. Specierum ipſa Ingredientium, utpotè,* Ceræ, Reſinæ, Terebin-

rebinthinæ, Gummatum, Oleorum, Pulverum, &c. *proportio, & exacta quantitas, universaliter determinari nequit. Non equidem me latet, quòd communiter*, ad unciam unam Oleorum, (*præsertim in Ceratis*,) unciæ tres Ceræ, Resinæ uncia una, Pulverum drachma una, drachma una semis, & drachmæ duæ, *destinentur. Ast hæ vanæ sunt assertiones. Quàm diversam enim producat coctio* Oleorum, *cum nonnullis* Pulveribus, *imprimis* Mineralibus, *consistentiam, palàm est. Ex solo enim* Oleo, *& quocunque* Metallo, plurimisque Mineralibus, *quibusdam solutis, nonnullis autem indissolutis*, Unguenta, Cerata, *(quoad consistentiam)* & Emplastra *fieri possunt. Variant itidem pondus exquisitum*, Terebinthina, Resina, Gummata, &c. *quæ modò liquidiora, & molliora; modò solidiora, & crassa, deprehenduntur. Omnium denique maximè discrepant* Pulveres; *quorum alii aridiores sunt, alii oleaginosi; nonnulli graves, ponderosi, uti* Metallorum *&* Mineralium, *qui proindè, Emplastris commixti, eandem duritiem, & solidam non producunt consistentiam, quam arida quædam* vegetabilia levia, porosa. *Quin etiam Anni tempora, nec non mucilagines viscosæ, Emplastris addendæ, pondus ingredientium reliquorum non parùm variant. Cùm itaque universaliter proportio determinari nequeat, necessum est, ut, qui similes Compositiones construere velit, rerum Medicarum, immaniter variantium, exactam habeat notitiam. Dictas autem rerum varietates, diversæ Emplastrorum & Ceratorum Compositiones, & Præparationes sequentes manifestabunt.*

Velim autem, B. L. ut ad hanc, & sequentem, Classem referas ea, quæ in Animadversionibus plurimorum, Emplastrorum, præcedentes Pharmacopœiæ Augustanæ *non semel inculcata sunt; quæque ulteriùs*, in Appendice n. circa hanc Classem, *non temerè, nec gratis, admonuimus: quæ singula si studiosè perlegeris, & observaveris accuratè, res haud protriti momenti esse, comperies, scitu tàm dignas, quàm necessarias; quæ & Medicum cautum reddere, & Pharmacopœum non leviter erudire possunt; quemadmodum utrumq; hæc decent, & exornant.*

EMPLASTRUM ALBUM COCTUM.

℞. Olei Sambuci ex floribus, per trinam infusionem, maceratione, & expressionem, exactè parati, vel, quod melius foret,

Axungiæ Porcinæ recent. casti itidem semel atque iterum, cum floribus recentibus Sambuci, vel etiam cum Rosis recentibus, infusæ, maceratæ, & per expressionem denuò separatæ, libras duas,

Cerussæ Venet. pulverisatæ libram unam semis.

Mixta coquantur lenissimo igne, continuò infundendo aliquid *Aceti Sambucini*,

bucini, pro exactiori dissolutione Cerussæ, (quousque propemodùm *libra una semis Aceti* dicti affusa sit) donec *Emplastri* mollis, & non nimis spissam, consistentiam nacta fuerint, spatulâ, vel rudiculâ, sine intermissione agitando: cui, ab igne remoto, addantur statim, ut in eo liquefiant,

Ceræ albæ unciæ quatuor,
& subsequentes Pulveres:
Pulv. Mastichis elect.
Thuris albiss.
Lapidis Calaminaris, cum sperm. Ranarum, in aquam resoluto, præparati & levigati, ana uncia una semis,
Pompholygis uncia una,
&, si lubet,
Camphoræ uncia semis, vel drach. sex;
cum particula
Ol. Rosarum coct. ad pultis formam solutæ.

Fiat *Emplastrum laudabile, ad omnes inflammationes, & ulcera sordida, antiqua & cancrosa, &c. præstans.*

EMPLASTRUM DE BACCIS LAURI STOMACHALE.

℞. Terebinthinæ claræ & liquidæ uncias tres;
in quibus liquefac.
Pulv. Mastichis uncias duas,
Thuris albi unciam unam semis,
Tacamahacæ unciam semis:
quibus benè mixtis, & leniss. calore liquatis, adde paulatim, & alternatim, de sequentibus Pulveribus, & Melle; nempè,

Mellis Menthæ n. m. parati, uncias tres,
Pulv. Baccarum Lauri,
Nuc. Moschatar. ana unciam semis,
Cariophyllorum unc. unam,
Calami Aromatici;
Zedoariæ, ana drachmas sex,
Macis unciam semis.

Fiat *Emplastrum Stomachicum* efficax;

Ventriculi, & intestinorum, dolorem à flatibus, aut frigida intemperie, ortum sanat, & concoctionem promovet, externè ventriculo appositum.

EMPLASTRUM BASILICUM ET VULNERARIUM.

℞. Terebinthinæ claræ & odoratæ uncias duas;
in qua liquefac.
Pulv. Mastichis elect.
Sagapeni, ana unciam unam,
Colophoniæ translucidæ unc. quatuor;
his liquatis paulatim adde.
Pulv. Myrrhæ transpar.
Olibani albiss.
Succini albi præpar. ana unciam unam,
Croci optimi unciam semis.

Fiat *Emplastrum*, aliquandiu in calore, leniter saltem liquatum, & agitandum, ut ingredientia se invicem exactè amplectentur.

Hoc *præstans est in omnibus Vulneribus recentibus & antiquis, Nervorum, Ossium, Capitis, &c. Membris*

bris etiam & Nervis conquaſſatis opitulatur.

EMPLASTRUM CEPHALICUM REGIUM.

℞. Reſinæ Styracis ; per expreſſionem factæ, uncias duas,
Ladani, per extract. paratæ, unciam unam,
Ol. Nuc. Moſchat. expreſſi uncias tres.

In his liquatis leniſſimo calore ſolvantur ſequentia : utpotè,

Pulv. Gum. Tacamahacæ,
Animæ, ana drach. decem,
Olibani in granis uncia una;

quibus porrò inſtillentur

Ol. ſtill. Ligni Rhodii drachmæ duæ,
Majoranæ,
Lavendulæ, ana drachma una,
Coriandri drachma ſemis.

His probè unitis, & interim aſſervatis, immiſceantur, ſucceſſu temporis, ſequentes Herbæ, & Flores recentes, ſubtiliſſimè incif. ac contuſ. ad pultis formam; nec non Pulveres, qui infrà ſequuntur:

Herb. recent. Betonicæ, cum floribus,
Majoranæ,
Rorismarini, cum flor.
Gemmar. Populi arbor. recentium, ana uncia una,
Flor. recent. Keiri,
Tunicæ,
Arantiorum, ana uncia ſemis,
Pulv. Succini albi, præpar. drachm. ſex,
Ligni Aloës gummoſi unc. ſemis,
Croci opt. Oriert. drachmæ duæ,
Nucleorum Perſicorum excorticat.
Ceraſorum excorticat. ana uncia ſemis,

contuſorum omnium ad pultis formam, cum Aquæ Roſarum fragr. Ʒ. q. & per ſetaceum transmiſſorum.

Miſceantur exactè, in diplomate, calore leni; fiatq; *Emplaſtrum* juſtæ conſiſtentiæ.

Præſtat ad Capitis fluxiones ſiſtendas, & exſiccandos humores varios Cerebri; Cephalæam, Cephalalgiam, aliasq; capitis affectiones præter naturam juvat. Eſtque Emplaſtrum verè Regium.

EMPLASTRUM DE LAPIDE CALAMINARI, AD ULCERA FLUIDA ANTIQUA.

℞. Terebinthinæ bonæ odoratæ uncias tres;

in qua liquefac

Maſtichis elect. unciam unam,
Colophoniæ,
Ceræ flavæ, ana uncias duas;

ſuperaddendo

Pulv. Lapid. Calaminaris, præparati cum ſucco Plantag. & Millefolii, ac denuò exſiccati, uncias duas, vel tres,
Tutiæ præparatæ unciam unam ſemis,

Olibani ſubtiliſſ. triti unciam unam,
Lithargyrii ſubtiliſſ. pulveriſati unciam unam ſemis,
priùs tamen cum
Aceti Sambucini aliquot unciis cocti, & iterum exſiccati.

Fiat *Emplaſtrum* juſtæ conſiſtentiæ; *ulceribus manantibus & fluidis exſiccandis proficuum.*

EMPLASTRUM CATAGMATICUM, ſeu AD FRACTURAS OSSIUM.

℞. Terebinthinæ claræ odoratæ,
Ceræ flavæ odoratæ novæ, ana libram unam ſemis,
Reſinæ albæ Pini libras duas.

His liquatis, ac per linum & qualum colatis, immiſceantur ſequentia, ſubtiliſſimè priùs inciſa, & contuſa: utpotè,

Rad. Conſolid. majoris rec. unciæ tres,
Saniculæ rubr.
Barbæ hirci,
Tormentillæ,
Herb. Conſolidæ Saracenicæ,
Alchimillæ,
Pyrolæ,
Millefolii,
Hyperici ſummit. floreſc.
Flor. Quercûs, ana recent. unciæ duæ,
Oculor. Populi arbor. recentium unciæ tres,
Summitat. Laricis, vel Abietis arboris, recent. unciæ duæ:

quibus probè unitis ſuperaddantur Pulveres ſequentes:

Pulv. Olibani,
Maſtichis,
Myrrhæ,
Sanguinis Draconis,
Succini præpar. ana uncia una ſemis,
Lapidis Oſteocollæ,
Calaminaris, ana cum ſucco Millefolii parat. unc. duæ,
Roſarum rubear.
Balauſt. ana uncia una.

Miſceantur exactè in diplomate; fiatq; *Emplaſtrum* debitæ conſiſtentiæ.

Vires habet hoc *Emplaſtrum* inſignes, *in ſanandis Oſſium fracturis; fovet nativum partis calorem, ſiſtit fluxiones humorum, & egregiè nervos roborat, & Vulnera ac Oſſa in coalitione juvat; in Herniis quoque ſanandis non minùs efficax.*

EMPLASTRUM CITRINUM VULGARE.

℞. Terebinthinæ claræ libram ſemis,
Reſinæ albæ Laricis,
Sevi Cervini, ana libram unam,
Ceræ Citrinæ novæ odoratæ libram unam ſemis.

Liquentur calore leni, & per linum atque qualum colentur, ſuperaddendo
Pulv. Rad. Curcumæ uncias duas.

Fiat *Emplaſtrum*, cujus uſus notiſſimus eſt.

EMPLASTRUM DEFENSIVUM.

℞. Lithargyr. ſubtiliſſ. pulv.
Ceruſſæ pulv. ana uncias XVI.
Ol. Saza-

℞. Sambucini ex flor.
de Spermate Ranarum, ana libram unam,
Unguenti Popul. uncias quatuor, vel sex,
Aceti Sambucini,
Rosacei, ana uncias octo,
Succi Plantaginis depur. uncias decem.

Coquantur in sartagine amplâ, igne leniſſimo, ad *Emplaſtri* conſiſtentiam molliorem, ſpatulâ, ſive rudiculâ, continuò agitando: cui, ab igne remoto, adde

Ceræ flavæ & novæ odor. unc. iv.
Pulv. Olibani uncias duas,
Maſtichis,
Roſar. rub.
Lap. Calamin. cum ſucco Plantag. parati & exſicc.
Rad. Ireos Flor. ana unciam unam ſemis,
Liquiritiæ,
Myrrhæ, ana unciam unam,
Croci opt. unciam ſemis.

Fiat, omnibus probè mixtis, in calore, *Emplaſtrum* Nobile *Defenſivum*; quod omnia Symptomata irruentia, ac vulnera concomitantia, *inflammationes, & defluxiones ad partes affectas, præcavet, partesque roborat.*

EMPLASTRUM DIACHYLON SIMPLEX.

℞. Mucilag. Sem. Fœni-græci,
Lini,
Rad. Altheæ, ana cum lixivio fo. ti, ſed claro, extract. libram unam,
Litharg. ſubtiliſſ. triti libras tres,
Axungiæ Porcinæ recentis libras quatuor.

Coquantur leniſſimo igne, in ſartagine amplâ, ſpatulâ continuo agitando, ad *Emplaſtri* conſiſtentiam & craſſitiem: agitetur ultimò diu, donec refrigeſcat, & dealbetur. Videantur etiam *Animadverſiones ſuper ipſum factæ*, pro majori dilucidatione, ubi ejusdem quoque Virtutes à D. D. *Auguſtan.* uberrimè deſcriptæ ſunt.

EMPLASTRUM DIACHYLON CUM GUMMI.

COnficiatur modò *in Animadverſion. n. præcedentis Pharmacopœiæ* edocto, vel etiam

℞. Diachyli ſimpl. ſuperioris libram unam;

cui immiſceantur pedetentim, ſub continuâ agitatione, in leni pariter calore, ſequentia:

Gummi Ammoniaci,
Opopanacis,
Galbani,
Sagapeni, ana uncia ſemis,

ſoluta priùs in ſufficienti quantitate Aceti, vel Vini, ad pultis formam:

item,

Pulv. Olibani,
Maſtichis, ana drachma ſex.

Fiat *Emplaſtrum* ſ. a. quod *emollit, concoquit, maturat, digerit atq; reſolvit.*

EMPLASTRUM DIAPHORETICUM.

℞. Gummi Ammoniaci uncias duas,
Elemi unciam unam ſemis,
Sagapeni unciam unam.

Solvantur in ſ. q. Aceti, ad pultis formam: cui adde pededentim, & quaſi guttatim,

Ceræ flavæ odoratæ libram unam,
Terebinthinæ claræ uncias tres,
Colophoniæ, ſeu Picis Græcæ, uncias quatuor:

liquata invicem leni igne, in ſartagine, ſeparatim, & non nimis calidè, *ſuperioribus Gummatibus* ſenſim, & alternatim, uti dictum, ſub continuâ agitatione, infuſa; hinc alternatim etiam inſpergantur ſucceſſivè hi Pulveres: utpote,

Pulv. Gummi Bdellii unciæ quatuor,
Succini citrini unciæ tres,
Olibani,
Maſtichis, ana uncia una,
Sandaracæ drachmæ ſex;

pòſt agitentur, donec omnia commixta, atque dextrè unita ſint, per horam integram, in diplomate, vaſe ſcilicet duplici, calore leni: fiatque *Emplaſtrum, tumoribus œdematoſis, fracturis oſſium, luxationibus, & contuſionibus, maximè conducens.* Eſt ex *Mynſichtio* depromptum, correctum, & in artis formam, ſeu ordinem, redactum.

EMPLASTRUM DE FULIGINE.

℞. Terebinthinæ claræ uncias tres,
Saponis Veneti ſubtiliſſ. raſpat. uncias quinque:

Liquefiant ſuper igne lento, in ſartagine; quibus ſtatim adde ſequentia:

Fermenti acris Panis uncias duas,
Pulv. Croci opt.
Axungiæ Serpentum, ana unciam unam,
vel, hujus locò,
Axungiæ Porcinæ unciam unam ſemis:

Piſtentur & agitentur benè, donec omnia exactè conjuncta atque unita ſint: tùm ſuperadde

Fuliginis Camini ſplendidi pulveriſati ſubt. uncias duas,
Antidoti Theriacalis n. uncias duas ſemis:

piſtentur iterùm probè, donec omnia dextrè unita fuerint; tandem, remiſsò calore intenſo, cùm quaſi refrixerunt, admiſce

Vitell. ovorum num. iiij.
Salis Theriacalis noſt. *tertiæ deſcript. pag. Animadv. 379.* edocti, unciam unam.

Fiat *Emplaſtrum*; cui, ſi competentem non haberet conſiſtentiam, *Ceræ Citrinæ uncia una*, vel *altera*, addi poſſet.

Magnarum virium eſt, ſi legitimè ſit confectum, *in Peſte, ad extrahendum venenum, maturandos bubones, atque anthraces, & mitigandos exinde ortos dolores.*

Nota. Bufonum, aut etiam Serpentum, Pulvis non ineptè fortè huic Emplaſtro, pro majori peſtiferi veneni extractione, adderetur.

EMPLASTRUM HEPATICUM.

℞. Terebinthinæ claræ & odoratæ uncias ſex;
in qua liquefiant
Pulv.

Pulv. Gumm. Ammoniaci,
Myrrhæ ſubtiliſſimè pulv. ana uncia una ſemis,
Elemi,
Sagapeni, ana unc. una;
his liquatis adde
Ceræ flavæ novæ & odoratæ uncias quatuor;

&, dum adhuc liquata in diplomate hærent, ſuperinjiciantur ſequentes Radices, & Herbæ, ſubtiliſſimô modô inciſæ atque contuſæ ad pultis formam: utpote,

Rad. recent. Apii,
Enulæ,
Pimpinellæ,
Cichori ſylv. ana uncia una,
Herb. recent. Agrimoniæ,
Abſinthii,
Naſturtii hort. ana uncia una ſemis,
Flor. Roſar. rubr. recent. unciæ duæ,
ſolutæ in
Olei Seminis Naſturtii expreſſi uncia una:

item ſuperinſpergantur
Pulv. Santali rubri,
Baccarum Lauri,
Olibani, ana uncia una,
Succi Abſinthii,
Chamædrios, ana inſpiſſat. ad formam Extracti, drachm. ſex.

Fiat *Emplaſtrum* debitæ conſiſtentiæ.

Efficax eſt, in Hepate & Liene obſtructo; cujus duritiem emollit, reſolvit, & egregiè roborat.

EMPLASTRUM ALIUD HEPATICUM.

℞. Pulv. Roſar. rubr. unciam ſemis,
Santali rubri drachm. duas ſemis,
Baccar. Lauri drachm. duas,
Raſuræ Eboris,
Olibani,
Sem. Naſturtii, ana drachm. unam ſemis.

Coquantur in ſ. q. Decocti fortis Radic. Pimpinell. & herb. Abſinth. ad *Cataplaſmatis* ſolidiorem conſiſtentiam, ne cuti adhæreat; quod interim aſſervetur. Jam verò accipe

Terebinth. claræ unciam unam ſemis,
in qua liquefac.
Pulv. Gumm. Elemi,
Sagapeni, ana drach. tres,
Myrrh. rubr. drach. duas ſemis;
his liquatis ſuperadde
Ceræ odoratæ nov. flav. unciam unam ſemis,
Gummi Ammoniaci pulv. & ad pultis ſpiſſioris formam, in ſ. q. Vini albi ſoluti, unciam ſemis,
Succi inſpiſſati Abſinthii craſſi drachm. unam ſemis:

Item ſequentia, minutiſſimè inciſa, &, ad pultis formam, in mortario, contuſa adjiciantur; utpotè,

Rad.

Rad. recent. Cichor. ſylv.
Pimpinellæ, ana drachmæ duæ ſemis,
Apii,
Enulæ ana drachm. duæ,
Herb. recent. Abſinthii,
Cichorii ſylv. ana drach. duæ ſemis.

Ultimò tandem immiſceatur ſuperiùs aſſervatum *Cataplaſma*, &
Camphoræ drachm. una,
Ol. Ligni Rhodii drachma una ſemis;

Fiatque *Emplaſtrum Hepaticum*; cujus unciæ duæ ſemis circiter extendantur ſuper alutam, & obducatur ſyndone rubro.

EMPL. Ad HYDROPEM: ISCHIADICUM: MAGNETIC. ANTIP. ANGELISALE: de MELILOTO: MINIO.

HÆc omnia ac ſingula commodiſſimè parari poſſunt, juxta *Animadverſiones n. ad quodlibet Emplaſtrorum horum, ſeorſim, in prægreſſa Pharmacopœia Auguſtana*, adjectas; in quibus genuinæ & dextræ eorum præparationes deſcriptæ ſunt, ſecundùm quas commodè poſſunt inſtitui. Hoc tamen, quoad *Emplaſtrum Iſchiadicum*, monendum, *ut pondus Euphorbii, Semin. Eruca & Cæparum*, nonnihil augeatur, nec aliud, quàm *Oleum Saponis*, loco *Olei Lini*, recipiatur. Eorum virtutes inſuper ibidem loci patebunt.

EMPLASTRUM NERVINUM.

℞ Terebinthinæ claræ odoratæ libram unam;
in qua liquefacito
Gummi Carannæ puriſſimi uncias duas,
Pulv. Gummi Elemi,
Animæ,
Sagapeni, ana unc. tres,
Tacamahacæ uncias quatuor,
Maſtichis elect. uncias quinque,

His leniter liquatis, &, ſi opus per linum & qualum colatis, adde ſequentia commixta, & liquefacta ſimul, in aliâ jam tùm patellâ: utpotè,

Ceræ flavæ odoratæ uncias xx.
Axungiæ Canis recent. uncias ſex,
Humanæ uncias quatuor;

&, dum adhuc liquefacta in diplomate hærent, ſuperinjiciantur ſequentia ſubtiliſſimè inciſa, & contuſa, ad pultis minutiſſ. formam: nimirum,

Gemmar. ſeu Oculor. Populi recentium unciæ decem,
Summitat. Abietis, vel Laricis (vulgò Fehrene Gipffel) repurgat. ab externâ lanugine, unciæ quatuor,
Baccar. Juniperi virid. & recent. unciæ duæ,
Herb. recent. Calaminthæ montanæ,
Chamæpithyos,
Majoranæ, ana unciæ duæ ſemis,
Rorismarini,
Salviæ

Salviæ hortenſ. ana unciæ quatuor,
Pulv. Croci opt, unciæ tres,
diluti ad formam pultis, cum
Vini albi ſuffic. quantitate,
in quô
Lumbricorum terreſtrium unciæ quatuor
priùs ebullierint:
Pulv. Baccar. Lauri,
Olibani,
Myrrhæ, ana unciæ quinque;
& in fine, quando quaſi refrixerunt, immiſceantur
Balſami Indici de Peru unciæ duæ,
Olei ſtill. Salviæ drachmæ duæ,
Majoranæ drachma una.

Miſceantur exactè, diu in calore leni agitando, ut probè uniantur. Fiat ſ. a. *Emplaſtrum*, quod *præſtantiſſimum & utiliſſimum eſt, non ſolum ad roborandos Nervos, Membra contracta, contuſa, & conquaſſata*, ſed & *ad Ventriculum & Uterum confortandum*, quod ipſum ſexcenties expertus ſum: egregiam etiam præſtat operam, dum ſimul *compeſcit paſſiones Hiſtericas, roborat, & retinet Fœtum in gravidis, atque ad conceptionem Uterum diſponit: in duritie* inſuper *Hypochondriorum, debilitate Hepatis, & Lienis, non minùs ſalutare* exiſtit.

EMPLASTRUM ALIUD NERVINUM ANTIPODAGRICUM.

℞. Terebinthinæ claræ uncias ſex;
in qua liquefacito
Gummi Carannæ puriſſ. unciam unam,
Pulv. Gummi Ammoniaci,
Elemi,
Tacamahacæ,
Animæ, ana unciam unam ſemis;
quibus exactè unitis adde ſequentia, inter ſe invicem leni calore liquata:
Ceræ flavæ novæ & odoratæ uncias ſex,
Saponis Veneti uncias quatuor,
Colophoniæ claræ uncias tres:
Ultimò denique ſequentes Pulveres, & Olea, inſpergantur: utpotè,
Pulv. Olibani albi,
Maſtichis,
Sandarachæ,
Succini, ana uncia una ſemis,
Usneæ fruticis Acaciæ uncia una,
Croci opt. drachmæ ſex,
diluti ad pultis formam cum
Succo Chelidoniæ,
Camphoræ uncia ſemis, ſolutæ in
Olei Saponis Veneti, cum ſilicibus ſtill. drachmis ſex, vel unciâ unâ,
Salis Tartari uncia una ſemis.

Miſceantur exactè omnia, & erit *Emplaſtrum excellens Nervinum atque Arthriticum: roborat artûs, extrahit & allicit humores acres, diſſipat acidum fermentum;* adeoque *in Podagricis affectibus efficax.*

EMPLASTRUM OPPODELDOCH.

HUjus *Emplaſtri* præparatio debita ac legitima, cum aliis, ad confe-

ctionem, seu præparationem quorundam ingredientium necessariis, notatuque dignis, *in Animadversionibus n super istud Emplastrum* factis, luculenter expositа sunt; quas L. B. haud gravatim revolvat.

EMPLASTRUM OXYCROCEUM.

℞. Terebinthinæ claræ odoratæ uncias octo;
in qua liquefac.
Pulv. Gummi Ammoniaci,
Mastichis el.
Galbani puriss. ana uncias tres:

quibus invicem benè & leniter liquatis, &, si necessitas postulet, per linum & qualum colatis, adde sequentia, separatim priùs in sartagine, alia inter se invicem etiam, liquata leniter: utpotè,

Ceræ flavæ odoratæ,
Colophoniæ,
Picis Græcæ, ana uncias novem,
vel decem.

Ultimò verò, inspergе sequentes Pulveres:

Pulv. Thuris electi,
Myrrhæ, ana uncias duas semis,
Croci, in vino parùm diluti, ad pultis formam, unciam unam semis.

Fiat, omnibus exactè mixtis, debitæ consistentiæ *Emplastrum*, aliquando in calore diplomatis (hoc est, in duplici vase, prout superiùs, *in Animadvers. super hoc Emplastrum* factis, explicui) agitandum, ut species eò melius inter se coeant, & intimè uniantur, nec etiam spirituosiores ejus partes evanescant: & ita evadet ad affectûs à D. D. *Augustanis* consignatos, efficax. Trahantur cœterum huc, quæ, *de ratione Gummatum, eorumq; legitimâ dissolutione, in iisdem Animadversionibus*, superiùs annotata sunt.

EMPLASTRUM DIAPALMA.

℞. Axungiæ Porcinæ recentis libras tres;
huic impastentur
Ramorum palmæ minutim incisorum recent. libra una,
(*vel, si hi desint*,
Foliorum Quercûs recent. unc. decem,
Hederæ arbor. recent. unciæ quatuor)

factâ maceratione, per aliquot dies, coquantur parùm, additâ *Aceti Sambucini librâ dimidiâ, circiter*: fiat pòst colatura, cum forti expressione Ramorum, aut foliorum. Expressæ verò Axungiæ adde

Lithargyrii subtiliss. triti libras duas semis,
Vitrioli albi purificati uncias quatuor, vel quinque,
soluti priùs in
Aceti Sambucini,
Rosacei, ana libra semis.

coquantur leniss. igne, in sartagine sufficienter amplâ, spatulâ ligneâ, *ex ramo Palmæ*, vel *Quercûs*, recenter confecta, continuò agitando, ad *Empla-*

Emplaſtri conſiſtentiam, addendoque ultimò, ſi libet, cùm parùm refrixerit,

Camphoræ in
Olei Sambuci particulâ ſolutæ ad pulticulam, drachmas ſex:
item
Olibani ſubtiliſſ. triti unciam unam ſemis.

Fiat *Emplaſtrum, efficax in doloribus Articulorum. Extrahit enim & reſolvit, atque calorem contemperat.*

EMPLASTRUM ANTIPODAGRICUM.

℞. Terebinthinæ claræ bonæ uncias ſex;
in qua liquefacito
Gummi Carannæ puriſſ. unciam unam,
Pulv. Gummi Animæ,
Elemi,
Ladani,
Tacamahacæ, ana
ciam unam ſemis:

His exactè, leniſſimo in calore, unitis & ſolutis, immiſceantur ſequentia, paulatim, per vices, ſeparatim, in alio vaſe, jam tùm leniter inſimùl liquata: utpote,

Ceræ novæ odoratæ unciæ octo,
Saponis Veneti unciæ quinque,
Olei Saponis Venet. cum ſilicibus ſtill. & ſuprà edocti, uncia tres,
Maſtichis elect. unciæ duæ.

His omnibus legitimè mixtis, & in diplomate liquatis, ſtatim ſuperinjiciantur ſequentia, minutiſſimè & ſubtiliſſimè inciſa, atque contuſa, ad formam pultis: nempè,

Usneæ fruticis Acaciæ ſelectæ & puræ recentis,
Fol. Hederæ arb. recent.
Rad. Chelidon. recent. ana unciæ duæ,
Oculor. Populi arbor. recent. unciæ tres,
Flor. recent. Roſarum rub.
Sambuci,
Verbaſci, ana unciæ tres ſemis,
Pulv. Croci opt. Orient. uncia una ſemis,
diluti ad pultis formam
cum
Lixivii ex Cineribus Vitis facti ſ. q.
Pulv. Olibani albi,
Sandaracæ,
Succini albi, ana unciæ duæ,
Salis Tartari albi unciæ tres, vel quatuor,
Camphoræ uncia una, in
Olei Sambuci, vel
Ovorum particulâ ſolutæ.

Miſceantur exactiſſimè in dicto diplomate, & fiat *Emplaſtrum Anodinum nobile; quod, partibus dolentibus Arthriticis applicatum materiam peccantem partim extrahit, ejusque acorem deſtruit, dolores lenit, partes inſuper, & articulos, inſigniter roborat, & à Podagra præſervat.*

EMPLASTRUM ANTIPODAGRICUM ALIUD ANODINUM.

℞. Olei Hyoſcyami ex ſem. expreſſi,
Papav. ex ſeminibus expreſſi,

Lini recenter etiam expreſſi, ana uncias quatuor,
Minii ſubtiliter triti uncias xv.
Aceti flor. Sambuci, n. m. parati, libram unam,

coquantur igne leni, ſpatulâ, vel rudiculâ, continuò agitando, ad conſiſtentiam *Emplaſtri*: poſteà adde

Ceræ Citrinæ odoratæ,
Terebinthinæ odoratæ, ana uncias duas,
Saponis Veneti uncias duas ſemis:

Item:

Pulv. Olibani unciam unam ſemis,
Maſtichis,
Tacamahacæ, ana drach. ſex,
Roſar. rubrarum,
Sem. Hyoſcyami, ana unciam unam.

Miſceantur accuratè, fiatque *Emplaſtrum Anodinum*; quod multum *præſtat in doloribus Arthriticis, atque Podagricis*, tenuiter ſuper linteum extenſum, & partibus dolentibus applicatum.

EMPLASTRUM DE PLUMBO.

℞. Ceræ Citrinæ novæ uncias ſex,
Terebinthinæ claræ uncias tres,
Balſami n. Vulnerarii Sulphurei, ſuperiùs, *in Claſſe de Oleis*, edocti, uncias duas:

His mixtis, & leni calore liquatis, adde

Pulv. Plumbi uſti, ſeu calcinati more figulorum, uncias tres,
Ceruſſæ cribratæ uncias duas,
priùs cum Aceti Sambuci unciis quatuor ad ſiccitatem iterum coctæ,
Lapidis Calaminaris, cum ſucco Plantaginis præparati, unciam unam ſemis,
Tutiæ, præparatæ cum ſucco Plantaginis, unciam unam,
Pulv. Pompholygis,
Myrrhæ rubræ,
Olibani,
Maſtichis,
Aloës hepat. ana drachmas ſex,
Nitri puri unciam ſemis,
Camphoræ drachmas duas, ſolutæ in
Balſami Sulphuris ſ. q. ad formam pultis.

Fiat Emplaſtrum exſiccans; ad Ulcera antiqua, fœtida, corrodentia, fluida, Fiſtulas, Lupum, Cancrum & Noli me tangere, maximè proficuum. Ex Mynſichtio deſcriptum, & correctum, atque efficacius redditum.

EMPLASTRUM DE RANIS, CUM MERCURIO.

EJus vera, tàm legitima, quàm artificioſa, præparatio, ſuperiùs, *in Animadverſionibus ſuper illud* factis, tradita eſt; quam L. B. tanquam notatu dignam, ob varia, quæ in ipſa occurrunt, revolvat.

EMPLASTRUM DE SPERMATE RANARUM.

UT *Emplaſtrum* dextrè paretur, conficiatur priùs *Oleum per infuſionem repetitam, maceracionem, & coctionem* (non tamen ad totalem humiditatis exhalationem,) *è ſpermate Rana-*

Ranarum aquatilium, additis *Cancris fluviatilibus*, si lubet. Hinc

℞. Hujus Olei, cum adjuncta adhuc ejus subsidente humiditate, libras quatuor,

Ceruſſæ cribratæ libras tres,

coquantur leni igne, rudiculâ continuò agitando: in ipsâ autem coctura ſucceſſivè admiſce

Vitrioli albi, &

Aluminis crudi, ana uncias tres, ſolutorum in

Spermatis Ranarum reſoluti, & per linteum laccum ſponte transmiſſi, ſ. q.

&, poſtquam per lenem coctura, ad debitam *Emplaſtri* conſiſtentiam redacta fuerint, adde

Ceræ albæ uncias ſex,

remotisque ab igne

Pulv. Maſtichis el. albiſſ.

Thuris opt. albi, ana unciam unam ſemis:

tandem, quando propemodum refrixerit *Emplaſtrum*, immiſce

Camphoræ unciam unam ſemis, priùs ſolutæ ad pultis formam in

Ol. Roſarum ſuffic. quantit.

Et fiat *Emplaſtrum* debitæ conſiſtentiæ; *Vulneribus omnibus, & Inflammationibus coercendis, ſalutare.*

Nota, quòd fortè felicius ſucceſſura ſit hujus Emplaſtri coctura & confectio, efficaciusque illud evaſurum, ſi Axungia Suilla recens eôdem modô, quô Oleum Olivarum, cum Spermate Ranarum, tribus vicibus, infuſa, cocta, ac ad ipſum hoc Emplaſtrum, loco Olei de Spermate Ranarum, denique adaptaretur.

EMPLASTRUM AD RUPTURAS, SEU HERNIAS.

℞. Pulv. Rad. Cyperi rotundi,
Tormentillæ,
Biſtortæ,
Saniculæ, ana unciam ſemis,
Symphyti maj. unciam unam ſemis,
Herb. recent. Perſoliatæ,
Pyrolæ,
Hyperici floreſc.
Conſolidæ Sarracen.
Fol. recent. Quercûs, ana ſubtiliſſimè conſciſſ. & contuſorum ad pultis formam, unciam unam ſemis,
Pulv. flor. Roſarum rubr.
Balauſtiorum,
Sem. Perſoliatæ,
Nuc. Cupreſſi,
Calicum gland. Quercûs,
Olibani,
Sarcocollæ,
Sanguinis Draconis,
Aluminis uſti, ana unciam ſemis,
Lapid. Hematit. drachm. ſex.

Coquantur cum ſ. q. *Decocti fortiſſimi Glandium arboris Laricis, ſive Abietis*, (vulgò weiſſe Tannzapffen/ oder Cronfüßren) cum *Vino rubro* facti, ad Catapiaſmatis ſat ſolidam conſiſtentiam, ne manibus adhæreat; cui, ab igne remotô, adde ſequentia invicem jam tùm liquefacta: utpotè,

Ceræ novæ odoratæ uncias xv.
Terebinthinæ claræ uncias quatuor,
Gummi Maſtichis uncias tres,
Elemi,
Tacamahacæ, ana uncias duas,
Balſami n. Martialis Vulnerarii, cum Ol. Terebinth. rubro parati, & ſuperiùs, *in Claſſe de Oleis coctis*, edocti, unc. unam ſemis.

Fiat *Emplaſtrum* mollioris nonnihil conſiſtentiæ, ad inſtar Cataplasmatis durioris, veſicæ incluſum aſſervandum.

Præſtans Emplaſtrum, ad Hernias ſanandas, ſive Enterocele, ſive Bubonocele ſit, ſingulis diebus recenter applicandum; repoſitis priùs inteſtinis, & cingulo apto, ligaturâ factâ, ne inteſtina prolabi poſſint.

EMPLASTRM SPLENETICUM.

℞. Terebinthinæ liquidæ uncias ſex: in qua liquefacito
Pulv. Gummi Ammoniaci,
Elemi,
Sagapeni, ana unciam unam ſemis,
Maſtichis unciam unam,
his, leniter in diplomate liquatis, adde
Ceræ flavæ odorat. uncias octo,
Ol. Sem. Naſturtii expreſſi unciam unam ſemis,
Succini ſtill. unciam ſemis:

& cùm liquata adhuc in diplomate calent, iuſuper ſequentia, ſubtiliſſimè inciſa & contuſa ad pultis formam, adjice: utpotè,

Herb. recent. Naſturtii,
Perſicariæ,
Rorismarini,
Verbenæ, ana uncias tres;
item
Succi Verbenæ,
Succi, vel decocti Scolopendrii, ana inſpiſſator. ad formam extracti, unciam ſemis,
Extracti Tabaci infumati drachmas quinque;

tandem ſuperinſpergantur ſubſequentia:

Pulv. Olibani,
Myrrhæ, ana uncia ſemis,
Tabaci infumati, ſeu Nicotian.
Sem. Naſturtii, ana drachm. ſex,
Camphoræ uncia una
ſolutæ cum
Ol. Succini ſtill. drachmis duabus,
Majoran. ſtill. drachma unâ,
Coriandri drachmâ ſemis,
in mortario ſubigendo,

fiat, omnibus exactè mixtis, *Emplaſtrum Spleneticum* excellens.

Valet ad obſtructiones & duritiem Lienis ſimul atque Hepatis. Igitur in Febre Quartanâ, Cachexiâ, & Melancholiâ Hypochondriacâ, cum emolumento adhibetur.

EMPLASTRUM STOMACHICUM.

℞. Gum. Tacamahacæ unciam unam,
Animæ,

Ben-

Benzoës, ana unciam ſemis,
Maſtichis uncias duas,
Terebinthinæ claræ uncias tres,
Reſinæ Styracis expreſſ. unciam unam.

His invicem, vel ſimul diſſolutis, leniſſimo calore, &, ſi opus eſt, per linum & qualum colatis, ſuperadde

Olei Nucum Moſchat. expreſſi,
Pulv. Olibani,
Myrrhæ,
Nuc. Moſchat.
Baccar. Lauri, ana unciam unam,
Caryophyll. drachmas ſex;

quibus ultimò, quaſi refrigerato *Emplaſtro*, adde

Balſami Indici Peruviani unciam ſemis, vel drachm. ſex.

Fiat *Emplaſtrum* nobile, ad *Stomachum confortandum maximè faciens*: quemadmodum ex ipsâ inſpectione rerum ingredientium manifeſtum eſt.

EMPLASTRUM ALIUD STOMACHICUM.

℞. Gum. Tacamahacæ,
Ladani opt. ana unciam unam ſemis,
Styracis Calam. uncias duas,
Maſtichis uncias tres.

Hæc juncta liquefiant leniter in

Terebinthinæ bonæ, vel Cypriacæ, unciis octo;

quibus mixtis & liquatis in diplomate, colatisque per linum & qualum, ſicuti neceſſitas poſtulaverit, ſuperadde, dum adhuc calent, ſequentia, ſubtiliſſimè inciſa & contuſa ad pultis formam: videlicet

Herb. recent. Abſinthii,
Menthæ,
Majoranæ,
Rorismarini, ana uncias tres:

item:

Ceræ flavæ odoratæ uncias quatuor,
Ol. Nucum Moſchat. expreſſi unciam unam,
Maſtichis n. uncias duas.

liquata invicem;

nec non

Pulv. Baccar. Lauri unciam unam ſemis,
Olibani unciam unam,
Myrrhæ drachmas ſex,
Calami Aromatici,
Caryophyllorum, ana unciam ſemis,
Croci opt. drachmas duas:

atque ultimò, cùm parùm refrixerint, porrò, ſub continuâ agitatione, inſpergantur

Balſami Indici de Peru drachmæ ſex, vel uncia una.

Miſceantur exactè, fiatque *Emplaſtrum Stomachale*, efficaciſſimum.

EMPLASTRUM STOMACHICUM REGIUM.

℞. Reſinæ Styracis Calamitæ,
Ol. Nuc. Moſchat. expreſſi, ana unciam unam ſemis.

In his liquatis, & mixtis, ſolvantur

Maſtichis electæ & pulver. uncia una ſemis,

Ol. ſtill.

Ol. ſtill. Caryophyll. drachma una,
Menthæ,
Majoranæ,
Cinamomi,
Abſinthii, ana drachma ſemis,

His mixtis impaſtentur ſequentia, leni calore agitando;

Herb. recent. Majoranæ,
Rorismarini,
Thymi, ana ſubtiliſſimè inſciſar. & ad pultis formam contuſar. uncia una,

Pulv. Benzoës opt.
Olibani,
Baccar. Lauri, ana uncia ſemis, vel drachmæ ſex, ac, cùm nonnihil refrixerint, ſuperadde

Balſami Indici de Peru unciam ſemis, vel drachmas ſex.

Fiat *Emplaſtrum*, ad *Stomachum roborandum validiſſimum*, verè *Regium*.

EMPLASTRUM DE SYMPHYTO AD HERNIAS.

℞. Ceræ flavæ & odoratæ,
Reſinæ Pini, ana uncias quatuor,
Balſami n. Vulnerarii Martialis, *ſuprà* edocti, uncias tres.

His, leni calore mixtis, adde ſequentia ſubtiliſſimè & minutiſſimè inciſa, & contuſa ad formam pultis: utpotè,

Rad. Symphyti maj. recent. unc. quatuor, vel quinque,
Herb. Perfoliatæ,
Pyrolæ,
Flor. Hyperici, ana recent. unciam unam ſemis.

Ultimò ſequentes Pulveres inſpergantur;

Pulv. Sangu. Draconis,
Lapid. Hæmatit.
Olibani, ana uncia ſemis,

Fiat *Emplaſtrum*, ad *Hernias ſanandas efficax*.

EMPLASTRUM TRIAPHARMACUM.

℞. Minii ſubtiliſſ. triti,
Aceti Roſacei, ana libram unam ſemis,
Olei Roſarum cocti, vel, uti *ſuprà*, per Infuſiones parati, libras duas.

Coquantur in ſartagine amplâ, ſpatulâ continuò agitando, ad debitam *Emplaſtri* conſiſtentiam; cui, ab igne remoto, & nonnihil refrigerato, adde, ſub continuâ agitatione,

Camphoræ unciam unam ſemis, ſolutæ priùs ad pultis formam, ſubigendo ſaltem, & contundendo in mortario, cum
Olei Roſarum ſuffic. quantit.

Fiat *Emplaſtrum*, quod nonnullis *Univerſale* dicitur, & *Noribergenſe*, ad varias affectiones externas proficuum: de cujus virtutibus integer Tractatus impreſſus extat: quem tamen circumſpectè legere, eique cautè credere, convenit, ne hyperbolicis encomiis decipiatur ignarus virtutis ingredientium, non ritè examinatorum, fallatque ſe, & alios.

EMPLA-

EMPLASTRUM ANTIVENEREUM, SEU MERCURIALE.

℞. Mercurii, seu Argenti vivi, uncias quatuor;
solvatur in
Aquæ fortis, seu Spiritûs Nitri, suffic quant.
Solutioni adde
Axungiæ Porcinæ recent. uncias octo,

& in vase terreô vitreatô, patellâ nimium, coquantur ad consistentiam *Emplastri*, sed leniſſimô igne, ne nigrescat, spatulâ, vel rudicula ligneâ, indesinenter agitando; cui adde

Ceræ flavæ & odor. uncias duas, vel tres,
Pulv. Mastichis,
Olibani, ana unciam unam.

Fiat *Emplastrum nobile & præstans*, ad invidiam contradicentis; quod *omnia Ulcera Gallica persanat, & crustas*, sine doloris sensu, quocunque etiam locô secretô hæreant, veluti *miraculosè absumit*.

EMPLASTRUM VESICATORIUM.

℞. Pulv. Cantharidum drachmas quinque,
Myrrhæ,
Mastichis, ana drachmam unam semis,
Camphoræ drachmam semis,
Fermenti acerrimi Pistor. solidi, non nimium mollis, uncias duas,
Terebinthinæ claræ,
Ceræ flavæ, ana insimul liquatorum, unciam unam semis,
Pulpæ Scillæ recentis unciam semis,
Aceti Scillitici fortis drachmas duas, vel unciam semis.

Fiat *Emplastrum*; cujus vires notæ sunt.

EMPLASTRUM VULNERARIUM, ET PECTORALE.

℞. Terebinthinæ claræ uncias octo; in quâ solvantur & liquefiant
Gummi Tacamahacæ uncia una semis,
Elemi unciæ tres:

his solutis; atque per linum & qualum colatis, adde

Ceræ flavæ & odorat. Virgin. uncias duodecim,
Axungiæ Anseris,
Caponis, ana uncias duas:

his probè conjunctis immiscentur ulterius sequentia, subtiliſſimô modô incisa & contusa, ad formam pultis: utpotè

Rad. Symphyti majoris recent. unciæ duæ,
Enulæ,
Althææ, ana recent. uncia una,
Herb. recent. Hyssopi,
Betonicæ,
Alchimillæ,
Millefolii,
Hederæ terrestr.
Flor. Chamæmeli recent. ana uncia una semis,

Oculor. Populi arb. recent. unciæ duæ;

tandem ſequentes inſpergantur Pulveres; uti ſunt

Pulv. Olibani,
Myrrhæ,
Maſtichis, ana uncia una ſemis,
Rad. Ireos Flor. uncia una,
Croci drachmæ ſex,
Camphoræ drachmæ duæ, ſolutæ in Olei ſtill. Aniſi ſ. q. ad pulticulam.

Fiat ex omnibus, l. a. *Emplaſtrum*, in diplomate, vaſe nimirum duplici, leni calore agitandum. *In Vulneribus Pectoris internis, Empyematibus, aliisque Ulceribus ac Apoſtematibus, excellens, toti Pectori externè applicandum.*

EMPLASTRUM ALIUD VULNERARIUM, AD RENES EXULCERATOS.

℞. Gummi Animæ,
Elemi, ana unciam unam ſemis;
hæc liquefiant in
Terebinthinæ claræ unciis quatuor; quibus porrò adde
Ceræ flavæ odoratæ uncias ſex,
Balſami n. Sulphuris non fœtidi, cum Oleo Terebinth. flavo, vel rubro, parati, unciam unam ſemis.

His exactè mixtis impaſtentur ſequentia, ſubtiliſſimè inciſa & contuſa: quæ ſunt,

Rad. Sigilli Salomon. recent. uncia una,
Symphyti maj recent. uncia una ſemis,
Herb. Plantaginis minoris,
Milleſolii,
Solani,
Conſol. Sarracen.
Flor. Hyperici,
Roſarum, ana recent. uncia una,
Oculor. Populi arbor. recentium uncia una ſemis; ultimò addantur
Pulv. Croci opt. drachmæ duæ,
Olibani drachmæ ſex,
Camphoræ drachmæ tres, ſolutæ in particula Ungv. Roſati, ad pulticulam.

Fiatque, diu multumque agitando, intra leniſſimum calorem, in diplomate, *Emplaſtrum, regioni Renum applicandum.*

EMPLASTRUM VULNERARIUM VERUM.

℞. Pulv. Gum. Elemi,
Opopanacis,
Sagapeni,
Maſtichis,
Pulv. Gum. Olibani,
Myrrhæ, ana unciam unam ſemis.

Hæc omnia liquefiant, beneficio caloris leniſſimi, in
Terebinthinæ claræ unciis octo,
Balſami n. Vulnerarii Martialis,
Balſami n. Sulphuris Vulnerarii, ana *ſuperiùs in Claſſe Oleorum cocorum*, edoct. unciis duabus; & dum in diplomate liquefacta adhuc carent, ſuperaddantur ſequentia ſubtiliſſi-

tiſſimè inciſa, & minutiſſimè contuſa: utpotè,

Rad. Symphyti major. recent. uncia una ſemis,
Herb. Alchimillæ,
Conſolid. Sarracen.
Milleſolii,
Plantag. min. acuti folii;
Pyrolæ, ana recent. uncia una,
Flor. Hyperici recent. drachm. decem,
Gemmar. Populi arbor. recent. unciæ duæ,
Summit. Laricis, ſeu Abietis, à lanugine ſua ſeparat. uncia una ſemis,
nec non
Pulv. Sanguinis Draconis,
Lapid. Calamin. cum ſucco Plantaginis parati,
Oſteocollæ, itentidem cum ſucco Plantag. parati, ana uncia una ſemis,
Sarcocollæ uncia ſemis,
Croci Martis, ex Vitriolo Martis per calcinationem parati, uncia una ſemis:

ultimò tandem, quando quaſi refrixerunt, admiſceatur

Balſami Indici de Peru uncia una ſemis.

Fiat, omnibus exactè inter ſe invicem copulatis, *Emplaſtrum, vulneribus in univerſum omnibus, antiquis æquè, ac recentibus, applicabile: præſervans, & ab omnibus ſymptomatibus defendens Vulnera; quæ perſanat, & conglutinat.*

Atque ita B. L. ſavente Numine, huic quoque Claſſi ultimam impono manum, in quâ *Emplaſtra*, pretioſum illud, partibus externis dicatum, remedium (de quibus Magnus Helmontius, *Tit. de Diſpenſator. Modernum. §8.* ait: *Quæcunque balnea agunt in totò, hoc idem calefacta, fotaque unguina, abſolvunt in parte, ſine totius jacturâ*) plurima & præſtantiſſima revelavi; adeò, ut affectus non ſit, cui remedium & auxilium objicere non valeas. Hoc unum ut ſollicitè advertas, Te hortor, quâ dexteritate, methodo, ac circumſpectione, opus ſit, ut dicta *Emplaſtra* ſuam nanciſcantur perfectionem, pretium, ac valorem; quòd non ſit obvium, ac manifeſtum, cuique Tonſori, Lippo, & Circulatori; quia non tractantur hæc in circo Vetularum, & Agyrtarum contuberniis, prout ſibi inquieta nonnunquam ingenia blandiuntur. Obſerva pariter, &, velut oppoſitô contrariô, veritas Tibi eluceſcet; quantum ſcilicet à Majoribus, in Veterum *Emplaſtrorum* Deſcriptionibus deviatum ſit; quàm conſpicui errores undique oberrent: quod vel maximè experieris, ubi ſeriem noſtrarum Præſcriptionum, legitimam Præparationem, Artem & Methodum ſeveriùs ad calculum revocaveris. Tàm enim perſpicuam, ac indè facilem, per exempla, reperies doctrinam noſtram, ut, inſtar regulæ Ariadneæ, ſecuriſſimè ad faſtigium Artis deducat illos, qui multum hactenus in arte vacillabant; modò filum,

& regulam, apprehendant, firmiterque ſtringant, neutram in partem declinantes. Utantur igitur hôc compendio deinceps exercitatiſſimi Viri, neque obvio cuivis Caloni (Laborantes dicuntur: nam ſæpè mente laborant & crumenâ,) ſuam concredant, & Ægrorum, ſalutem; cùm non videam, quâ ratione, juxta tàm erroneas præparationes, & mendis pleniſſima inventa, in Medicum honor, in Ægrum ſolatium, poſſit redundare: è contra verò appareat, quæ, & qualia, concredam, quàm nulli impoſturæ expoſita, quàm magnæ ſpei, ac certæ ſalutis, remedia. Interim, ſi quem varietas delectat, & ampliora ſcrutatur, paſſim Claſſicos reperiet, uti & ipſum Auguſtanum, *noſtris Animadverſionibus* locupletatum Dispenſatorium; unde, divite penu, domui ſuæ conſulet, ac proſpiciet. Hæc pauca interim, non parva, boni conſule, A. L. ad plura, & ampliora, Magiſtra rerum, Experientia, Te manu ducet.

PHAR-

PHARMACOPOEIÆ REGIÆ, SEU DISPENSATORII NOVI LOCUPLETATI

CLASSIS DECIMA NONA, CERATORUM, AC CATAPLASMATUM, PARANDORUM MODUM PRÆSCRIBENS.

EXigua est inter Emplastra, & Cerata, differentia. Itaq; ea, quæ superiùs in genere, de Emplastris præfati sumus, huic quoq; Classi in omnibus æquè accommodari possunt: cui pariter Cataplasmata nonnulla annexuimus, quæ pari jure sub hujus decimæ nonæ Classis titulo non incompetentem locum sibi vindicaverint; cùm hæc ipsa in nullo alio abludant ab Emplastris, nisi quoad consistentiam paulò molliorem, & quòd minùs, quàm Emplastra, Cerata ætatem ferant: idque propter carentiam, aut saltem paucitatem, rerum unctuosarum: intellige, Gummatum, Axungiarum, Oleorum, & ipsius Ceræ, tanquam corporum magis du-

gis durabilium, illis adjectam, aut adjiciendam; quæ singula tamen ex legitimis illorum descriptionibus nota & palàm fiunt.

CERATUM DE BETONICA, CEPHALICUM.

℞. Resinæ Styracis, per expressionem factæ, uncias duas,
Ladani per extr. par.
Pulv. Gummi Animæ,
Tacamahacæ,
Benzoës,
Mastichis, ana unciam unam.

Hæc omnia liquefiant leniter in
Terebinthinæ Venet. odoratæ unciis quinque;
quibus solutis in leni calore, adde
Ceræ flavæ odoratæ uncias sex,
Ol. Nuc. Moschat. express. unc. unam,
Still. Coriandri,
Majoranæ,
Lavendulæ, ana drahm. duas,
Succini unciam semis.

His omnibus exactè, & leni calore, in diplomate unitis & liquatis, impastentur successivè, dum adhuc calent, sequentia, minutissimè, & subtilissimè incisa atque contusa: utpotè,

Fol. recent. Betonicæ floresc. unciæ tres,
Nuc. Jugland. arb. tenerrim.
Rorismarini,
Thymi, vel Majoranæ, ana unciæ duæ,
Flor. recent. Acaciæ,
Arantiorum, aut, loco eorum, Pomulor. immaturorum & minimorum; quæ omnia verò si desint, Florum Tunicæ, & Keiri, ac Sambuci, ana uncia una,
Gemmar. Populi arboris rec. uncia una semis:
item superinspergatur
Pulv. Ligni Aloës,
Rhodii,
Cupressi,
Succini albi,
Olibani, ana uncia semis,
Croci opt. drachmæ tres.

Misceantur exactè in diplomate, & efficiatur *Emplastrum*, sive *Ceratum Cephalicum præstans, vertebris Colli, Temporibus, Vertici, ut & Fronti, applicandum, ad superfluos Cerebri humores: Cephalæam, Cephalalgiam; Catharros, ad partes inferiores delabentes, sistit.*

Nota: *Non me latet, quòd* Herbæ, Folia, *&* Flores, *huic* Cerato *destinati, non unô eôdemque tempore floreant, & virescant; sic* Flores Acaciæ, Sambuci, *item* Keiri, Gemmæ, *nec non* Populi arboris, *inter summa Veris initia prosiliunt; quâ anni parte* folia Betonicæ cum floribus *nondum proruperunt. Idcircò suadeo, & necessum est, ut in superioribus,* Cerato *huic* destinatis, Resinis, Gummatibus, *&* Oleis, *jam invicem liquatis, & mixtis, summô veris initio,* Gemmæ Populi arboris,

ris, Flores Acaciæ, Keiri, Arantiorum, Sambuci, Fol. Nucum Jugland. tenerrim. Roriſmarini, *ſubtiliſſimè inciſa & contuſa uniantur, donec reliquum, ſuo temporis articulo, ſuperaddi,* & Ceratum *hoc ex toto, ſecundùm dexteritatis normam, perfectionis terminum adipiſci queat.*

CERATUM ALIUD CEPHALICUM de BETONICA, HYBERNO etiam tempore eſt parabile.

℞. Roſinar. Styracis Calam. expr. unciam unam,
Ladani, per extract. cum Spiritu Vini parati, drachm. ſex,
Pulv. Gummi Tacamahacæ, Animæ, ana unciam ſemis,
Terebinthinæ Cypriæ unciam unam ſemis; quibus leniter liquatis adde
Ceræ flavæ & novæ, etiam leniter liquatæ, uncias duas,
Ol. Nuc. Moſchat. expreſſi unciam ſemis.

His omnibus mixtis inſpergantur ſequentia Pulveres:

Pulv. Herb. & Flor. Betonicæ uncia una,
Majoranæ,
Thymi, ana drachmæ tres,
Olibani,
Succini, ana drachmæ duæ ſemis,
Gummi Benzoës uncia ſemis,
Sandaracæ,
Ligni Aloës opt. Rhodii,
Sem. Coriandri, ana drachmæ duæ: ultimò tandem
Olei ſtill. Lavendulæ,
Majoranæ,
Coriandri, ana drachm. ſemis,
Ligni Rhodii ſcrupuli duo inſtillentur.

Fiat *Ceratum Cephalicum* precioſum; cujus virtutes ex ſuperiori liquent.

CERATUM AD HERNIAS, SEU RUPTURAS.

℞. Terebinthinæ claræ uncias ſex; in quâ liquefacito
Pulv. Maſtichis electæ unciam unam,
Ceræ flavæ odoratæ unc. quatuor; quibus liquatis adde
Succi Acaciæ,
Hypociſtidis, ana in decocto forti Glandium Laricis, ſeu Abietis, in pultis formam ſolut. unciam unam,
Pulv. Myrrhæ,
Olibani,
Rad. Symphyti maj. ana unciam unam,
Sanguinis Draconis,
Aluminis crudi, parumper cum ſuperiori decocto humectati, ana drachm. ſex,
Nucum Cupreſſi,
Lapid. Hæmatit.
Sem. Perſoliatæ,
Vitrioli de Cypro, parum in Sole, vel poſt fornacem, calcinati, ana unc. ſemis.

Miſceantur exactè; fiat *Ceratum*.

Præ-

Præsens remedium ad varias Herniæ species ; parti affectæ, intestinis, vel omento, priùs in locum suum repositis, pube ac feroto tonsis, appositum.

CERATUM ALIUD AD HERNIAS.

℞. Lithargyrii subt. triti uncias duas,
Minii cribrati unciam unam.
Coquantur in Aceti Rosacei librâ unâ, ad siccitatem Lithargyrii & Minii, & totam Aceti exhalationem : huic Pulveri Aceto cocto porrò adde
Pulv. Gummi Arabici,
Tragacanthi,
Bdellii, ana drachmam unam semis,
Aloës hepat. drachm. duas,
Succi Acaciæ,
Hypocistidos, ana solut.
Pulv. Sarcocollæ,
Rad. Aristol. rot.
Consol. maj.
Bistortæ,
Tormentillæ,
Cort. Granator. ana drachmam unam semis.
Nuc. Cupressi,
Gallar. Turcicar. ana drachmam unam,
Boli Armenæ,
Sanguinis Draconis, ana unciam semis,
Collæ piscium, dissol. parùm, drach. unam semis.
Coquantur denuò cum Vini rubri q. ad *Cataplasmatis* solidam & duriusculam consistentiam, ne manibus adhæreat, s. a. Huic *Cataplasmati* junge tandem
Terebinthinæ claræ uncias quinque,
Colophoniæ unciam unam semis ;
in quibus priùs
Pulv. Mastichis el.
Olibani,
Myrrhæ, ana drachmas tres,
Opopanacis,
Galbani, ana drachmæ duæ,
liquatæ & solutæ fuerint.
Fiat *Ceratum ad Hernias præstans.*

CERATUM MATRICALE.

℞. Terebinthinæ claræ uncias tres ;
in illa liquefiant
Gum. Galbani puri uncia una,
Animæ,
Sagapeni,
Tacamah. ana uncia semis,
colentur per Linum & qualum ; iisque adde
Ceræ novæ & flavæ, itidem liquatæ, uncias duas :
his unitis impastentur
Herb. rec. Matricariæ,
Menthæ,
Rorismarini,
Melissæ, ana subtilissimè & minutissimè incisar. & contus. ad pultis formam, uncia una,
Pulv. Myrrhæ drachmæ sex,
Rad. Cardopatiæ,
Sem. Dauci,
Carui,
Anethi,
Olibani, ana uncia semis,
Croci opt.

Opii

Opii, in partic. aquæ Rorismarin. ad pulticulam ſoluti,
Camphoræ, ana drachmæ duæ.
Fiat *Ceratum* præſtans, aliquandiu in calore & diplomate agitandum.

Uterum frigidum calefacit, ejus flatulentiam diſſipat; paſſiones ſedat Hyſtericas, & vapores ab utero aſcendentes coërcet, doloreḿq; mitigat.

CERATUM EX PELLE ARIETINA.

EJus deſcriptio, & legitimus parandi modus, petatur ex *præmiſſis, ſuper ipſum Ceratum, Animadverſionibus præced. Pharmacopœiæ Auguſtanæ*, ubi omnia clarè patent; & ad oculum videre eſt, quàm ejus, difficillima aliàs, & intricata, deſcriptio, & præparatio, perſpicua ſimul & facillima reddita ſit.

CERATUM DIAQUERCINUM:

Quod in Germania, ubi PALMARUM rarus eſt proventus, DIAPALMÆ vices ſupplere poteſt.

℞. Fol. Quercûs teneriorum recent. & ſuccolentorum, libras duas: conſcindantur & contundantur opt. impaſtenturque in
Axungiæ Porcinæ libras quatuor: factâ maceratione, aliquot dierum ſpatio, coquantur parùm, & exprimantur. *Axungiæ expreſſæ* porrò *recentia conſciſſa & contuſa folia Quercûs*, in ſuprà dicto pondere, immergantur, reiteratáque brevi maceratione, leni coctione & expreſſione, uti priùs, huic Axungiæ tandem adde
Lithargyrii ſubtiliſſimè triti libras tres,
coquantur leniter, ſpatulâ, vel rudiculâ, continuò agitando, ſenſimque, ac per vices, infundendo
Vitrioli albi uncias quatuor, vel quinque,
ſoluti priùs in
Succi, vel Decocti fortis, foliorum Quercûs, libra una,
ad *Cerati* ſolidioris, ſeu *Emplaſtri* conſiſtentiam; quod non ſolùm prænominatæ *Diapalmæ* vices ſupplere poterit, ſed & virtutibus eam ſuperabit.

Nota, *quòd ei, qui, locô* Axungiæ Porcinæ, Olivarum, *vel aliud* coctum Oleum *ſurrogare voluerit, liberum ſit; ego verò* Axungiam Suillam, *tanquàm aptiorem, prætulerim.*

Cœterùm *confert hoc Ceratum ad Ulcera dyſepulota; Articulorum morbis, Bubonibus, Ambuſtis, Oſſium fracturis, Contuſionibus & Plagis, proficuum; Oedemata exſiccans, & Fonticulis utilitatem adferens.*

CERATUM SANTALINUM.

℞. Ceræ Citrinæ odoratæ uncias decem,
Olei Roſarum, per trinam infuſionem & macerationem parati, uncias octo;
his leniſſimo calore mixtis impaſtentur
Flor. Roſar. rub. recent. ſubtiliſſimè & minutiſſimè inſciſſarum & contuſarum ad pultis formam,

mam, unciæ quatuor, vel quinque:

Jam verò:

℞. Pulv. Santali rubri unciam unam semis,
albi,
citrini, ana drachmas sex,
Raſuræ Eboris unciam semis,
Boli Armenæ unciam unam.

Coquantur cum f. q. *Infuſionis Roſarum rubearum*, ad *Cataplaſmatis* ſolidam & duriuſculam conſiſtentiam, ſ. a. ne manibus, attactum, adhæreat, & ſuperioribus tandem dextrè, in calore, impaſtetur. Quæ ſic unita, per horas duas, vel ultrà, ſuper igne leni, commiſcendo agitentur, quò intimè uniantur, & ſe invicem amplectentur: ultimò tandem, cùm refrixerit, ſuperadde

Camphoræ drachmas tres, vel unciam ſemis,
ſolutæ in
Olei Roſarum particulâ.

Fiat ſic nobile *Ceratum*, longè excellentius, quàm vetus illud, ſimpliciter paratum: *calidam intemperiem Hepatis, aliarumq; partium, contemperat & emendat.*

Animadvertis, B. L. quòd *Ceratum hoc, noſtrâ methodo ac formâ*, quam nunc exhibet, & ſimpliciſſimâ quidem, diſpenſatum, decuplo plùs efficaciæ ac virium compromittat, quàm *Ceratum illud, Veterum ſtylo, ac invento, deſcriptum ac præparatum?* Si enim, juxta Philoſophum, contraria juxta ſe poſita magis elucеſcunt, ac tenebræ Solem, umbræ Corpora, vitia Virtutes commendant ac exaltant; comparatione utamur utriusque hujus præparationis, ac diſpenſandi modos combinemus; ac uter laudabilior, meliorque ſit, ſuffragemur. Quidenim, amabo, *exſuccæ, & effœtæ Species, cineres potiùs, quàm ſubſtantiæ* (uti *Spodium*, & *Ebur uſtum*) aridiores (ut *Bolus*, & *Santalorum ligna*) in hoc *Cerato* efficaciæ, virtutis ac energiæ, habebunt ac impriment, ſimpliciſſimè, nudè, ac crudè, *Oleo Roſarum*, & *Cerâ*, commixta? Profectò parùm, vel nihil, maximè iis circumſtantiis, ubi externis uſibus deſtinatur *Ceratum*. Et ſi, quando tunc, in dicto *Cerato*, virtutis alicujus, aut effectûs, particula emicat, nequaquam ea *dictis Speciebus*, ſed ſimpliciter, *Oleo Roſato, Cerâ, ac Camphorâ*, accenſeri debet. Enimverò tàm *Oleum*, quàm *Cera*, ſic naturâ comparata ſunt, ut, ſive unita, ſive non mixta exiſtant, nunquam tamen *dictarum Specierum* vires allicere, ſolvere, extrahere, aut quôcunque modo elicere poſſint & actuare: cùm, è contra, *alio quopiam Liquore* decocta, vires earum, ſive vinctæ, ſive ſopitæ, excitentur ac vigeant, ad debitum effectum ac virtutem producendum. Diſpar longè ratio eſt, cùm intra corpus *dictæ Species* aſſumuntur. Gaudet enim Ventriculus nativâ humiditate, & inſpirato fermento ſuô, cujus beneficio humectari poſſunt *arida*, fermentari, ac ad effectûs debitos producendos actuari, licet ipſa *nullâ peregrina humiditate* madeant

ac

ac imbuantur: cùm contrà ſic *aridæ & exſuccæ Species*, *Oleo* & *Cerâ* mixtæ, ac cuti illitæ, ne minimum quidem nobis præſtare poſſint, quod naturæ ac affectui deſerviat. Non ſic ſe res habet in noſtro caſu, ac deſcripto *Cerato*; in quô non ſolùm *recentes*, *rubræq; Roſæ ſiccis* prævalent, ad præfixam intentionem, & ſcopum, Hepatis nimirum φλόγωσιν & caloreм contemperandum, nec non Parenchma roborandum, ſed etiam ad *Oleum* ac *Ceram*, virtute ſuâ imprægnanda; utpotè *adhuc humido primigenio gaudentes*: cùm tamen etiam in dictis circumſtantiis, noſtraque præparatione, neque *Oleum*, nec *cera*, *virtutem ac eſſentiam Roſarum* extrahere poſſint, mutuamque cauſalitatem exercere; licet *à Roſis recentibus Oleum*, *ac Cera*, viribus ac congenitis qualitatibus imbuantur. Nunc à potiori arguo: ſi *Oleum*, ac *Cera*, *Roſarum recentium vires ac eſſentiam* extrahere nequeunt, licet, è contra, *Roſæ illa* afficiant; quid effectûs tribuent *aridiſſimæ Roſæ*, *omni humiditate deſtitutæ*, & vel maximè ab *Oleo Ceraq;* prohibitæ, quò minùs deſideratum effectum ſortiantur? Quod de *Roſis ſiccis* concluſum, hoc vel maximè valet contra *Species aridiſſimas*, *Spodium* nimirum, & *Ebur*, *Bolum*, ac *Santalorum ligna*, quæ unctuoſis illis oblinita, ac quaſi intercluſis poris, omnem deperdunt vim ac poteſtatem, virtutes ſuas communicandi, ac influendi: ac cuti ſaltem, & corporis ſuperficiei, minutulorum inſtar corpuſculorum, adhærent, perſpirationem retardant ac arcent. Quæ omnia ac ſinguia ſi præclaræ notæ Medici perpendant, mecum inferent, veterem, dictum Ceratum Santalinum parandi, normam nullius eſſe frugis ac efficaciæ, ad deſtinatos effectûs. Aliud foret judicium formandum, ſi jam *recenſitæ Species reſinoſis quibusdam*, *Gummatibus*, *aceto ſolutis*, miſcerentur; ubi forsàn nonnihil ſubſtantiæ ac virtutis adſtrictivæ communicare poſſent: at *meris unctuoſis* ea ſubegiſſe, arentique cuti, & ad corporis ambitum, admoviſſe: ridiculum profectò, ac jocoſum deliramentum eſt: faciliùs forsàn condonandum, ſi vulneribus, ſanguine, aut ulceribus, ſanie diffluentibus applicarentur, ac, manante ibidem humiditate, in actum ducerentur, unctuoſitate non præpedita. De *Spodio* quidem non eſt habendus prolixus diſcurſus, aut ſpeculatio, utpotè tam effœto, viribusque Medicis imbecilli, ac tenui, ut neque interno, nec externo, uſui deſerviat: prout fuſiùs alibi declaravi.

Proindè, in *ſerie Ingredientium* hujus *Cerati*, minimè *uſtum*, *ac exſuccum*, *ſed raſpatum*, *recenſq; Ebur*, collocavi, ac, ut omnia actuari, & ad producendum effectum expediri poſſint, adlaboravi: beneficio nimirum *Succi*, vel *Infuſi*, *Roſarum* coquendo in formam Cataplaſmatis; ut ſic unita, mutuò ſibi virtutes ac efficaciam communicare valerent, unum producendo effectum. Hæc fuſiùs deducere placuit; non, quòd forſan

hujus *Cerati* dignitas, aut, in parando, difficultas, nos moraretur ac commoveret; ſed ut locum, & occaſionem arriperem, fuſiùs demonſtrandi, quàm probè cognoſcere debeat rerum omnium naturas, & craſin, primas ſecundasque qualitates, effectum, quem *res unitæ*, effectum, quem *ſingulæ*, & extra compoſitum, producere aptæ ſint; quid *crudæ*, quid *actuatæ*, præſtare valeant; & complura his affinia, qui juxta Philoſophiæ, Artiſque leges, talia ritè medicamenta diſpenſare ac ordinare velit, tàm Medicus, quàm Pharmacopœus. Niſi enim omnia ac ſingula ita diſponamus, ut plerarumque rerum & effectuum rationes Phyſicas reddere poſſimus; Spartam noſtram minimè pro debito obivimus. Quæ quidem rationes licet non ſubjungantur ubique; dari tamen à me poſſent, niſi in vaſtiſſimum Volumen opus accreſceret. Quare non immoror ulteriùs, ſed ad deſcribenda *Cataplaſmata* propero.

CATAPLASMA ſeu CERATUM AD TUMORES OEDEMATOSOS, ET DUROS.

℞. Antimonii crudi uncias octo,
Calcis vivæ uncias octodecim;
in pulveres redacta, miſceantur: quibus ſuperaffundantur
Vini rubri libræ quinque, vel ſex:
factâ digeſtione, duobus circiter diebus, aliquoties primâ ſaltem die commovendo, decantetur, alterâ die prætergreſsâ, quod clarum, per inclinationem; cum hoc liquore coquantur ſequentia: utpotè,

Pulv. Lapid. Medicamentoſi n. unciæ duæ ſemis,
Sulphuris unciæ duæ,
Olibani,
Pulv. Myrrhæ,
Sang. Draconis,
Succini, ana uncia una ſemis,
Roſar. rub.
Balauſtior. ana uncia una,

ad conſiſtentiam *Cataplaſmatis* ſolidiorem, ne manibus adhæreat. Jam verò ſolvantur in:

Terebinthinæ claræ unciis quinque,
Gummi Tacamahacæ,
Elemi,
Pulv. Gum. Maſtichis, ana uncia una,
Ammoniaci uncia una ſemis,
&
Ceræ flavæ novæ unciis tribus.

His inſimul mixtis & liquatis, ſuperius *Cataplaſma* ſenſim immiſceatur; fiatque ſic *Ceratum*, ſeu *Cataplaſma, potens, ad ſtrumas, & tumores duros emolliendos, & diſſipandos. Reſolvit enim, & exſiccat humores artubus impactos.*

LAPIDIS MEDICAMENTOSI, PRO HOC CERATO, PRÆPARATIO.

℞. Vitrioli albi
viridis Martialis, ana libras duas,
Aluminis crudi,
Ceruſſæ,
Lapidis Calaminaris,
Boli Armenæ, ana uncias novem,
Salis Ammoniaci unciam unam.

Cuncta in Pulverem redacta, immittantur *Ollæ vitreatæ*, iisque ſuperaffun-

fundatur *Aceti Vini fortis*, ad supereminentiam digiti unius. Claudatur *Olla suo operculo*, & collocetur super ignem Carbonum, lentum tamen; atque tàm diu in igne relinquatur, quousque strepitus audiatur, & omnis humiditas exhalarit. Refrigeratis omnibus, eximatur *Lapis*, ollâ fractâ, & servetur usui.

Usus cœterùm hujus *Lapidis* est *in Scabie, Facie Cuprosâ, Pustutis putridis, sordidis Ulceribus, Gingivis exulceratis, Erysipelatibus, Gangrenâ: item & Cancro, in mammis mulierum inflammatis, & exulceratis, in inflammationibus Oculorum, pustulis, maculis, præstans est remedium.* Ejus *uncia semis, plus minusvè*, soluta in *Aquâ simplici*, vel *destillatâ*, huic, vel illi, affectui appropriatâ, debitè, & Medicè, ab extra applicetur.

CATAPLASMA CEPHALICUM, IN DELIRIIS, ex tempore parandum.

℞. Nucleorum Persicorum unciam unam,
Cerasorum drachm. duas,
Fol. recent. Nucis juglandis,
Herb. recent. Majoranæ,
Menthæ aquaticæ,
Rorismarini,
Verbenæ, una unciam semis,
Flor. Rosarũ recent. vel sale condit. unciam unam,
Nucum Moschat. drachmas sex,
Baccar. Juniperi unciam semis,
Limacum recent. è testis except. num. XII,
Micæ Panis tritici uncias tres.

Conscindantur, & contundantur diu in mortario, ad pultis formam, additâ s. q. *Aquæ Rosarum* vel *Majoranæ*; fiatque *Cataplasma Cephalicum, fronti, temporibus, & vertici ipsi, abrasis capillis, in Deliriis, Febribus ardentibus, & Hungaricis, ut & contra Maniam, applicandum.*

CATAPLASMA AD CONTUSIONES, ET LIVOREM FACIEI.

℞. Pulv. Rad. Sigilli Salomonis unciam semis,
Ireos Florent.
Rosarum albarum,
Olibani, ana drachmam unam semis,
Camphoræ drachmam semis,
Pulpæ Panis tritici unciam unam semis,

Contundantur probè in mortario, ad pultis formam, additâ s. q. *Mucilaginis Tragacanthi, cum Aq. Rosarum extractæ*; fiatque *Cataplasma*, quod, linteolis exceptum, & applicatum, *Livorem extrahit, ac pristinum nativum colorem restituit.* Quòd si verò contusio oculorum esset conjuncta, sanguineque suffusi oculi, addi possent huic *Cataplasmati duo circiter vitelli ovorum*, item *Pulv. Croci drachma semis*, &, in locum *Mucilaginis Tragacanthi*, surrogari *Lac recenter mulctum*; idque pro *Cataplasmate* efficiendo.

Vel paretur hoc modo:

℞. Pulpæ Panis tritici unciam unam semis,

Pulv. Rad. Sigilli Salomonis unciam ſemis,
Ireos noſtr. drachmas ſex,
Flor. Roſar. alb.
Olibani albi, ana drachmas duas,
Croci opt.
Tragacanthi, ana drachmam, ſemis,

cum ſ. q. *Lactis recentis*, fiat, contundendo in Mortario, *Cataplaſma*; adde ultimò

Vitell. ovi unius, vel duorum; in quibus
Camphoræ drachma ſemis, ſubacta ſit.

Fiat *Cataplaſma*, quod, linteolis illitum, tepidè applicetur, externè Oculis; nec tamen fortiter ac ſtrictè ligetur: (quod benè notandum) ne tranſpiratio impediatur.

CATAPLASMA CORDIALE.

℞. Cortic. Citri, vel Limon.
Arantiorum, ana recent. & extim. unciam ſemis,
Herb. recent. Baſilici,
Majoranæ,
Rorismarini
Flor. recent. Tunicæ, ana unciam ſemis,
Roſarum, vel Sale condit. unciam unam,
Caryophyllorum drachmas duas,
Macis unciam ſemis,
Croci Auſtr. drachmam unam ſemis,
Pulpæ Panis triticei uncias duas.

Conſcindantur, & contundantur diu multumque, in mortario, ad pultis ſimilitudinem, additâ ſ. q. *Aceti flor. Arantiorum*, aut *Tunicæ*, vel *Roſarum*; fiat *Cataplaſma*, aut *Epithema*, Cordi & Pulſibus, *panno rubro* exceptum, admovendum ſæpiùs. *Cùm* verò ad longum tempus aſſervari nequeant; pro quolibet infirmo, tempore verno, æſtivo, & autumnali, protinùs parari poterunt: ad tempus verò hybernum usque *herbæ pariter*, ac *flores recentes*, *at ſale conditi*, inviolatè cuſtodiri.

CATAPLASMA INSIGNE ad ENTEROCELEN, & ALIAS RUPTURAS, ſeu HERNIAS.

℞. Rad. Conſolidæ major. recent. mundat. & conſciſſ. libram unam,
Herb. Saniculæ rubræ, cum Radicibus, recent. libram ſemis,
Herb. recent. Conſolidæ Sarracen. uncias tres,
Fol. recent. Quercûs,
Pyrolæ,
Perſoliatæ, ana uncias duas.

Inciſa omnia coquantur in ſ. q. *Aq. ſimpl.* repetitis vicibus affuſæ, quousque tota virtus & mucilago extracta ſit. Colaturæ omnes unitæ, ad remanentiam circiter librarum duarum, & conſiſtentiam mucilagineam, ſeu Gelatinam, evaporent; cui immiſce

Pulv. Rad. Tormentillæ unciam unam ſemis,
Ariſtoloch. rotundæ,
Flor. Roſarum rub.

Balau-

Balauſtiorum,
Sem. Perſoliatæ,
Maſtichis,
Myrrhæ,
Olibani,
Sangv. Draconis,
Nuc. Cupreſſi, ana unciam unam,
Sarcocollæ drachmas ſex.

Coquantur denuò, lento igne, parùm, continuò agitando, ad conſiſtentiam *Cataplaſmatis* mucilaginoſi mollioris: quod in olla aſſervandum, & ſingulis diebus bis, & quidem calidè, linteolo raro involutum, regioni partis affectæ, ſeu ruptæ, applicandum eſt; inteſtinis, ſive omento, priùs in ſitum, ſeu locum ſuum, repoſitis, ac impedimento cinguli, ac ligaturæ, præcauto, ne illa ampliùs prorumpant. Quamobrem Patiens quietus, & ſine motione, in lecto, capite paulò ſupinus, recubare, & per unam alteramvè ſeptimanam in illo ſitu ſe detinere debet.

Nota, quòd quidam ſolâ Mucilagine, ſive Gelatinâ, ex Radicibus, & Herbis, hujus Cataplaſmatis coctione paratâ, ſuperiùs edoctâ, contenti ſint, abſque aliarum rerum, vel pulverum, adjectione: quâ ipſâ Mucilagine curas Herniarum feliciter abſolvunt. Quod pro meliori informatione appoſui.

CATAPLASMA SPLENETICUM.

℞. Tabaci infumati uncias tres.

Coquantur cum *Vini albi libris tribus*; decoctum colatur, & ad conſiſtentiam Extracti, ſeu Mellis craſſam evaporet: cui adde

Pulv. Gum. Ammoniaci, in ſuperioris Vini Tabaci ſ. q. ad pulticulam ſoluti, unciam unam ſemis:

his mixtis adde

Pulv. Seminis Naſturtii q. ſ. ad *Cataplaſmatis* conſiſtentiam, ſine ulteriori coctione efficiendam:

item ſequentia, ſubtiliſſimè ſaltem, & minutiſſimè conciſa atque contuſa: utpotè,

Herb. recent. Roriſmarini,
Verbenæ,
Perſicariæ, ana unciam unam ſemis,
Baccar. Juniperi virid. unciam unam.
Camphoræ drachmas duas.

Fiat *Cataplaſma Spleneticum, ad febres pertinaces, Quartanas, ut & duritiem, & obſtructionem, Lienis valdè efficax.*

CATAPLASMA AD TUMORES DUROS ARTUUM (vulgo wider den Gliedſchwam.)

℞. Pulv. Lapid. n. medicamentoſi, ſuperiùs paulò deſcripti, uncias quatuor,
Pulv. Sulphuris Citrini uncias duas,
Lapidis Calaminaris,
Maſtichis,
Olibani,
Myrrhæ,
Gum. Ammoniaci,
Bac. Junip. virid. ana unciâ unam,

Rad.

Rad. Ariſtoloch. rotundæ,
Tormentillæ,
Herb. Rorismarini,
Salviæ,
Chamæpithyos,
Flor. Roſarum rub.
Balauſt.
Sambuci, ana drachm. ſex,
Pulpæ Panis tritic. uncias quatuor.

Coquantur cum *Aq. calcis vivæ Antimoniatæ*, *ſuperiùs*, *in Cerato ad Tumores duros* quoque edoctæ, ad *Cataplaſmatis* ſat ſolidam conſiſtentiam: quod parti affectæ immediatè, bis terve de die, applicandum. *Reſolvit*, *diſcutit*, *extrahit & diſſipat*, *potenterq; exſiccat*. Unde *tumores duriſſimos*, *& ſtrumas*, *ſenſim conſumit*, *ac partes roborat*.

Plura *Cataplaſmata* & *Cerata* in hanc quidem Claſſem non recipiam; cùm hæc mihi videantur impræſentiarum ſufficere. Qui tamen numerum eorum auctiorem expetiverit, is ad *præcedentem Pharmacopœiam Auguſtanam* recurrere poterit, ubi haut pauca deprehendet, quæ, juxta *Animadverſiones*, *unicuique Cerato ſigillatim adſtructas*, parata, pro uſûs exigentia obtinere poterit.

Reſtat nunc *Claſſis vigeſima*; quæ, obſervato ordine D. D. Auguſtanorum, (quem ſemper hactenus æmulatus ſum) *de rebus quibusdam ritè parandis* tractat & loquitur. Hæc Claſſis, ejuſque contenta, quamplurima utilia, magniq́ue momenti, ample-ctuntur: unde nec ſicco pede transeunda. Lubens igitur me huic labori accingerem, nullius pertæſus moleſtiæ, *propriamq; Claſſem*, *de rebus quibusdam Medicinalibus ſimplicibus*, *ritè præparandis*, fuiſſem meditatus; niſi *huic Parti Diſpenſatorii*, in Præcedaneis meis, abundè, & ex aſſe, ſatisfacere ſtuduiſſem, ad *ipſam vigeſimam Claſſem*, factis, in individuo, ac particulari, cuivis ſimplici Annotationibus: prout etiam in *adaucta*, *ad Animadverſiones*, *Appendice*; ubi ex fundamento ſingula tractavi, diſcuſſis erroribus, propriaq́ue *cuiq; ſimplici* tradita theoriâ. Cùm igitur nihil ſuperſit, alicujus conſiderationis, momenti, ac ponderis, quod in *prægreſſis Animadverſionibus meis nonnihil auctioribus*, *& ſuccedaneâ Appendice*, fusè, dilucidè, & abundè tractatum, & agitatum non ſit: eorum cognitionem, ac uſum, his, velim, inſerat ac ſubjungat B. L. quaſi proprio tractarentur loco, & ſtatione.

His igitur, pro temporum circumſtantiis, & ratione, ut amicè conquieſcat, æquiq́ue boniq́ue conſulat, quæ liberali affectu, crebris vigiliis, & arduis laboribus, benevolè obtulimus & conſecravimus, hortor & obteſtor. Stimulum enim, & calcar, ad majora audendum & exantlandum, mihi addet Lectoris grata humanitas; dum placuiſſe hæc minima ſenſero, quæ maximo affectu fuêre dedicata.

MAN-

MANTISSÆ SPAGYRICÆ PARS PRIMA.

PROOEMIUM AD LECTOREM.

LECTOR *Candide! cùm longâ hactenus serie D. D. Augustanorum Methodum (quæ præ cæteris semper arrisit) constanter æmulatus fuerim: ab eâ nec in hâc parte deficio aut recedo, quin Mantissam quampiam selectarum partim, & extra vulgum positorum, remediorum; partim à Viris præclara nota, & in praxi Illustribus, mihi concreditorum, hîc subjungam. Hæc autem dum ago, B. L. amicè hortor atque commoneo, ut ea omnia ac singula, quæ* in præmissis Animadversionibus *super Mantissam D. D. Augustan. satis prolixè foliis circiter 25. sedulò tractavimus; jugi memoriâ teneat, & ad præsentia revocet. Ego interim non defecero industriâ ac labore, quin citationes ubique genuinas, Capita, ac ipsas Paginas, designem, & per Compendium L. B. ad præfata manuducam, tempori*

ac prolixitati parcens. Neque tamen fumos & gloriam hîc me aucupari credat, aut aureos ſibi promittat montes. Solùm, in præſenti, communico remedia, ſcilicet ſalutaria, ac certa auxilia; quæ ſi ritè diſpenſata fuerint, ad Citò, Tutò, & Jucundè, medendum ultrò evehant & manuducant. Nunc tuæ peritiæ, ne dicam, conſcientiæ incumbit, Solertiſſime Lector, cautè & circumſpectè in remediorum apparatu converſari; ut videas, cui fidas, nec obvio cuique Thraſoni, magna de ſe ſuisque crepanti, hæc diſpenſanda ſubjicias. Unâ enim quandoque in ollâ vita & mors ebulliunt; ſalus ac interitus languentium. Nam ſolâ Chymici peritiâ ac ſorte hæc variant, & diſtinguuntur. Undè enim illæ lachrymæ? Undè totius orbis publicæ ſubſannationes, ac novercalia odia? dum alius, prolato Chymiæ titulo ac verbo, caput exagitat; dira quæq; ac maledicta alius eructat; plerique denique innocuam hanc artem, ejusq; fideliſſimos miniſtros, deteſtantur, rident ac conculcant; niſi quia pauciſſimorum homuncionum & trifurciferorum, Orco potius, quàm Laboratoriis, deſtinandorum nequitia, velut iniquitatis fermentum, inſontes quoque & integerrimos Viros afficit? Niſi quia Chymiaſtrorum & impoſtorum facinora, funeſtæ Tragœdiæ horrenda Cataſtrophe, & ſpectata homicidia, toti orbi percrebuêre, dum pro ſalutaribus remediis, inſida, periculo & exitio plena medicamenta, dubiâ quandoque, aut certâ, nece obtulêre: non alia de cauſa, quàm quod nequiſſimum, aut imperitum, ſint nacta Diſpenſatorem & Artificem: undè proſtituebantur auxilia, quæ aliis fuêre ſaluti. Quis igitur non paveat: quis non totis artubus contremiſcat, ubi triſte illud, ac lugubre verbum inſonat CHYMICORUM, *quod ulceroſo hoc ſæculo bonis ac malis, peritis ſimùl & imperitis, Magiſtris & Tyronibus, uno tribuitur communique ſuffragio? Ubi hâc tempeſtate ſe* Chymicos, *præcone anteambulone, ubique promulgant, qui vix dextrè è Tartaro Cremorem elixant; ſuper abacum Collyria è pelvi ſaphirina divendunt, unguina denique tractant & axungias. O verè luctuoſa tempora! ô ſortem calamitoſam! quam (proh dolor!) experimur, & indies recrudeſcere deprehendimus. Ea nunc eſt ætas, quâ non tantùm pauci reperiuntur, quos ſolida ſcientia, ac jugis doctrina, commendat Pharmacopœos: ſed quâ vix ullum reperias, qui, licèt imperitus ſit, tabula raſa, & nuda cucurbita; aliquid tamen*

expe-

experiri non contendat, proficere anhelet, Medico ſimùl ac Ægro fideliter adhærere ſtudeat ac collaboret. Sed computreſcunt quaſi in ſordibus ſuis, Sabbatha ſua colunt, de ſocordia ſurgere nolunt, diſcere detrectant; ac ſic impunè in humanum genus deſæviunt. Argus profectò ſum, anxius & circumſpectus, ne tàm hebes mihi contingat Diſpenſator, tàm infidus Collega, Medico ſimùl & Ægro futurus exitio. Ad calculum, & rigoroſum quidem, ſingula remedia, quæ Chymica vocant, revoco & luſtro: potiſſimum verò illa, quæ ſuam ex Antimonio, vulgique Mercurio traxêre geneſin, auguſtis cœteroquin incunabilis: quæ niſi, propriâ induſtriâ, oculatus diſpenſaverim, aut à tali Pharmacopœo elaborata noverim, quem Chymici nomen re & effectu commendat; vel ab illis penitus abhorreo, vel Ægris interdico. Cauti proindè mecum vivant, & circumſpecti, Medici, Celeberrimi Practici, quique ſuam, proximique, tutantur vitam. Suſpecta habeant dicta anti-Chymica; è quorum cenſu vel maximè Diaphoreticum, *vulgi* Antimonium, *quod, niſi conſtet, legitimè elaboratum fuiſſe, repudient potiùs, quàm ordinent, meo cautiores exemplo. Nam dum uterer aliquando ipſe dicto Diaphoretico, cum morte luctari mihi accidit, ægrè, ac vix eluctari. Diris enim vomitibus, & periculoſis ſymptomatibus, attritus, ferè exſpiravi; neque culpam in pharmacum, ſed Pſeudo-Operatorem & Chymicum conjicere licuit; maximè ſi illud in longum tempus aſſervetur: cùm, vice-versâ, graſſante peſtiferâ lue, Stendalii Marchionum,* Anno 1636. *idem* Antimonium Diaphoret. *ad drachmam unam (propriis correctum & laboratum manibus) mnximo ſucceſſu, peſtiferæ luis excidio, & ægrorum certâ ſalute, propinaverim, ipſéque ſæpiùs ſumpſerim: ut proindè certum ſit, nec non firmiſſimum: eodem remedio vitam tolli poſſe, & prorogari, ſolo Artificum diſcrimine. Concludamus igitur hanc Philoſophiam noſtram, & diſcurſum; ac velut è fundamentis eruamus, quo loco nobis Chymia ſit deinceps habenda: ne ſcilicet generico quodam, & univerſali, anathemate eam feriamus, aut communi odio averſemur; quaſi Chymia illa foret, quæ violentiſſimis emeticis tantùm, malignis ac corroſivis Antimoniatis, infidis Mercurialibus, toti orbi exitium minitetur. Minimè gentium! cùm hæc ſit potiùs impoſtorum licentia, & malevolorum impunitas, qui, velut Zizania, in agro Medico latitant,*

tant, tenebras colunt, antra & latibula, ad pauculos Myſochymicos referenda. Alia longè eſt Majeſtas conſpicuæ hujus artis, & genuinæ Chymiæ, utpotè quæ dictas umbras fugat, agyrtas, dictosque impoſtores, velut pecus morbidum, à reliquis ſegregat, & revelat, ne, conſortii jure, eodem quandoque lædantur contagio: noxia & infida denique remedia emendat, ſalutiferas Panaceas procreat, individua comes Pharmaciæ, cui perpetuo fœdere juncta, humano generi indefeſsè famulatur. Nolo proindè auguſtam hanc Chymiæ ſpartam pluribus exornare, ſuo utpotè ſplendore omnibus conſpicuam, nec peregrino egentem fuco aut calamiſtro. Deprehendes tamen, per operis noſtri decurſum, ejus lineamenta, typum & veſtigia, in quo pleraque Chymicè, hoc eſt, dextrè, aſſiduè, & convenienter elaborata, certo ægrorum ſubſidio reperies, & in quo Medicus & languentes feliciter reſpirare ac erigi ſe poſſe, confidant. Hiſce vale, A. L. noſtramque Mantiſſam æquo dignare calculo, ad quam nunc depropero.

CAPUT PRIMUM.

DE AURO METALLO, SEU SOLE.

DE *Auro*, coruſco Mineralium *Sole*, ac Metallorum facilè *Principe*, Tractatum auſpicaturus, ejus geneſin, ac, intra terræ viſcera, anguſta incunabula, tacitus prætereo: cùm nemo hactenus Scriptorum extiterit, qui huic Minerali ſpecioſum non fecerit Genethliacon; nec alia ſit noſtri inſtituti ratio, quàm artem, modumq; revelare, quo ex *Auro* ſalubris Medicina apparetur.

Præmiſſâ igitur *Auri* definitione; ad documenta Practica deſcendam.

Aurum nimirum eſt corpus Metallicum ſolidiſſimum, omnibus Metallis naturâ & perfectione ſuperius, fixiſſimum & incorruptibile; nullis Elementorum viciſſitudinibus, nec violentæ ignis etiam torturæ auſcultans.

Emi-

Eminet colore fulvo, quo nitet ac irradiat; compactum ex principiis, in viſceribus terræ, perfectis, Sulphure, Mercurio & Sale, beneficio Solis terreſtris ſummè coctis, digeſtis & maturatis: omnium Metallorum ponderoſiſſimum, ductile, &, excepto plumbo, molliſſimum, ob prædominantis Mercurii perfecti copiam.

Hieroglyphico ac Myſtico ſenſu, à Majoribus noſtris, ſub Solis, Planetarum Principis, ſchemate figurabatur; an quòd analogiâ quâdam, ſicut *Sol*, *Macrocoſmo* deſtinatus, cum vegetat & ſuſtentat: ſic *Aurum Microcoſmi Phœbus*, influum cordi robur tribuat: dignum Solis ſpecioſo etymo, quin & Regis Metallorum?

Aurum in Medicinâ magnæ eſt notæ ac energiæ; quidquid etiam alii Viri Magni in contrarium aſſeverent. *Habet*, inquam, *Aurum vires ac virtutes in Medicina non paucas, nec exiguas. Roborando enim Cordi & vitalibus ſpiritibus, ſanguiniq; mundificando dicatum eſt.* Verùm, doctiſſimorum Virorum ſententiâ, id non ſimpliciter, & in ſua cruda ſubſtantia facit; cùm hæc multò fit ſolidior atque compactior, quàm ut à calido noſtro reſolvi & in actum deduci queat. Licet enim Veteres crudum *Aurum foliatum* multis immiſcuerint medicamentis compoſitis; non tamen id alio factum bono exiſtimant, quàm ut oculos vulgi *Aurum* paſcat. Quemadmodum nunc Clariſſimi Viri, ipſi D. D. *Auguſtani*, in ſua Pharmacopœia Auguſtana: Dn. *Schröderus*, in Pharmacop. Medico-Chymica, lib. 3. cap. 9. ut & *Quercetanus*, Tom. 2. in ſua arte Medica auxiliatrici & Pharmaceutica, cap. 5. pag. 618. cum ſexcentis aliis, quos illi citant, unanimiter in hoc conſentiunt, & hoc ipſum confitentur. Proinde, ex mente *Theophraſti Paracelſi*, aliorumq; Chymicorum, illud, uti & alia Metalla, in ſua arcana, Olea, Balſama, quintas Eſſentias, Tincturas, Calces, Sales, Vitriola, Crocos, & his ſimilia, priùs redigere, & tum demum uſui Medico ſalutariter accommodare ſuadent.

Verùm quæ, de *foliato Auro*, hîc & alibi diſſeruimus, diſpari planè ratione de *Auri ſcobe*, aut eo in tenuiſſimum *pulverem* redacto, ſubintelligenda eſſe, multis ac prægnantibus de cauſis, nec non graviſſimorum Virorum authoritatibus, ac rationum momentis, perſuaſus ſum; ne contra torrentem niti videar. Namquid (dic, quæſo,) præſtent decem, aut viginti, folia Auri? Quid, in doſi unâ pulveris medicati, vix dimidium Auri foliolum; cùm ducenta vel trecenta Auri folia vix ſcrupulum dimidium conſtituant? Ad nihil apta ſunt, niſi ut ſe tunicis ventriculi inſinuent, eundem ad nauſeam & ἀποψίαν concitent; ac cruda tandem ſegregentur. Alia de *Auri ſcobe*, & *pulvere* ratio militat; cujus, pro doſi unâ, ſcrupulus dimidius, vel integer, propinatur, & à latente ſtomachi fermento & acido ſubigitur, & auctuatur, vitioſos humores emendat, cor tuetur, innatam ejus ſymmetriam præſervat, melancholicis auxiliatur, ac ad lætitiam ſollicitat. Non enim hoc meum dogma eſt: multis hoc argumentis, & in Terminis, docet, contra *Muſam*, *Picum Miran-*

dulanum, Platerum, & *Bravum*, doctiſſimos Viros, acutiſſimus Luſitanorum Zacutus, *de Medic. Princip. hiſt. lib. 1. quæſt 24. pag. 68. & 69.* ubi inquit: *quòd Auri tenuiſſimæ ſcobes, & ramenta, quæ ex limatura decidunt, præſtans ſint melancholiæ remedium, viſcera roborent, ſanguinem purificent, vires reficiant, palpitationibus medeantur, adverſus Cardiacam paſſionem mirificum auxilium, celebre remedium in malignis, contagioſis morbis, & lue Gallica ſint, cùm medendo, tùm præſervando;* ubi pro ſe citat *Avicennam, Serapionem, Platearium, Geberum, Matthiol. Levinum Lemnium, Ficinum, Voſcum Caſt. Scalig. Sylv. Capivacc.* quin ſuam Praxin, lib. 2. de praxi Medica admiranda, obſervat. 136 & innumeros hujus ſententiæ viros: ac poſt paululum ſubjungit; *ceſſent infamare tàm nobile Metallum, quod Priſci, & Juniores, in ſubſidium venenorum & melancholiæ, tantis laudum præconiis celebrarunt.* Et infra: *deſinant calumniari præſidium, quod multis fuit ſaluti. Ita enim Aurum naturæ noſtræ amiciſſimum eſt, viresq; roborat, ut cutem &c.* Et plura ſelecta, citato loco, A. L. deprehendet, ſi *Zacutum* adire & conſulere non gravabitur.

Paria docet Clariſſimus Vir, *Malachias Geiger*, Metropolis Monachienſis celebris Practicus, in ſuo Microcosmo Hypochondriaco, cap. 27. pag. 367. & ait: *Aurum autem duobus modis exhiberi poteſt; vel integrum, aut in folia reductum, & aliàs nihil immutatum: vel arte Chymica reſolutum. Priorem modum quod attinet, hoc modo aurum exhibitum planè improbant non ſolùm Chymici plerique, ſed & Galenici nonnulli; qui, Auri in Medicina uſum nullum eſſe, exiſtimant; & hoc unico ferè id probare conantur, quòd Aurum nimis compactum & durum ſit, & cui etiam, extremo calore, & igne fortiſſimo adhibito, nihil depereat; & proinde à calore noſtro vinci, & in actum deduci non poſſit, ſed integrum rurſum per alvum excernatur, atque ita ſumptûs ſaltem inutiliter profundantur, ad ægrum verò nihil commodi & utilitatis inde redundet. Verùm ratio iſta mihi ſatis firma non videtur. Etenim actiones illæ occultæ, & quæ Magneticæ dicuntur, in integris ſeſe exerunt, & à forma totius fluunt, atque eâ deſtructâ, vel etiam corpore corrupto & immutato, evaneſcunt. Magnes integer ferrum trahit: quod Oleum ejus, ſi à Chymico in id reſolvatur, non præſtabit. Talia multa in Medicina occurrunt. Lapis Lazuli, ſaltem pulveriſatus, purgat; Antimonium, & alia Mineralia, & Metallica, etiam Chymicè non præparata, quæ à calore noſtro nullo modo vinci, quorumque compages ab eodem ſolvi non poteſt, nihilominus occulto modo in corpus noſtrum agunt, idque variè afficiunt; ut ipſa experientia docet. Ideoq; ſi Aurum tales occultas qualitates habet, eas etiam integrum, & non reſolutum, exercere poteſt. Tribuerunt eas illi tot docti Viri, tot ſeculis, quibus non facilè refragandum. Chymicè verò reſolutum, & præparatum, quod multas vires habeat; extra*

tra dubium esse puto: cùm id experientia testetur. Verum etsi plurimis morbis, iisq; periculosissimis, medeatur; tamen omnes non tollit: adeoq; Panacea non est; neque, quos tollit, solum tollit; sed & aliis medicamentis opus est. Et hæc ille.

Sed quid authoritatibus & peregrinis testimoniis immoror, cùm quotidiana nos manuducat, & luculenter eruditat, Praxis & Experientia; quòd nimirùm *Auri ramenta*, & *in pulverem minutum redactum Aurum*, plurima, eaque magna, præstet in deploratis morbis. Præter multos, quos subticeo, magnæ notæ Urbis nostræ Practicos, habet sibi in usu, & secretis, *Pulverem* quendam *compositum* Excellentissimus Vir, & Emeritus Practicus, Dominus *Antonius de Pozis*, Augustæ Cæsareæ Majestatis LEOPOLDI p. t. Personæ Medicus digniſſimus; quo multa sanè præclara dedit specimina, dum ægris profuit: ejusque talis est descriptio:

℞. *Rasuræ Eboris unciam semis,*
Pulv. Epileptic. Marchion. drachmas tres,
Scob. Auri in pollinem subtiliss. redacti drachmas duas semis,
Bezoar Oriental. veri drachmas duas,
Unicornu marini drachmam unam.
Misc. Fiat Pulvis.

De quo Pulvere pro dosi, *scrupulum*, vel etiam *drachmam semis*, exhibet, ac magno successu deploratis succurrit. Quæ omnia sanè analogiâ quâdam Auri ad vitalia nostra, & cor, Magnetissimo quodam, & insitâ occultâ activitate, peragit Aurum, dum, Solis instar, spiritus nostros irradiat, concentrat, allicit, ac à malignis vindicat & tuetur. Quæ omnia & singula dum penitius contemplor, nonnihil ad tantorum Virorum authoritates accedo, (esto, quòd in prægressis *Animadvers. m.* divelli nonnihil visus sim) ac *Aurum*, in tenuissimum *pulverem* redactum, ac competenti dosi, pro ægrorum & morbi ratione, exhibitum, magnas, in medendo, vires adversus morbos supra memoratos obtinere, judico & assevero: corrigente nos quotidianâ & luculentâ experientiâ, optimâ rerum Magistrâ.

Plura alia de Metallis, *Auro* præcipuè, omnium eorum nobiliſſimo, dicenda, ac ordine analytico tractanda, supereſſent. Verùm cùm à Clariſſ. & Doctiſſimis Viris, *Quercetano* atque *Schrödero* loc. cit. feliciter expedita, & jamjam ab Adm. Rev. P. *Kirchero*, in suo noviſſimè edito Mundo subterr. ad unguem explanata fuerint; ratio postulat, solùm medicamenta Chymica, ex Metallis & Mineralibus, itemque Regnis, tàm Vegetabili, quàm Animali, usitatiora & selectiora, arctis limitibus circumscribere ac luci publicæ consecrare. Ideoque ad supra citatos B. L. ablegatum volo Authores: dum me contra adea, quære & etymo Pharmacopœiam Regiam erigere digna videbuntur, communicanda convertam. Quorum primum ex Auro confectorum agmen ducat

BEZO-

BEZOARDICUM SOLARE.

℞. Auri fini, ſeu puri, per Antimon. purgat. unciam ſemis:
quod ſolvatur in ſuff. quantit.
Aquæ Regiæ, vel Spiritûs Nitri, à ſale communi deſtillatione abſtracti,
quoad *Aurum* totaliter ſolutum ſit. Hâc interim aſſervatâ ſolutione, porrò accipe
Butyri Antimonii, à ſua Cinnabari rectificati, uncias duas.

Huic affundatur guttatim, & per vices repetitas, ne nimium efferveſcat, & veluti inflammetur; inque cucurbitâ ſatis altâ, ſub camino, vel in aprico, collocatâ

Spiritus Nitri ritè deſtillati ſ. q.

quoad etiam butyrum totum ſit ſolutum in liquorem rubicundum, omnisque ſtrepitus & efferveſcentia, ſuperaffuſo *ſpiritu Nitri*, ceſſaverit. Has duas ſolutiones, *Auri* ſcilic. & *Butyri Antimonii*, conjungito & commiſceto, atq; in alembico, ſuo capitello munito, igne arenæ deſtillando, omnis humiditas, ad ſiccitatem maſſæ, evocetur. Huic maſſæ in cucurbita reſiduæ flaveſcenti affundantur

Spiritûs Nitri recentis unciæ tres circiter,

ac denuò, per deſtillationem, igne arenæ abſtrahantur; fortiori ultimo ſubſtructo igne, ad totalem ſpirituum corroſivorum expulſionem. Hic labor, recentis videlicet *ſpiritûs Nitri* affuſio, ejusdemque abſtractio, & tertiâ repetatur vice. Maſſam, in cucurbitâ reſiduam, à cucurbitâ fractâ ſtudiosè ſeparatam (ne aculeis vitreis minutiſſimis inquinetur) aquâ ſimplici affusâ, repetitis vicibus ablue & edulcora; pulverem verò reſiduum, probè priùs ſiccatum ac crucibulo immiſſum, Vulcano, per bihorii ſpatium circiter, committito, ut leniter (continuò tamen candendo) calcinetur. Atque ſic dextrè & legitimè erit confectum hoc *Bezoardicum*, *Solare* nuncupatum. Hoc, ſuper porphyrite probè levigatum, in vitro benè clauſo, quò ab aëre libero arceatur, ſtudiosè aſſervandum.

Sudoriferum & Cordiale admodum præſtans eſt, tempore peſtis, ac in febribus malignis, aliisq; morbis contagioſis, curativè adhibitum: pellis ſudorem, & cor à malignis vaporibus tutatur. Doſis ſcrupulus unus, ad drachmam etiam dimidiam, & ſcrupulos duos: ſi neceſſitas ita poſtulaverit.

Nota; quosdam *Auri* tenaciores Mydas, ad unciam integram, quin ad duas, & ultra, Butyri Antimonii, Auri tantùm unicam drachmam aggregare. Verùm quæ proportio harum Auri minutiarum ad adauctum pondus Butyri Antiomonii? An non virtutes Auri incidat, tumulet ac abſorbeat, perpendat ſecum, qui volet, prudens naturæ arbiter. Etenim ſi (ſubducto tecum calculo) *Bezoardici* hujus *Solaris* ſcrupulum unum pro doſi una annumeres, & Auri etiam drachmam unam, Butyri Antimonii unciæ integræ, ad *Solare* hoc *Bezoardicum* apparandum, tribuas; continebit nihilominùs doſis prædi-

prædicta (nimirum ſcrupulus unus) grana duo ſolummodò, aut ne vix tantum, Auri. Ne proindè *Bezoardicum* hoc *Solare* ſuo diſpar ſit etymo, ac verè aureum prædicari poſſit viribus, & nominis impoſitione; eò laborandum, ut & debitum ſibi pondus vendicet; ſicut expoſtulat. Procedatur igitur modò ſuperiùs ind gitato. Ita enim *Bezoardici hujus ſcrupulus unus Auri grana circiter quatuor vel quinque* continebit, ad deſtinatos uſûs, roborando ſcilicet cordi, & diaphoreſi promovendæ, exquiſitum.

CROCUS ſeu CALX AURI ſive SOLIS.

Crocus Solis diverſimodè parari conſuevit; ſive cum ſalibus Aurum ſaltem coquendo; ſive per Aquas Stygias, aut Regias, illud ſolvendo & præcipitando; aut etiam amalgamatione cum Mercurio, & indè ſequenti leni ac repetitâ calcinatione cum Sulphuris floribus, quousque in pollinem ſpongioſam & levem aſſurgat. Tales parandi modus Clariſſimus *Schröderus* cap. 9. de Metallis lib. 3. ſuæ Pharmac. Medico-Chymic. non paucos deſcribit: quod & *Quercetanus Redivivus* facit, quando, Tom. 2. cap. 5. plurima de Auro producit; quanquam ut plurimùm ſub velo & ænigmatis umbrâ delineata ſint: quaſi verò piaculum fuiſſet morte eluendum, aut certè à Chriſtiano homine alienum, plena charitatis viſcera pandere, ac ea revelare, quæ ad proximi valetudinem, ac vitam tutandam, nata & apta ſunt. Quamquam ſæpius lateat anguis in herba, & ſub humilitatis palliaſtro immanis faſtus, & turpis philavtia, deliteſcat: quando ejusmodi laudum ſuarum præcones, ſe nolle ſanctum dare canibus, ſed iis tantùm per ſignaturas, & umbroſis verbis, myſteria pandere velle, quibus deſuper indultum eſt à Patre Luminum, artis penetralia inhabitare, cùm non ſit obvii cujusque, adire Corinthum; ſesquipedalibus verbis intonant: ſubtractâ interim verborum Majeſtate, & terminorum mendacium ſtybio, ſœda ac ridenda ſuperbia dehiſcit: omnibusque patet, quòd tales hiſtriones inde ſibi admirationem parere voluerint, unde genuinis verbis riſum & cachinnos reportaſſent. Ejusmodi proceſſuum quisquilias ſine numero, & myriades, reperies, indignorum, quibus in Muſæis ſtationem ac aurem præbeas; cùm rugæ & næniæ ſint, ſubſtantias diſſipare natæ iis, quos ſui cupidos ac patronos nanciſcuntur. Miſſa igitur faciamus quæſtuoſa ejusmodi philtra ac proceſſûs, in Lunæ concavo elaborandos. Nos, qui lucem inhabitamus, ſequentibus inſiſtamus: quæ citra verborum ambages revelo.

CROCUS AURI ſeu SOLIS PURPUREUS.

Quamvis hujus *Croci* parandi modus deſcriptus ſit in *noſtris Animadverſionibus*, ſub titulo: *de Cornu Cervi*; libet nihilominùs, illum denuò huic loco, tanquam competenti ſedi, inſerere. Eſtque talis:

℞. Auri finiſſimi, per Antimon. purgati & ſubtiliter laminati, unciam ſemis,
Salis Nitri optimè purificati,
Salis communis, ſeu Gemmæ, ana uncias octo,
Aluminis crudi uncias quinque.

Miſceantur, immittanturque cucurbitæ vitreæ; quibus ſuperaffundatur Aquæ ſimplic. ſ. q. prodiſſolutione dictorum *Salium*; coquantur poſt in arena, igne moderatô, ad ſpiſſitudinem vel ſiccitatem *Salium* priſtinam. *Aurum* totaliter ſolvetur, & *Salibus* permiſcebitur; quibus denuò Aquæ ſimpl. ſ. q. pro diſſolutione dictorum *Salium*, & *Auri*, affundatur; filtretur ſolutio Solis flava, aureiq; coloris; cui gutattim inſtilletur

Olei Tartari per deliquium facti, q. ſ.

quousque *Aurum* totaliter fundum petat: quod per filtrum ab aqua ſalſa ſeparandum, &, aquâ dulci recenti ſæpiùs affusâ, probè edulcorandum, tandemque exſiccandum, & (ſi libet) igne lento per horæ quadrantem calcinandum eſt. Erit *Crocus Solis* pulcher aſpectu, purpureo-violacei coloris; ſi benè operatus fueris: *ſudoriferum & cordiale inſigne*.

CROCUS SOLIS ALIUS.

SOlvatur *Aurum* cum Aqua Regia, ſeu Spiritu Nitri à ſale communi deſtillando vel rectificando abſtracti. Abſtrahatur ſolutio ad ſiccitatem ferè; reſiduum, in vitriolum veluti Auri concretum, commiſceatur cum particula *Florum ſulphuris* (quartâ circiter parte, reſpectu Auri) & leniter calcinando ſub tegula, vel in aprico, ſub camino, in terreo vaſe, (vulgò Treibſcherben) ſulphur adjectum totaliter, ſub continua tamen commotione & agitatione, conflagret. Hic labor (Aurum nimirum relictum cum recenti ſulphure permiſcendo, & leniter conflagrare ſinendo) toties repetatur, donec *Aurum* ſpongioſum fiat, ſeſéque attollat in pollinem ſubtilem, & *Crocum* purpurei coloris; variis uſibus adaptandum cùm ad ulteriores labores, & extractiones *Auri Eſſentiæ*; tum etiam medicamenti vice, uſui Medico ſtatim applicandum.

Eodem modo *Aurum* cum Mercurio amalgamatum, & per exhalationem Mercurii denuò liberatum, ac veluti in pulverem aureum converſum, cum ſulphure, prædicto modo, aliquoties calcinari, inque *Crocum* elegantem verti, & ad uſum internum, ut & ad alios labores & extractiones, poterit uſurpari.

Aurum præterea, in Aqua Regia, ſive Spiritu Nitri à ſale communi abſtracto, ſolutum, cum ſale communi præcipitatum, ſimili calcinatione cum ſulphure, in pulverem croceum mutari poteſt. Quibus pulveribus Auri croceis conſimile eſt *Aurum fulminans*, ſive *ſclopeticum*, ſequenti modo parandum:

AURUM FULMINANS, seu SCLOPETICUM INFLAMMABILE.

℞. Auri purgati & laminati unciam semis, vel q. p.

Solvatur hoc in Aquæ Regiæ suff. quantit. Solutioni huic guttatim Oleum Tartari per deliquium factum infundatur, quoad *Aurum* totaliter præcipitatum, & aqua solvens clara denuò ac limpida evaserit. *Aurum* præcipitatum & luteum ab aqua, per chartam emporeticam, & filtrum, aut per decantationem, separetur; aquâ dulci & destillatâ, sæpiùs affusâ, edulcoretur, quousque nulla ampliùs acrimonia, sive salsedo, percipiatur; pulvis relictus in umbra, leniſſimo calore, vel sponte suâ, exsiccetur, ac cautissimè tractetur, ne flammam concipiat, & detrimentum inferat; quemadmodum promptissimè, vel solâ trituratione paulò fortiori in mortario, accenditur, deorsum vergens, &, quicquid substratum, in frustula disjiciens, cum abstantium periculo & læsione. Auferri tamen potest, si lubeat, vis ejus fulminatoria, affusâ spiritus salis portiunculâ, vel coctione cum aceto destillato, per horas aliquot. *Vires hujus Auri fulminantis sunt Diaphoreticæ & Cordiales. Sudorem item potenter commovet, si ejus grana tria, quatuor, vel sex, sive per se, sive aliis Pulveribus, Electuariis, Confectionibus, aut Laudanis, permixta propinentur.*

AURI AMALGAMATIO, & ejusdem PRÆCIPITATIO.

℞. Auri puri & fini, subtiliter laminati, unciam unam:

quod calefactum, non tamen totaliter candefactum, injiciatur in

Mercurii vivi, supra ignem in crucibulo collocati, & pariter calefacti, donec stridorem quendam edat, uncias octo.

Agitentur & misceantur exactè ferreo stylo, ac protinus, antequam Mercurius effumet, ab igne removeantur, inque aquam amalgama profundatur, ac cum sale & aceto probè sæpiusque lavetur, ad omnem nigredinis & impuritatis ablutionem; donec æthereum veluti acquirat colorem. Hæc amalgamatio, an vera & Philosophica, radicalisque sit Auri solutio, sive principium ejus; ego quidem determinare nolim. Interim tamen, licet communis ea sit & videatur, Mechanicis nec non notissima; tamen spernenda non est; quoniam amicabiliter, & sine ulla fit violentia, aquâ sibi connatâ metallicâ non madefaciente manûs: & quanquam vi ignis aliquantò violentioris, non secus atque alia menstrua corrosiva, & hæc quoque metallica aqua ab Auro haud difficulter segregari queat, non factâ intimâ solutione & putrefactione Philosophicâ: nihilominùs, si ipsa hæc solutio debitè, & suff. aquæ hujus metallicæ quantitate, instituatur, & legitimè foveatur; haud levia sub illa latere arcana, credendum est:

quemadmodum etiam ex alio, quàm hoc fonte, vix ac ne vix quidem suum haurient *Mercurium Philosophorum* ii, qui multum de hoc gloriantur; & longè artificiosiores sibi fingunt *Auri* solutiones. Ast ne videar aureos pollicerimontes; quæ mei nunc scopi ratio non est; quin potiùs in Praxi rariora ex *Auro* producenda pharmaca consignare: quare ulterius L. B. manuduco, &, quid ex hoc amalgamate Auri, ordine & artis serie eruendum, sine ambagibus & umbris communico.

Accipe igitur supradictum *amalgama*, illudque toties *sale & aceto* ablue, quousque omnis ablata nigredo, & colori æthereo simillimum evadat; idque iterum atque iterum tam diu super porphyrite, aut in mortario vitreo, tere, donec per linteum totum exprimi atq; cogi queat. Hoc jam vitro sat largo include, sed quod fundo constet planissimo, ad orbis duplicati formam, uno quasi supra alterum collocato; cujus figuram, in capite de Mercurio, æri incisam conspicies: & solo calore arenæ moderato præcipita in pulverem rubicundissimum, aliquot septimanarum spatio, & nanciscéris *Medicamentum*, *adversus multifarias humani corporis infirmitates præstantissimum; Luem præsertim Veneream, & exinde natos affectûs alios, vulgò vix curabiles.* Quem præcipitatum aureum si ulterius elaborare, augmentare, animare, fermentare, & ad fixitatem deducere animus sit; rem haud exigui fortassis momenti consequeris: idque eò feliciùs, si, in locum vulgaris Mercurii, Mercurium Antimonii, vel nativum Virgineum, substitues. In omnibus autem laboribus Naturam imitare, lentéque festina.

AURUM ESSENTIFICATUM cum ANTIMONII TINCTURA.

℞. Croci Auri, quovis modo suprà edocto parati, unciam semis,
cui superaffunde
Tincturæ Antimonii rubicundissimæ, cap. de Antimonio edoctæ, unciam unam:
& in phialâ, suo tamen parvo capitello agglutinato munitâ, digere per octiduum, leni calore; aucto tandem paulisper igne, donec totaliter exsiccetur, humiditate pauculâ per alembicum transeunte. *Pulveri residuo Auri* denuò tantundem *Tincturæ Antimonii* superaffundatur, digerantúrque uti antea, & tandem exsiccentur: fiatq; *Aurum Essentificatum, ad multiplices infirmitates chronicas, malignas, ac diuturnas sanandas validissimum.*

DE AURI ESSENTIA, sive AURO POTABILI.

NEc Tantalus in undis Stygios laticces in tantum probatur, quantum Auri helluones *Aurum*, idque *potabile*, venantur: ut proinde tot extent processûs, quot capita; dixerim, volumina,

mina, quæ modum artemque tractent, veram *Solis* sive *Auri Essentiam* eruendi: quæ num genuina, an verò apocrypha sint, tibi scrutandum relinquo, quem melior Chymia instituit: & ipse experiêris, quòd maximâ parte falsissimi sint processûs, & absurdissimi. Fateor, anceps, ac in bivio constitutus, mecum volvebam; an operæ pretium foret, *Auri* quandam *Essentiam* tradere: cùm pronum sit, ibidem cespitare, unde multi præcipites corruêre; ac pauci jactantiæ notam evaserint: cùm plurimi sint, qui velut demonstrationem amplexantur, quòd extra Philosophicam, hoc est, veram ac radicalem *Auri solutionem*, genuinum ac reale *Aurum potabile* quærere & invenire nefas sit. At vero, ne videar in hoc unico deesse, & opus ex hoc principio mancum sit, nemóq; cum fundamento refragari possit, particulares quosdam supereſſe processûs, qui æquum mereantur sectatorem: unam proinde atque alteram *Auri potabilis* conficiendi methodum annectam, commendatæ virtutis & energiæ in deploratis affectibus: licet pro Panacea, aut universali pharmaco, non venditem. Plura hujusmodi per discursum in Mantissa hâc proftant; quibus probè consideratis, ad naturæ & artis signacula & arcana, te velut manuduci, deprehendes. Neque absterreat te imbecillis multorum pusillanimitas, qui præproperè desperant, in mineralibus ac metallis, primariò autem *Auro*, extractiones tentari posse; licet cœteroquin in arte haud parum versati sint: ejusmodi tamen conatûs Entia rationis dicunt; cum interim per Mechanicum compertum sit, *Tincturam Auri* (aliis *anima*, *sulphur*, seu *quinta essentia* dicta) separari posse à corpore Mercuriali, Lunæ speciem referente, ejusque proprietates ex integro æmulante. *Mercurius* itaque est Magnes, ex salibus sibi similem salem Mercurialem adscíscens, & secum in altum elevans: dicunturque talia salia mediæ naturæ (scilicet inter fixum & volatilem) quæ, rursùs à Mercurio liberata, fiunt menstrua Philosophica; quibus unicâ guttulâ spiritûs Nitri instillatâ, sulphur, sive colorem Solis à corpore Auri segregant; quod apparet ex spiritu salis & vitrioli, in destillatione butyri Antimonii, & Mercurii sublimati: quem spiritum Vitrioli Philosophicum appellare solent. Hicque color, sive tinctura Auri, modo paulò pòst sequente, spiritui vini vero, ex vino ritè destillato, copulanda. Datur etiam separatio sulphuris Auri à corpore, seu Mercurio suo, per præcipitationem solutionis; ubi corpus residet instar calcis albæ, nullo ingenio, nullâ arte reducibilis; sulphure tingente in menstruo manente.

* Solve igitur *Aurum cum spiritu Salis*, à plegmate tantùm liberato, non totaliter rectificato, ne separetur sal essentialis: ab Auro soluto evoca menstruum per Balneum Mariæ: Auri residuo affunde recens menstruum, seu spiritum salis, iterumque abstrahe; idque ter quaterve, dum videris Aurum ad latera cucubitæ elevari: tunc redde residuo in cucurbita Auro tantum de

* *Essentia Auri.*

destillato liquore, ut dissolvatur, atque commodè transfundi possit in cornutam, seu parvam retortam; eumque adaptato recipiente, & junctûris luto probè munitis, primò igne arenæ leni, fortiori postmodum, urge; dum cum liquore transeat, quantum Auri dissolutum aut volatilisatum fuerit. Aurum residuum à destillatione in retorta, rursus eâdem operâ solvatur, & ab eo spiritus salis recens abstrahatur, donec totaliter, vel maximâ parte discontinuatum transierit. Ab hoc liquore aureo, per baln. Mariæ, separa de menstruoid, quod rarius est, ut remaneat liquor crassus: cui instillabis spiritum vini, spiritu sicco urinæ animatû; & præcipitabitur corpus auri, instar calcis albæ. Quando nihil ampliùs cadit, fundumque petit; fine calcem residere, ut per inclinationem liquorum decantare possis; ab hocque spiritum vini destillatione leni separa, & novum spiritum animatum liquori instilla, ut & residuum corpus Auri præcipitetur. Tunc, separatâ calce præcipitatâ, inde liquorem cucurbitæ vitreæ, & calore cinerum, seu arenæ, leniissimo destilla, donec striæ spiritus vini ad latera cucurbitæ appareant rubicundæ. nam signum est, unum altero, seu spiritum sulphure, secundùm appetitum naturæ, esse satiatum. Sicque Tinctura, sive Essentia Auri in fundo cucurbitæ rubicundissima apparebit, magnarum virium; quæ, addito pauxillo spiritûs vini, è vitro seu cucurbita saltem eluenda, ne quicquam de illa pereat, aut lateribus cucurbitæ, in effusione, inutiliter agglutinatum in residuo hærens maneat. *Servetur, tanquam pretiosissimum medicamentum, in morbis omnibus desperatis; sub dosi trium vel quatuor guttularum, in uno vel altero cochleari vini, vel alio appropriato vehiculo, exhibendum.*

Notandum; quòd, apparentibus striis rubris, si in retorta ultima destillatio instituereur; tota anima, sive Sulphur Solis, seu Tinctura, verùm pauciissima in quantitate (aliquot saltem guttularum; quæ ipsæ tamen non parum spiritûs vini præpositi rubicundissimo colore imbuerent) transiret, & in spiritum vini necessariò præponendum stillaret. Astcùm *Tinctura* hæc sit pretiosa, atque de eâ lateribus vitri multum adhæsurum, quod, propter exilem quantitatem sui, in vas recipiens præpositum transire vix possit; consultius est, ut destillatio in alembico instituatur, &, apparentibus striis rubris, à destillatione statim desistatur; quò residuum sulphur, seu anima Solis, rectificatissimi spiritûs vini particulâ diluat, aut potiùs eluat queat, ac fine ulteriore destillatione usui asservari. Nam *sulphur*, sive *Tinctura Solis* per se in Medicinam non cederet utiliter, ob summam sui activitatem, nisi proportionato vini spiritu sit unita.

Solvitur præterea *Aurum* totâ substantiâ in *Magisterium*, *Aurum Potabile* dictum. Solvitur autem per menstrua sicca & humida, per spiritûs, olea, & salia, variis modis: inter quas solutiones illæ mihi præstantiores videntur, quæ salibus essentialibus & Mercurialibus parantur & perficiuntur. *Cristalli Salis* dulces, sive per destillationem

tionem, instillatione aquæ fontanæ sali fuso, in retortâ terreâ, per tubulum, facti (uti suo loco edocetur) sive quocunque alio modo parati, etiam solvendæ calci Solis, seu Auro foliato inserviunt, cum eoque, sub regulâ probatoriâ, in *Magisterium* non contemnendum transeunt. Simili modo salia fixa secundæ vel tertiæ calcinationis (quando nimirum ab aliquo corpore, v. gr. Vitriolo, caput mortuum elixiviatum denuò in furno calcis probè calcinetur; &, illo tandem priùs ab astris imprægnato, sal extrahatur; quod etiam à tertia calcinatione fieri potest) à sulphure specifico vindicata, aurum fusione penetrant, & calcinant, aptumque reddunt solutioni & extractioni per menstrua homogenea, ex spiritu Vini, vel Saturni, parata.

Nobilior tamen, & Philosophica, solutio illa dicitur, quæ aquâ Mercuriali, sive menstruo homogeneo, peragitur, quo elementa in auro, per naturam anatizata, sive concordia facta, discordia reddantur (scilicet appositione aquæ Mercurii, ut ignis elemento prædominetur, vel Mercurialitas potentiæ sulphuris) dum elementum aquæ sit prædominans: quo ingenio harmoniam illam elementorum in Auro discordem fieri, corpúsque Solare, miræ aliàs, ob summam puritatem, longamque decoctionem, fixitatis & perfectionis, corruere, artique cedere necesse est. Et hinc variæ manant præparationes; & ipsum, divinâ accedente gratiâ, *summum Magisterium Philosophorum, à priscis Sapientibus nomine Lapidis insignitum, morbis ferè omnibus modum faciens, originem ducit.*

Hoc summum antiquorum Philosophorum arcanum nonnisi variis ænigmatibus, notis, atque figuris hieroglyphicis posteritati relictum; contraque DEO soli cordium scrutatori, revelatio tanti secreti vel mysterii commissa: quod revera nil aliud est, quàm ex Auro nativo, & Mercurio non alterato, tertium quid, utriusque particeps, digestione humidâ elicere, illudque, ab heterogeneo separatum, digerere, variatione colorum, ad summam atque purpuream perfectionem. Hocque artificio, ac mediocriter ingenioso, omnia obscura luce clariora capiuntur.

Fiunt præterea *Extractiones* per *Aquas Mercuriales*, quæ putrefactionem à corrosivo liberatæ, & à fæcibus mundatæ, stupendas operatationes edunt, si ad fixitatem perductæ, & spiritu vini ultimò defixatæ fuerint: quod in omnibus fixis sulphuribus observandum est, ut scilicet, post liberationem à suis corporibus, & depurationem, volatilizentur, & spiritui vini uniantur. Nam hoc ingenio quasi vegetantur: hoc est, à regno Minerali, seu naturâ Metallica, in vegetabilem, naturæ humanæ amicam & receptibilem, transferuntur.

Augmentatur quoque *Tinctura Auri* oleis Martis, Veneris, Antimonii, Vitrioli, &c. Sic etiam fit incrementum *Tincturæ Auri* per Regulum Antimonii purissimum, Soli junctum, digestum, & spiritu Salis, vel Veneris, extractum: utpotè,

℞. Auri

℞. Auri puriſſimi unciam ſemis,
Regul. Antimonii ſtellati uncias quatuor:

Liquefiant in crucibulo, igne forti; liquefacta, effundantur, inque pulverem ſubtilem redacta, eousque in arena calcinentur, donec rubedine perfundantur, vel in pulverem rubrum convertantur. Hoc ex pulvere, menſtruo ſupradicto, ſpiritu nimirum Salis, vel Veneris, *Tinctura* elegans elicitur; quæ tandem, cum ſpiritu vini animato, ita elaboranda eſt, ut cedat in Eſſentiam ſive arcanum præſtantiſſimum. Augmentationes enim *Tincturæ Solis*, per ſulphura Solaria, ex Marcaſitis, Antimonio, Marte, Venere, ſunt veluti transplantationes, ſeu inſitiones; non aliter, ac ſi ramus nobilioris arboris, ejusque fructiferæ, ignobiliori trunco, ſeu arbori infœcundo, inſeratur. Sic aurificatur ſpiritus Vitrioli Martis, vel Veneris, per ſulphur, ex Marcaſitis Solaribus, communi modo, per aquam Regiam ſaltem, extractum. Si ſpiritûs quatuor partes ſulphuris uni parti affuſæ, horis xxiiij. vel duabus diebus, digerantur; efficiuntur Cryſtalli Rubinis ſimiles; qui, ſpiritu vini rectificato porrò extracti, in Panaceam abeunt non aſpernandam.

ALIA ESSENTIÆ AURI DESCRIPTIO.

℞. Auri puriſſ. per Antimon. purgati uncias duas,
ſolvatur in
Spiritûs Salis opt. rectificati ſuff. q. quoad totaliter ſolutum ſit. Solutioni huic infunde guttatim

Spiritûs Microcoſmi, ſeu ſalis microcoſmi veri, id eſt, Urinæ, debitè parati, quousque ſtrepitus audiatur, isque totaliter ceſſet.

Solutio hæc, unà cum præcipitato Auro immittatur alembico vitreo, & per M. B. deſtilando abſtrahatur tota humiditas; quæ inſipida erit: quo facto, collocetur cucurbita cum reſiduo ſale & Auro in arenam, deturque ignis per gradûs, donec ſublimetur tota illa ſalina ſubſtantia, aurum ſecum elevans ad capitellum. Peractâ ſublimatione, aſſervetur ſal iſte ſublimatus; cui potior pars Auri ſoluti eſſentialiter inhæret, in vitro probè clauſo. *Aurum* verò à ſublimatione primâ relictum, ac remanens, novo denuò ſolvatur ſpiritu ſalis, ac pari modo cum ſale, vel ſpiritu ſicco, Urinæ præcipitetur, & evocatâ, deſtillationis medio, humiditate aqueâ, in B. M. reſiduum igne arenæ ſublimetur, & quidem ultimò forti, ut cucurbita inferiùs candeat. Atq; hæc ſolutio *Auri*, à ſublimationibus reſidui, eademque præcipitatio, humiditatisque abſtractio, & ſalis ſublimatio (evehentis ſecum aurum) tot iteranda eſt vicibus, usque dum integrum ferè *Aurum* volatiliſatum & ſpirituale factum fuerit. Hinc ſublimatus ſal omnis, affuſâ ſuff. quant. aquæ ſimplicis ſolvatur, ut aurum denuò ab adjuncto ſale liberetur; pulviſculus verò Solaris, fundum petens, probè edulcoretur. Ex hoc tandem edulcorato pulviſculo

viſculo Auri, beneficio ſpiritûs vini ad ſummum rectificati, ſale tamen, vel ſpiritu, microcoſmi animati, extrahatur Tinctura iterato, quousque nil ampliùs de Tinctura conſpiciatur. Tincti ſpiritûs omnes & junctim in M. B. ad oleitatem abſtrahantur, ut liquor rubicundus remaneat pretioſus: qui aſſervandus, ac morbis deploratis opponendus.

Hæc tamen, quæ de *Auro*, ejusque *Eſſentiis*, *Tincturis*, aliisque melioris notæ parandis arcanis remediis, præmiſimus, & quæ univerſaliter, ad mentem antiquorum Philoſophorum, de *vero Auro potabili*, præfati ſumus, ex profeſſo, & acerrimè, impugnat & eliminare nitur Magnus ille Societatis Scriptor & Presbyter, P. *Athanaſius Kircherus*, vir incomparabilis doctrinæ ac talenti, multisque ævo noſtro arcanis tomis, luculenter editis, conſpicuus. Hic, inquam, *Mundi* ſui *ſubterranei Tom. 2. lib. 11. ſect. 2. cap. 1. de Lapide Philoſoph.* Chryſopœiam, Tincturam Philoſophor. ſeu quocunque compelles etymo, nunquam ulli revelatam, aut cognitam fuiſſe hactenus, nec in futurum parabilem eſſe, palàm decidit, apertus Alchymiſtarum antagoniſta. *Nos*, inquit, *mediâ via incedentes, neque χρυσοποιίας ἀδυναμίαν, neque etiam eo modo id fieri, quo Alchymiſtæ illud producere poſſe exiſtimant, aſſerimus.* Quod quidem placitum ac dogma ſuum adeò nervosè tutatur, ut eos, qui contrarium ſectati ſunt, uti *Iſaacus Hollandus*, *Paracelſus*, *Villanovanus*, *Rupiciſſa*, & complures, ludibriis ſannisque rectè ſentientium Philoſophorum ſe proſtituiſſe, apertiſſimè perhibeat. Cujus viri, utpotè Celeberrimi, famâ ac talentis nunquam æquandi, doctiſſimas aſſertiones & argumenta, licèt aperto Marte inceſſere, ac adoriri, neque velim neque auſim: meam tamen interim non tàm opponam, quàm amicè proponam, opinionem; arbitrio cujusvis relicturus, utrinam parti aſſenſus jure debeatur. Definitionem magni hujus naturæ arcani non affero juxta P. Kircherum, *non Entis, Chymeræ, ac non exiſtentis*; ac per conſequens neque genere ac differentia circumſcribendi. Ordior ab eo, quod magno huic viro admirationem peperit, *quòd Lapis Philoſoph omnium pene rerum ſimilitudine deſcriptus ſit*, dum aliis *Cœlum, Chryſoſperma, ſemen Auri, Terra benedicta*; aliis *Aqua viva, Aqua vitæ, Sigillum Salomonis; omnium morborum medicamentum, de quo qui bibit, non moriatur*; & ſimilia, ut ait, *partim ridiculè, partim irreligiosè, nuncupatur.* Verùm feſtivâ proſonomaſiâ, allegoriis, & ſenſu tropologico, hæc ab Authoribus dici, quis non videat, venerandam æmulantibus Antiquitatem: quæ non tantùm hieroglyphicâ brevitate, ſubſtitutis ſignis abditis pro rebus, poſteros æquivocando deluſit: verùm etiam barbarâ verborum aphoniâ Phœnicum & Arabum, à divinandis rerum myſteriis, & naturæ arcanis, deterruit, neminem volens Oedipum? Quorum Elenchum ex dedicatoria *Beguini* epiſtola P. *Kircherus* in ſua transtulit. Unde & de Chryſopœia tractaturi ſcriptores, ſuis ſeſe latibulis & verborum

borum umbris abdidére, proprio quisque abundans sensu ac etymo, tanto potiori jure, quòd neminem, ad similia revelanda, charitatis lex ac character obliget, dubitem, annon inhibeat, quamplurimis abusuris, aut exinde usurariis futuris. Quòd interim *nulla inter Alchymistas harmonia, ac, instar canum, efferâ mordacitate & sarcasmis se petunt ac sæviunt; nullâ consequentia est, lapidem aurificum, & Philosophorum, in natura dari non posse, aut nunquam extitisse.* Avita hæc, ac coæva semper magnis artibus fuit calamitas, ut figulus figulum oderit, sibique malignantes ac æmulos instare deprehenderit: privata hæc, ac proprio vitio accrescens, licentia fuit, magno hujus arcani splendori nullam inducens umbram. Inefficax proinde hoc P. *Kircheri* argumentum censeo, hoc fonte derivatum. Sed, inquit, *vario dissident Alchymistæ conceptu, sensu, ac pathemate, in adstruendâ materiâ primâ Chrysopœiæ, dum alii ad ovorum putamina, bufones, vini substantiam, ac ignobilioris conditionis substrata recurrunt, tanquam materiam ex Qua.* Adquod respondeo, quòd nec mihi cum talibus feriæ sint, nec ulli sensato Philosopho: suo hæreant defixi limo; nobis meliora prostant. Quòd autem aliqui ad *Arsenicum, tanquam causam materialem, profugerunt, patrocinium & authoritatem in vaticinio Sibyllæ figentes*; id nihil urget: & ultrò assero, quòd illo Sibyllæ vaticinio nomen DEI mysticum, ac HOMO DEUS, notâ magnis Ecclesiæ luminaribus paraphrasi, signatum fuerit; & prout olim, uno septuaginta Interpretum ore, concordia S. Spiritûs, & concors Scripturarum veritas, sancita fuit; sic tot Sibyllarum Propheticis metris, ac versibus, *magni Salvatoris Christi adventum, uti & Passionis sacratissimæ seriem, figuratam fuisse*, concedo. Non tamen ex hoc sequitur Lapidis Philosophorum implicantia: quidquid etiam à congruo intulerit R. P. *Kircherus*.

Dico I. (salvo meliori judicio) possibilem esse arte purè naturali confectionem *Lapidis Philosophorum*, seu *Tincturam*, quæ omnia metalla in aurum argentúmque substantialiter tingat, ac projectione sua finitè in infinitum multiplicet; quod probo: Nulla potest hujus, nec ex parte naturæ, nec ex parte hominis, nec ex parte subjecti, seu feminis aurifici, nec omnium horum reduplicativè sumptorum, dari implicantia: ergò naturaliter possibilis est Chrysopœia.

II. Multos hoc lapide dotatos fuisse, probatur ex infra dicendis, contra P. *Kircherum*, & instantiis ibidem afferendis: ergò improbabilis est P. *Kircheri* conclusio Negativa. Confirmatur prior Conclusio: de facto naturaliter, in visceribus terræ, aurum seminaliter propagatur: ergò ratio hujus propagationis & seminii, utpote purè naturalis, à Philosopho comprehendi potest, & arte adæquari; utpote quam multi imitati sunt: nisi unâ negotiatione plus derogare velis, quàm centum Philosophi possint affirmare; quod cujusvis obvii est.

III. Mi-

III. Minimè probanda eſt P. *Kircheri* ſententia, quâ ait, *ex quatuor Elementis tria generari principia, Salem, Sulphur, & Mercurium; atque ex iis ſimul debita proportione junctis metalla generari, arbores produci, &c. ut, ſi quid aliud extra illa quæramus, id veriùs in Utopiâ, quàm in naturæ imperio quærere cenſeamur.* Sed dico, quod & ſibi objicit P. Kircherus, *dari in natura materiam quandam, à dictis principiis diſtinctam, communem, reſultantem & productam ex diversâ commixtione, digeſtione, & alteritatibus ſulphuris & hydrargyri; in quibus vis mineralis ad operandum & generandum exiſtat; è quorum mutuis agendi & repartiendi principiis & cauſalitatibus, traducantur à forma corporum imperfectorum primò generatorum, in formam aliam, ut tandem perveniant continuatis digeſtionibus & purificationibus, ad ultimam illam & perfectam, quæ eſt forma auri, in quâ eſt ultimus motûs terminus*, quem ars etiam conſequi poteſt, ſaltem de poſſibili. Dari autem materiam talem, ſeu *ſulphur ſpermaticum, aut vaporem, ad metalli hujus ſolaris* Geneſin conducentem *primò & per ſe*: ipſe P. *Kircherus* admittit: *Non ignoro autem, tale*, ait, *ſulphur in ſolo auro & argento ineſſe puriſſimum: ſed ab auri incorruptibili & indeſtructibili ſubſtantiâ ſeparare; hic Rhodus; hic ſaltus.* Subſumo ego: Atqui hujus implicantia dari non poteſt naturaliter, quin hujus ſeparationis ars dari poſſit: ergò nihil contra nos infertur. Neque dicat: in definienda materia Chryſopœiæ ignotum per ignotius, ac idem per idem explicari vitioſúmque, committi circulum: alioquin de jure negaverim R. P. *Kirchero*, ullam dari rigoroſam definitionem in Philoſophia, ſed ubique circulum committi; cùm, niſi aſſignatis in rigore genere & differentiâ, his tanquam ultimò rem determinantibus, ſiſtamus; in infinitum procedere quemvis urgebo. Non enim certatur terminis in Alchymia; ſed rebus, ἐγχειρήσει, & operatione manuum opus eſt; in qua non juxta Dialecticam, ſed veram Philoſophiam, omnia deciduntur. Ad cœteras congruentias, quas P. *Kircherus* affert, cur ſcilicet *I. Magnus DEUS non revelaverit Philoſophorum Lapidem ſervis & amicis magnæ ſanctitatis; quibus tamen ſeſe ad ecſtaſes usque communicavit*, ac pleno torrente voluptatis etiamnum viatores potavit: Reſpondeo, hûc illud P. *Kircheri*, quod Achymiſtis objicit, eſſe detorquendum: *qui divites volunt fieri, incidunt in laqueos Diaboli: juxta Apoſtolum*; &: *quæ conventio Chriſti ad Belial?* Semita virorum DEO dicatorum, eſt continuata tendentia ad perfectionem, per omnimodam ſui abnegationem; ſegregando ſeſe à terrenis ſollicitudinibus, quæ à DEO avocare ſolent, uni & ſoli ſpiritui ſeſe mancipantium. Quæſtuoſæ autem ejusmodi artes, (conſulatur Divus & maximus *Hieronymus*, in Epiſtolis) rectâ diametro huic opponuntur fini. Totos ſibi vendicant animos eorum, quos tyrones ſemel nanciſcuntur, ac à DEO faciunt

peregrinari. Unde videmus, plurimos Religiosissimos, ac consummatos Viros turpiter in cogitationibus suis evanuisse, & discinctè conversatos fuisse; dum, in alienam messem falcem suam mittere volentes, lapidem Offensionis, non Philosophorum, Diabolo Alchymistam se fingente, inquisivêre: cùm extra sphæram religiosè conversantium sit, ac alia longè occupatio desideretur in talibus; uti patet ex *Hieronymo*, sanctissimo Ascetâ, Epistolâ ad *Pamach.* ad *Rusticum*, ad *Heliod.* ad *Paulinum*; *ex Bernardo*, in Epist. serm. item 30. super Cantica; ex *Cassiano*, in Collati: Patrum; præcipuè autem *Hugone* de Claust animæ cap. 5. Innumeros producere possem, ex probatissimis Scriptoribus, aut propriâ etiam experientiâ, qui Claustrali observantiæ Chymiam, & artes lucro deditas, qualis Alchymia est, jungere volentes, malo eventu id practicarunt. Notus ex scriptis est *Basilius*, *D. Benedicti Monachus*; à quo *Paracelsus* descendit: *Joannes de Rupescissa*, *D. Francisci Conventualis*: *Valentinus* alter, *Monachus*, *Villanovanus*, & sine numero numerandi; quos apud *Spondanum*, Galliæ Narbonensis Episcopum, & S. R. E. Cardinalem, *Cæsarem Baronium*, Chronographos, reperies: plures etiamnum usu cognosces, quos nostra vidit ætas, totos in laboratoriis demersos: quos minimè judico; cùm his impar sim officiis. E contrà verò participari se finit Clementissimus DEUS, ac naturæ recessûs iis referat, qui inter limites vocationis suæ, orando & laborando, pusilli & humiles Creatori suo adstant, ac gemitibus incessanter plangunt & gemunt, donec exaudiri mereantur: cùm interim inanes dimittat eos, quos ad aram, non verò ad Alchymisticas acerras, destinavit. His enim non Hermetica Apocalypsis scrutanda destinatur, sed ea, quam in Pathmo Insula primus intellexit Joannes: quæ propria eorum est, quibus datum est desuper, *solvere sigillum & aperire librum.*

Demiratur P. *Kircherus*, quâ ratione *spiritus Sapientiæ in animam malevolam migrare potuerit; cùm plurimi fuerint prostitutæ vitæ, Alchymistæ* (quod potiùs privatæ cujusvis libidini & genio, minimè arti innocuæ, accensendum) & *Theophrastum Paracelsum*, Alchymicorum Præsidem nigerrimo signat calculo, figurâ usus, Græcis Polysyndethon dicta, notissimâ Poëtis; dum eum multiplicatis epithetis *convitiatorem*, *blasphemum*, *rixosum*, *ebriosum*, *Atheum*, *ac Magum*, *& hariolum fuisse* arguit, multa contra Virum adducens ex ingrato Paracelsi discipulo, *Oporino*; qualem olim & Plato habuit Cuculum. Ego *Theophrastum* vindicare nolo: adducam tamen pro eo formalia ex subtili illo Philosopho & Medico, *van Helmont*; Titulo: de Magnet. vulner. curat. ubi hæc leguntur: *Novi satis contradicentium mores. Cùm enim nil in rem ipsam momenti habent amplius, contumeliosiores fiunt, & in hominem impingunt: quocirca dicet fortasse aliquis, Magnetismum esse quid novum, à Paracelso sole inventum;*

tum: eum autem fuisse hominem improbum, & ignarum. Tum quod si fuisset uspiam talis virtus naturalis, illam non tot seculis occultam stetisse, & expectasse in adventum Paracelsi. Respondeo, inquit Helmontius, *quoad scommata, & multorum subsannationes, in virum Germaniæ decus instillata, ne nuce quidem digna esse, asserentem eo ipso reddere indigniorem: utpote qui nedum vivos, sed & mortuos judicare annititur. Est itaque objectio superbia sua sterilis, quæ nimirum præter vivos & mortuos, etiam Deum ipsum judicandum assumit.* Hæc ille. Legatur contextus ibidem, quem ego hûc transferre nolui. Ad finem autem sic concludit: *Quæ autem sint Paracelsi opera, & quàm omni expectatione naturæ & linguarum mordacitate majora, ipsius Epitaphium, ab Illustrissimo & Reverendissimo Antistite Principe Salisburgense, illi benemerito funeri appensum, satis invita invidia declarat. Habetur itaque Salisburgi in Nosocomio apud S. Sebastianum, ad templi murum lapidi incisum Epitaphium adhuc hodie visendum: Conditur hic Philippus Theophrastus, insignis Medicinæ Doctor, qui dira illa vulnera, Lepram, Podagram, Hydropisin, aliaque insanabilia corporis contagia, mirificâ arte sustulit: ac bona sua in pauperes distribuenda collocandaque honoravit. Anno 1541. die 25. Septemb. Vitam cum morte mutavit.* Hæc de *Paracelso*, artis Chrysopœiæ instauratore, publica monumenta, Quibus si P. *Kircherus* fidem negarit, interveniente tanti præsulis authoritate; neque ipse demiretur Author, si proprios ejus partûs minûs æquo judicemus oculo.

Post *Paracelsum*, arguit P. *Kircherus Bernaudum;* ex cujus confutatione structuram Lapidis aurifici demoliri studet, dum ex *Bernaudo*, pag. 263. Cap. de Lapid. Philos. adducit; sed, sit venia verbo, (imponit huic Authori) quasi sensisset, *omnem Tincturam, ex Auri Obrizi unciis duabus, & decuplo Mercurii paratam super argenti vivi drachmas duas projectum, ejus tantum drachmam unam in aurum commutasse:* cùm tamen mens Authoris sit, *quòd duodecima pars unius grani, de suâ descriptâ Tincturâ, projecta super duas drachmas Mercurii, seu argenti vivi, tingat seu transmutet hujus drachmam unam in aurum perfectum.* Et quivis, qui artem Spagyricam vel à limine salutavit, conjicere poterit, ab Auri Obrizi unciis duabus, & decuplo Mercurii, plus Tincturæ, post perfectam hujus (Tincturæ scilicet) & Lapidis elaborationem in residuo futurum, quàm duodecimam portionem unius grani, virtute cujus duntaxat unica drachma argenti vivi in Aurum transmutari potuerit, Scrutetur P. *Kircherus*, aut cuicunque vacat, accuratiùs formalia Authoris, ac liquidò deprehendet, quod asseruí ego; scilicet, duodecimam partem unius grani Tincturæ illius, ab ipso descriptæ tingere 60. grana, id est, drachmam unam, argenti vivi, in aurum purum; & sic consequenter. Tincturæ ejusdem granum saltem unicum & integrum,

duodecim drachmas, id est, unciam unam cum dimidia, Argenti vivi; adeóque ultrò calculando, usque ad drachmam unam Tincturæ, quæ sunt grana 60. transmutarentur, juxta mentem *Bernaudi*, unicâ drachmâ illâ, lib. viij. circiter, minùs ʒiij. argenti vivi in purissimum Aurum. Et posito jam, de Auri Obrizi unciis duabus, & decuplo Mercurii, segregatis omnibus heterogeneis, in præparatione Lapidis Philosoph. remanere saltem dimidium, aut minus etiam: annon magnum exindè commodum accresceret operanti? Sed non ideò hæc allego, quasi processum *Bernaudi* per omnia legitimum censeam, qui reverà mancus ac mendosus est: sed solùm, ut remonstrem, *Bernaudum* à R. P. *Kirchero* indebitè refutatum ac notatum acriùs fuisse; cujus mentem ac sensum non erat assecutus.

Fuisse autem quondam viros, qui, citra jactantiam, magnum hoc Lapidis, & Naturæ mysterium cognoverint; probandum mihi restat: uti suprà pollicitus sum. Et verò, possedisse *Theophrastum Paracelsum Lapidem aurificum*, Orbis clamitat, & ad nos vocem reflectunt Magni Rudolphi Austriaci tempora; quibus hoc indubitatum apud omnes percrebuit. Adducam tamen vel unicum, ex *Helmontio*, testimonium, quod reperies titulo: *Tartari historia*: eò directum L. B volo, nimium aliàs futurus prolixus. Habuit Chrysopœiam *Helmontius*. Ita n. ipse de se, tit *Vita æterna*; & tit. *Demonstratur Thesis*, *fol 427*. *Ego itaque*, ait, *renascentiam salvandorum contemplor in naturâ sublunarium & terrena fieri, perindè ac in projectione lapidis Chrysopœiæ. Enimverò vidi illum aliquoties, meisq; contrectavi manibus. Erat enim coloris qualis Croco in suo pulvere, ponderosus tamen, & micans, instar vitri pulverati. Datum mihi semel fuit ejus* $\frac{1}{4}$ *unius grani. Granum autem voco sexagesimam partem unius drachmæ. Hunc ego pulverem Cerâ, ab epistolâ quâdam abrasâ, involvi, ne, projiciendo in crucibulum, per fuligines carbonum dispergeretur: quem deinde globulum super libram argenti vivi ferventis, & recenter empti, in vas triquetrum crucibuli projeci &c.* Mox deindè ait: *aucto igne, sub follibus liquatum est metallum, quod everso vase fusorio, reperi pendere octo uncias auri purissimi. Facto igitur computo, unicum granum istius pulveris convertit 19200. grana impuri ac volatilis metalli, per ignem delebilis, in verum aurum &c.* Plura ibidem: Concludit ergò, Tit. *Vita æterna*, fol. 427. *Inter terrena ergò reperitur præfatus pulvis, quodammodo similis, qui ferè infinitum metallum impurum transmutat in aurum optimum, sibiq; uniendo, ab ærugine, rubigine, carie, & morte defendit, ac velut immortale facit: &c.* Plura ex ipso fonte legat & hauriat, qui volet. Si igitur tanti Viri reverentia apud R. P. *Kircherum* (quem, miror, in hunc locum non incidisse) pondus non habeat; incredulus sim, si plures adducam, quos possem, & vellem. Tamen, priusquam

finem

finem faciam, adjiciam è penu Austriaca, aut potiùs glorioso Ærario, magnum & augustum Chrysopœiæ tributum, quod olim ter felix Cæsarum, FERDINANDUS III. sanctissimæ memoriæ Princeps, perenni gloriâ, & famâ, ad Aram Apollinis suspendit, trophæum: & est Numisma, purissimo Auro conflatum, minimè Sophistico, quod arte, & Mercurio vivo, per projectionem unius grani Tincturæ, ipse FERDINANDUS III transmutavit. Ejus accuratam Delineationem, Æri incisam, subjungo, & pluribus eam edissero:

IDEA NUMISMATIS AUREI.

Hoc, quod coram intueris, Numisma, constat ex Auro, quod è vulgari Mercurio tinctum fuit; cujus libras tres integras ipse FERDINANDUS III. Imperator, gloriosæ memoriæ, manu propriâ, in libras duas & dimidiam Auri puri, beneficio unius grani Tincturæ Philosophorum, transmutavit. Fuissent quidem integræ tres libræ Mercurii transmutatæ, nisi tingenda

genda Mercurii massa semilibrâ illâ proportionem Tincturæ superasset. Neque hîc locum habent insidæ forsan multorum retorsiones, fuisse magnum hunc Monarcham ab Impostore quopiam illicio quodam inescatum supposititio quopiam auro, ad majora aucupanda. Exulent procul indignæ ejusmodi næniæ viro probrosæ: cadere hoc in Principem tam circumspectum, & ævi nostri Salomonem, non potuit; utpotè qui technas, ac mille gyros & anfractûs ejusmodi tenebrionum & pseudo-Alchymicorum ex asse perspectos habuit, quibus obviaret, ut veritatem & naturæ abdita erueret. Quare huic veritati propugnandæ non immemor, sed L.B. perpendere volo, ac subducere calculum, factâ hypothesi, quòd si granum unum libras duas cum dimidia tingat; hæ autem duæ libræ cum dimidia contineant grana 16470. quòd tùm quoque una pars Tincturæ, totidem, hoc est, 16470. Mercurii tingendo transmutet; atque adeò hæc ars transmutatoria sine lucro non sit, & absque fœnore. Addo, confirmationis loco, quòd hæc metamorphosis, & metallorum transmutatio, jam temporibus Magni Rudolphi sæpiùs elaborata fuerit: quod in Germania notissimum. Unde FERDINANDUS III. hoc Numisma in tantum redamavit, ut illud consueto Aulæ magnifico Thesauro adjungi passus non fuerit, sed secretissimo, & conclavis sui scriniolo inclusserit, nullo, aut paucis arbitris. Unde accidit, quòd, cùm recentissimè Ego, apud sacratissimam Majestatem, LEOPOLDUM, per ordinatum & aulicum Thesaurarium Nobil. Dn. Joannem Ladner, hujus rarissimi Numismatis, ac verè Thesauri, mentionem fecissem; neque sacratissimus Cæsar, neque Thesaurarius, hujus notitiam ac copiam habere perhibuerint; usque dum, me humillimè instante, Clementissimus Imperator, in secretissima arcula, reperit, mihique ad 14. ferè dierum spatium, ut domi meæ æri incidendum custodirem, Clementissimè concessit. Exhibuit autem hoc granum Tincturæ FERDINANDI III. vir quidam Nobilis, cognomento *Richthausen*, quem deindè ad Baronis fastigium evexit, motu proprio, Sacra Majestas, & Domini de Chaos titulo insignivit. Perque hunc & mihi, utpotè amicum olim singulariissimum, unius atque alterius unciæ obrizi, & ex Mercurio tincti Auri, copia obtigit: uti de facto tanquam pretiosum thesaurum mihi servo atque recondo.

Hæc pro Chrysopœiæ veritate & possibilitate adstruere volui; quibus tamen si nihil profecero adversus obfirmatos quorundam animos, cum magno illo Viro, *Conrado Wechtlero*, FERDINANDI III. & LEOPOLDI I. invictissimorum Cæsarum Archiatro (Medicæ Facultatis Viennensis Inclytæ membro & columna; qua multi, in Medicina, Viri Principes enutriti, ac etiamnum Clarissimi Medici degunt) exclamare cogor, lib. 2. Hominis Occid. disput. 3. difficult. 6. contra D. Thomam Ægidium, ac Keckermannum: *Quis credat, scientiam hanc Chrysopœiæ homini non fuisse comunicatam, quam Eudamones norunt: quam*

quam Angeli eminenter possident? Aut cum Hugino à Barma Parisiense: *Majestatem naturæ naturantis nondum adoravit, neque naturæ naturatæ decessit satis, qui divini operis Hermetici possibilitatem non credit, realitatem ignorat, vel contemnit.* Accedit, quòd multi viri probi eam certissimè possederint; inter quos *Basilius*, alter *Valentinus*, eam citra dubium habuit. Taceo innumeros sacros reditûs, fundationes, pia legata, quibus sumptuosa monasteria erecta fuêre, non alio Mecœnate, quàm Chrysopœiâ. Loquitur de his Gallia, Hispania ac Italia, me vel altum silente, ut piaculo sit, tot tamque manifesta testimonia, & luculentam fidem, unâ velle refellere negatione. Occurrit mihi *Historia, quam, Helmstadii accidisse, compertum habemus: ubi Cornel Martini Universitatis illius tunc temporis Professor Public. Tractatum quendam, de Lapide Philosoph. manu, Authoris* (Cornelii) *fideliter & industriè*, uti existimabat, *elaboratum, & typis propediem mandandum, ac pro disputatione eventilandum dedit. Intervenit Nobilis quidam vir, moribus ac pietate conspicuus, Cornelio familiaris, qui de more, ad disputandum & argumentandum lacessitus est; cum tamen impar huic oneri esset, re, non syllogismis tantùm Philosophus. Hic ut sententiam suam factis proferret, carbones ac plumbum sibi afferri jussit, & in præsentiâ coram oculis Cornelii Tincturam quandam eliquato metallo injecit, ejusque virtute jam dictum plumbum in Aurum optimum trantulit; deq; eo etiamnum calente, Dom. D. Cornelio particulam notabilem porrigens, hoc subjunxit apophthegma: Heus jam tu, mi D. Corneli, solve mihi hunc syllogismum! Sic ex abrupto argumentatus, spectatores suos multis reflexionibus gravidos dimisit, ac palàm fecit, quid possit in natura genuina Philosophia. Cornelius interim rubore ac verecundia suffusus, palinodiam cecinit, vanas dimittens quæstiunculas, pyrotechniæ se tradidit, futurus per ignem Philosophus; orando & laborando.* Hæc, de *Tincturâ Philosophorum*, quam Adm. R. P. *Kircherus* categoricè negavit, adstruendâ sufficiant: quam, licet perpauci obtineant, è rerum tamen natura proscribere minimè decet. Habet enim & illa, quemadmodum arbor scientiæ boni ac mali Proto-Parentum nostrorum, suum de cœlo genium, qui rhomphæâ bis acuta eam protegat, & curiosos ac indignos arceat; cùm pauci sint, qui virtutem & divitias affluentes jungere novêre. Unde accidit (justo Dei judicio) ut ii, qui ejus vel jam compotes facti, aut eminus eam prospiciunt, confusionem patiantur, eam ex accidenti deperdant, remoram ac obicem DEO opponente, ne: *Aurum & Argentum nundinantes, animæ propriæ patiantur detrimentum.*

PRÆCIPITATUS AUREUS, seu ARCANUM CORALLINUM.

℞. Mercurii ſublimati dulcis cryſtallini, ſine Nitro, cum Sale & Vitriolo ſaltem ſublimati, & aliquoties ſublimatione iteratâ purificati, unciam unam,

Croci Solis ſpongioſi, ſupra edocti, per Mercur. & Sulph. parati, drachmam unam, vel unam ſemis:

Terantur probè in lapide porphyrio, immittanturq; ovo Philoſophico Hermeticè claudendo, vel potiùs phialæ planæ (uti in capite de Mercurio indigitabitur) & in arenæ igne (non admodum leni) debito præcipitentur, figanturque, usque dum fiat Præcipitatus rubicundiſſimus. *Habebis ſecretum Præcipitatum haud exigui valoris*: quo fruere.

BALSAMUS SOLIS, ſeu AURI.

AD eandem normam, quâ è ſulphure crudo, item metallis imperfectioribus, utpotè Ferro, & Mineralibus, nimirum Antimonio &c. per olea deſtillata, ſive ex Junipero, Terebinthina, corticibus Citri, Aniſo, &c. Tincturæ elici poſſunt, ob balſamicam ſymbolizationem ac amicitiam, quâ olea deſtillata feruntur ad ſulphura ſimplicia metallorum & mineralium; pariter ex Auro, cum prædictis oleis deſtillatis, quocunque horum denique libuerit, Tinctura elici poteſt: ſi nempè croco Solis, ſuperiùs edocto, horum oleorum alterum ſuperaffundatur, ad ſupereminentiam unius vel duorum digitorum transverſorum, deſuper autem de ſpiritu ſalis ritè deſtillato ſuff. q. guttatim infundatur: brevi denique & leni digeſtione peractâ, apparebit *Color & Tinctura Auri* in affuſo oleo; quod filtrandum.

Verùm enim verò *Tinctura* hæc ex oleo difficulter iterum ſeparari poterit, ſive ex Auro, ſive ex alio metallo, aut minerali ſit extracta; proindè neceſſum eſt, ut conjuncta maneant ad inſtar *balſami ſulphuris*. Licet enim ſpiritu vini ſummè rectificato, extractionem ulterius Tincturarum ex oleo, quovis modo tentaveris; experièris tamen, totum conamen irritum ceſſurum, teque oleum perditurum atque operam. Quapropter ſi cui volupe fuerit, etiam ex *Auro Tincturam* confícere *balſamicam* cum prædictis oleis deſtillatis, is illam ſine ulteriori extractione, deſtillatione, aut quâvis torturâ aliâ, uſui deſtinet Medico: cùm neque nauſeam creet, nec corroſiva ſit. Nam cum ſulphuris vulgariter parata *Tinctura*, pariter cum oleis deſtillatis extracta, quæ *Balſami Sulphuris* venit nomine, tanti æſtimetur in Medicina, & non exiguo, in quàm plurimis humani corporis affectibus, ægris auxilio cedat, frequenti teſte experientiâ; quidnî & *Balſamus Solis*, ſive *Auri*, aliorumque metallorum & mineralium,

salium, ſuis propriis triumphabunt virtutibus. Aſſero itaque, & nullus dubito, quin & hic *Auri Balſamus*, juxta diverſitatem olei extrahentis, non minimas virtutes exerturus ſit in roborando corde, exulcerationibus internis, febribus malignis, & peſte denique ipsâ: in quibus cùm præſervativè, tùm curativè adhiberi poterit: idque à gutt. vj. ad x.

Et hæc de *Auro*, medicamentisque ex illo conficiendis, attuliſſe, ſufficiat. Qui verò ſuperfluitate pluralitateque numeroſa Proceſſuum ſaltem delectatur, is adeat. *Quercetanum* atque *Schröderum*: (Oedipus autem ſit; non Davus) & ſatiabitur ibi non ſolùm *Auro potabili*, ſed & aliis modis, diverſæ ſpeciei medicamenta ex Auro conficiendi, ſed titulis atque nominibus peregrinis involuta, nullis aliis, niſi filiis doctrinæ, uti appellant, revelanda. Inter quos ſanè ego quidem non fuero conſignatus. Me enim latent hyperbolica illa & ænigmatica, pleraque fortaſſis Authoribus ipſis, Patribus filiorum, incognita: imò ea ſibi ſolis ſervent, & hac ſuâ felicitate utantur, & valeant.

Reperientur quidem plures modi, *Aurum* ſolvendi, & medicamenta ſalutaria exindè conficiendi, juxta diverſitatem menſtruorum, aquarum mineralium, aliarumque rerum, ſive ſublimatorum, cùm ſolventium tùm extrahentium *Aurum*, aut cum eo ſeſe unientium; ſed ex iis ea ſemper ſeligenda ſunt, quæ *Auro* magis amica, & ex mineris eidem congenitis originem trahunt; qualia ſunt: Marcaſita aurea, Germanicè Goldkieß; è qua, deſtillando per retortam vitream, igne aperto, per gradûs dato, aqua quaſi inſipida elicitur. Hoc tamen, hâc obſervatâ lege, ut dicta Marcaſita, in pulverem priùs redacta, retortæ planæ vitreæ in fundo, cum collo oblongo & lato, eodemque non multùm contorto, ſed directo, immittatur, & quidem in exiguâ quantitate; haud ultra dimidiam libram ejus ſimul & ſemel deſtillationi committendo: ſecus enim irritus omnis labor fuerit: quandoquidem, ob largam Marcaſitæ copiam, ſi hâc retorta exceſſivè foret repleta, ſpiritûs proprii permeare minimè valerent, ſed invicem in & à ſe ipſis conſumerentur, figerentur. Nec aliter contingeret, ſi retortæ collum nimis fuerit anguſtum: eo enim in caſu ſpiritûs exſudantes protinus repercuterentur, & repercuſſi in ſuomet corpore figerentur, & conſumerentur. Quapropter in deſtillatione hujus aquæ mineralis omnia præmonito modo ſtudiosè ſervanda ſunt. Hâc autem aquâ, ſeu ſpiritu minerali Aurum amicabiliter ſolvitur, & repetitâ ejusdem abſtractione, id ipſum ita ſubtiliſatur, ut facilè poſtmodum cum Mercurio vulgi nativo virgineo, vel etiam Antimonii, in Mercurium duplicatum, REBIS Philoſophorum, converti, ac exinde tandem verum Antiquorum Aurum potabile confici queat. Præterea ex ipſo nativo & naturali Auro, vel ex India Orientali & Guinea apportato, vel è fluminibus quibusdam, Danubio præſertim, miniſterio loturæ collecto, & ſabulo ſegregato, vulgò Waſchgold (quod tamen Vul-

cani torturam & examen nunquam ſuſtinuit, neque beneficio aut ope Mercurii erutum eſt,) albicans ſiccusque ſublimatur ſpiritus ad ſupra dictum ferè modum : exiguam licet quantitatem & vix ſcrupulum, vel dimidiam drachmam, ex Marca, vel libra una, Auri talis adepturus ſis. Hujus tamen ſi tibi copia ſuppeteret, uti quoque haud magnis expenſis : ſi quis præſens eſſet, ubi ſervitio loturæ è fluminibus illud hauritur, aut ex limo, ſive terra pingui, excernitur (ut fit in Guinea) comparari poſſet ; Aurum enim reſiduum à ſublimatione manet Aurum, ſuo ſaltem volatili ſpiritu connato ſibi, qui aliàs in neceſſaria liquatione Auri protinus avolat atque deperditum it) haud protriti momenti arcanum poſſideres, pro vero Auro potabili adipiſcendo, ejusdemq; Tinctura conficienda, aptiſſimum.

Similis porrò materia, & ſublimatum Mercuriale albiſſimum, è rubicunda Auri minera, vulgò roth gulden Erꝛ (quæ tamen potius *Argenti minera eſt ;* cùm è reſiduo ſublimationis, ſi negotio & liquatione, argentum purum eliciatur in abundantia ; imò vel tota minera reſidua, ſi pura fuerit, purum argentum futurum ſit, paucis refertum ſcoriis) leniſſima ſublimatione, præmiſſâ propemodum hebdomadali fixatione, in arena, elicitur ; cujus copiam ipſe penes me habeo, Marte proprio elaboratam : deque hoc ſublimato non pauci, nec negligendi proceſſus & labores, arcanaque nota ſunt nunc : olim in laboratoriis Regum & Principum ſaltem trita & elaborata ; quæ hoc loco publicare, de tempore non eſt, nec negotia admittunt. Qui verò in laboribus Chymicis ſecretioribus exercitatus eſt, is facilè aſſequetur, quorſum hæc, paucis, ſed clarjs verbis, absque hyperbole, indigitata colliment. Curioſis enim, & in arte Chymica peritis (quibus pauca, ſed, uti patet, perſpicua) hæc ſcripta eſſe volo. Hanc autem *Auri mineram* rubicundam non eſſe de nihilo, cenſendum eſt : utpote permagni, ſicut olim, ità non minùs adhuc hodiè, æſtimatam, cum à *Paracelſo*, tum ab *Helmontio ;* uti ſequentia demonſtrant, nimirum quæ prædictus *Helmontius*, in ſuis Operibus, de illa commemorat, utpote *1. pag. mihi 574.* ait : *Natura produxit in Monarchia ſubterranea minerale quoddam, quod, ob ſui ſingularitatem, vocatur à Paracelſo Metallus primus ſive maſculus. 2. pag. 577.* inquit : *Sulphur Glaure Augurelli, quæ Nympha alio nomine proprio hactenus caret.* 3. pag. 604. *Electrum minerale immaturum Paracelſi, collo appenſum, liberat, quos ſpiritus immundus perſequitur & angit.* 4. pag. 790. *Electrum minerale immaturum, è quo Lili tinctura.* Hæc ille. E quibus patet, haud exigua in hac minera latere arcana, ab eo, cujus operibus benedixerit Altiſſimus, fortaſſis impetranda.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

DE

ARGENTO METALLO,

SEU

LUNA.

ARGENTUM nobile Metallum ; ignobilius tamen, ac imperfectius *Auro* est, at reliquorum sequentium nobilissimum & perfectum, ob sui in igne constantiam : albissimum, splendens ac ductile ; compactum ex principiis (scilicet Sale, Sulphure, & Mercurio) in visceribus terræ non minùs perfectis, quàm puris, beneficio caloris centralis perfectè coctis & maturatis. Dicitur à Chymicis *Luna*, & æquiparatur *Lunæ cœlesti*, eò quòd in *Macrocosmo Lunam*, *in Microcosmo verò Cerebrum* sympatheticè & analogicè repræsentet : quâ etiam de re cerebri & capitis robur est, spiritusque animales confortat : unde in plurimis capitis, cerebrique affectibus ; uti sunt, *Apoplexia*, *Epilepsia*, *Mania*, *Melancholia* ; *& morbis similibus curandis*, *peculiaris efficacia perhibetur*. Videatur *Quercetanus*, cap. 6. de Luna, seu Argento, Tom. 2. pag. 636. uti & *Schröderus*, lib. 3. cap. 10. pag. 373.

BEZOARD'CUM LUNARE.

℞. Argenti, seu Lunæ finæ, unciam unam,

solvatur, in laminas tenues priùs deducta, cum

Spiritûs Nitri ritè destillati. ſ. q. porrò solvantur

Butyri Antimonii, à sua cinnabari rectificati, unciæ duæ vel tres, itidem cum

Spiritûs Nitri ritè destillati. ſ. q. sensim & guttatim prædicto butyro affundendo, quousque omnis effervescentia & strepitus subsideat : quod signum est perfectæ solutionis.

Hæ duæ solutiones conjunctæ abstrahantur, destillando in cucurbitâ vitreâ, igne arenæ, ad siccitatem massæ albæ viridescentis. Huic residuæ massæ denuò alius *Spiritus Nitri* affundatur & abstrahatur ; idque tertia, vel quarta etiam vice repetendum ; ultimò fortissimo igne urgendo, ad omnimodam spirituum corrosivorum expulsionem ; singulis tamen vicibus ante repetitam *Spiritûs Nitri* affusionem, massam super porphyrite conterendo. Massa deinde à terna vel quaterna *Spiritûs Nitri* abstractione residua, & subtilissimè trita, aquâ simplici sæpiùs affusâ, ſ. a. edulcoretur, donec omnis acredo à spiritibus corrosivis residui ablata sit. Pulverem tandem *Bezoardicum*

dicum bihorii ſpatio circiter, in crucibulo, igne aperto, probè calcinatum uſui reponito.

Valet ad morbos Lunares, cerebri & capitis, Epilepſiam putà, Apoplexiam, Paralyſin, Melancholiam, & Maniam. Eſt quoque Alexipharmacum præſtans. Doſis ſcrupulus, ad drachmam ſemis.

LUNA POTABILIS.

QUàm varii proceſſûs & modi, *Lunam* conficiendi *potabilem*, hinc inde circumferantur, caput XI. 3. de Argento Clariſſimi *Schröderi*, Pharmac. ſuo Medico-Chymicæ, pag. 373. & ſeq. ut & cap. VI. Doctiſſimi *Quercetani*, pag. 636. uberrimè demonſtrant. Sed re ipsâ loquente, omnes ejusmodi ferè proceſſus vel Oedipo opus habent, qui ſecreta occulta in earundem apparatione nobis pandat: vel *meræ ſolutiones* ſunt *Argenti*, nauſeoſæ ac inſalubres, quæ aliàs, expedito negotio, per *ſpiritûs urinæ*, aut *ſalis Armoniaci*, ſalſos, imò vel ſolo aceto deſtillato, è crudo Argento parabiles ſunt, quæq; ſtomachum, vel in minima doſi aſſumptæ, ſubvertere, ac ſurſum deorſumq; commovere valent. Propterea etiam difficile eſt, certi quid hâc de *Tinctura* & *Eſſentia Lunæ* ſtatuere, quâ ratione absque nauſeoſo & inſalubri Vitriolo apparari poſſit; niſi univerſali procedatur ſemitâ, convertendo Lunam per Mercurium in Mercurium, primumque ſuum eſſe, ac diuturnis tandem operationibus Spagyricis ad ſummam fixitatem, albiſſimumque Magiſterium Sophorum. His tamen non obſtantibus, unicum ſaltem modum conficiendi *Lunam potabilem*, qui præ cæteris mihi arridet, & vel ob menſtrua extrahentia virtutibus ſuis non carebit, juris communis faciam, qui talis:

℞. Argenti puriſſimi, per Saturnum legitimè purgati, uncias tres,
ſolvatur cum ſ. q.
Spiritûs Nitri ritè deſtillati:

Solutionem abſtrahito in cucurbita vitrea, donec cuticula quædam appareat. Quâ frigefactâ, in *Cryſtallos*, hoc eſt, *Vitriolum Lunæ*, convertatur; in patella vitrea leni calore exſiccetur, inq; pulverem albicantem convertatur: cui pulveri poſtmodùm admiſceto

Salis Armoniaci ſemel atque iterum ſublimati duplum.

Relinquantur aliquandiu aëri humidiori libero expoſita, quoad colore cœruleo virideſcente imbuantur; hoc facto, immittantur cucurbitæ vitreæ, ſuo capitello munitæ, & in arena ſublimentur; & ſic *Sal Armoniacus animam Lunæ* evehet, quæ, poſt reiteratas ſublimationes, addito recenti ſemper ſale Armoniaco, per elixiviationem cum aq. ſimpl. à ſale dicto ſeparanda eſt: & ex hac tandem *Tinctura* ſeu *Eſſentia Lunæ*, per ſpiritum vini ſummè rectificatum, ſale tamen volatili microcoſmi eſſentificatum, extrahatur, repetitâ recentis ſpiritûs affuſione, quoad omnis Tinctura prolecta ſit. Tincti denique ſpiritûs omnes, ad uncias

cias trea circiter, in M. B. abſtrahantur; &, ſi cœruleus Tincturæ Lunæ color diſparuerit, addatur reſiduæ abſtractæ Eſſentiæ nonnihil ſalis microcoſmi volatilis; quæ, hoc pacto colori ejus cœruleo, ſi is tantoperè deſideretur, reſtituta, ac virtutibus prægnans, pro affectûs exigentia, in promptu retinenda eſt.

Non pauci numero ſunt, (quod è ſuperioribus repeto) proceſſûs *Argenti* ſeu *Lunæ potabilis*, qui ab Authoribus traduntur & traducuntur; in quorum numero Clariſſimus quoque *Agricola*, in Tractat. ſuo de Argento, pag. 128. modum quendam non contemnendum publico donavit, qui ex Argento puro, cum Tartaro Vitriolato illud ſtratificando & cementando, ſive leniter calcinando, Vitriolum Lunæ apparare docet. Ex hoc ſcilicet vitriolo Lunæ, admixtis ſilicibus, ſpiritum per retortam, more conſueto, deſtillare jubet. Hinc ex alia Luna ſeu Argento, ſpiritu Nitri ſoluto, & in Vitriolum ſ. a. converſo, additâ tripla ſalis Armoniaci quantitate, animam Lunæ per ſublimationem, (*uti ſuperiùs oſtenſum*) in altum elevare & ſegregare præcipit: quam poſtea à ſale Armoniaco, edulcorationis labore, affluente aquâ ſimplici, ſeparatam, inque pulverem converſam, cum ſpiritu ſupradicto proprio, è Vitriolo Lunæ deſtillato, extrahere, donec omnis tinctura prolecta ſit, huncq; porrò ſpiritum tinctum deſtillando abſtrahere, & ex reſiduo tandem legitimo vini ſpiritu Eſſentiam Lunæ elicere, illamque ultimò ad Oleitatem deſtillando abſtrahere, vel totaliter, præmiſſâ circulatione, & fermentatione, per alembicum, vel retortam parvam, propellere edocet. Hanc *Eſſentiam* præ cœteris magni æſtimo, quamvis, gravioribus laboribus & expenſis parta, non levi veniat pretio. Obſervare enim decet, hæc, & hujus generis alia, ex *Auro*, *Argentoque ſumptuoſiora remedia & arcana* tenuioris fortunæ hominibus, aut infimæ ſortis, minimè apparari. Nam & his DEUS debita ordinavit Pharmaca, quibus lapſam naturam erigant ac foveant: dum pretioſa hæc opulentioribus cedunt; qui nullis parcunt theſauris, ut ſanitatem ac vitam tueantur.

Eximias hujus *Tincturæ* dotes prædictus Celebris Chymicus multis extollit, ubi & doſin, ac utendi praxin edocet; quæ B. L. pro uberiori notitiâ conſulere poterit.

Deinde idem *Author*, in eôdem, de *Luna*, tractatu, pag. 155. *Cryſtallos ſeu ſingulare Vitriolum ex Luna ſeu Argento, cum Nitro fixato parare* docet; *fidiſſimi ſpe remedii, quod hydropem anaſarcam & aſcitem perſanet.* Cujus ſi libuerit copia; ejus ibidem reperies modum parandi.

CAPUT

CAPUT III.

DE

CHALYBE

SEU

FERRO.

FERRUM, cœteris Metallis ſolidius, conditionis tamen inferioris cùm à vulgo, tùm à Chymicis cenſetur. Rem verò ſi exactius perpendamus, & veritati ac experientiæ auſcultemus; ultrò fateri cogemur, *Ferrum*, præ reliquis metallis, tàm medicinis, quàm reliquis humanis neceſſitatibus ac uſui deſtinari: maximè cùm ex eo pharmaca paucis expenſis & ſolertiâ, reliquis palmam præripientia, apparari valeant

Quanquam nonnihil derogare videatur huic metallo uberior ejus proventus & frequentia, quâ ubique proſtat; cùm ea ſolùm chara ſint, quæ rara: licet præpoſtero modo; quin potiùs eluceſcat Divina ex eo in nos providentia, quòd illa multiplicare dignata eſt, quibus feliciùs in vitam ac ſanitatem erigimur.

Compertum autem eſt, *Ferrum* ex iisdem, quibus reliqua metalla, prognatum eſſe principiis, à Sale videlicet, Sulphure, & Mercurio; inter quæ Sal atque Sulphur dominio ſuperant Mercurium: quamobrem & *ſolidius metallum ferrum eſt*, ac ad liquationem ſui ingenti ignis fulmine opus habet. Eſt præterea aliqua *differentia inter ferrum ac ferrum*, quoad *loci natale ſolum*, *climata*, *ac ferri-fodinas*, è quibus eruitur: dum id, quod *præſtantius* eſt, *& purius*, *Chalybs* appellatur; quem tamen naturaliter è ſimplici ferro ars æmulari didicit.

Cœterum *Mars*, ſeu *Metallum* hoc *Ferrum magnas à natura dotes & Medicas prærogativas adeptum eſt.* Quamobrem & Majores noſtri, quorum Anteſignanus, ne dicam Princeps, *Galenus* (quantum inter Medicinæ exordia ac cunabula vacillans ars præſtare potuit) crebrò *Ferrum*, medentes, ordinarunt, tàm intus, quàm deforis adhibendum; adeò quidem, ut, citra ambages, ac prolixos artis proceſſûs, crudum ac limatum exhibuerint; qua de re Clariſſimus *Quercetanus*, cap. VII. de Marte, pag. 368. conſuli poteſt. *Laxat*, *& adſtringit*, *juxta diverſas præparationes ejus*, *aperit obſtructiones*, *& ſoluta glutinat*, *pungit* (ut dicitur,) *& ungit*, *ſauciat & ſanat.* De quibus, juxta vera Chymiæ Theoremata, plura in ſequentibus.

VITRIO-

VITRIOLUM MARTIS.

A Solutione Metallorum analyſin auſpicamur. Niſi enim in principia & elementa Chymica redigantur arte & induſtriâ, Viri boni remedium non ſunt. Proinde & Martem in Vitriolum, quo conſtat, primo labore reſolvere, ſtat ſententia.

Non obſtante, quòd *Ferrum metalla reliqua ſoliditate ſuperet;* haud difficili tamen negotio ſolvitur; cujus rei cauſam quidem in ſalem ſui generis, ſeu metallorum conjicimus, quo præ reliquis abundat; tum etiam in ſulphur prædominans, & ſcoriarum multitudinem, à quibus ſummam ſoliditatem nanciſcitur. Quocunque enim corroſivo ſpiritu diſſolutionem ejus attentes, ſcorias reperies in reſiduo illæſas. Reſolvitur autem *à ſpiritibus quibusvis acidis & corroſivis, Vitrioli, Sulphuris, Nitri, Aquâ forti &c.* imò *aceto ipſo;* à nullo verò tàm perfectè, quàm à *Vitrioli, aut Sulphuris, ſpiritu;* vi cujus in *vitriolum ſuum viride cryſtallinum* abit. Nam ſi cum Nitri ſimul, atque Vitrioli, ſpiritu ſolutionem *Martis* ſeu *Chalybis* attentaveris; deprehendes, quòd non æquè ſpecioſum nacturus ſit *Vitriolum*, ſed quatenus volatilitatis ſimilitudine inductum, in abſtractione Menſtrui periturum, exiguâ quantitate corporis ſalini vitriolati relictâ; quemadmodum ex præparatione ſpiritûs Acidularum Spadanarum ſic dict. in *præcedentibus meis Animadverſ.* conſpicua, manifeſtum fit; idem ferè contingit, ſi cum Aquâ forti tentes ſolutionem. Aceto deſtillato ferrum quidem roditur; perfectè tamen non ſolvitur, nec in Vitriolum ejus convertitur; quin potiùs in Crocum, pulverem flaveſcentem: aut, ſi extractio ſuffic. quantitate aceti affusâ fiat, tum ſubſtantiam ſubdulcem vitriolato-ſalinam, abſtracto aceto, remanentem reperies. *Salia* porrò *acido-ſalſa*, qualis ſal communis eſt, Ferrum, Aurum, atque Argentum aggrediuntur, aſt corrodendo ſolùm & erodendo rubiginem, & crocum è ferro eliciendo; *Salia* è contra, *purè ſalſa*, uti ſal Tartari, cum reliquis lixivialibus, è vegetabilibus petitis, idem non præſtant; in vaſis enim ferreis cocti ejusmodi ſales, neque ſaporem, neque æruginem ab iis, ſcilicet ferreis inſtrumentis, contrahunt. Evicit igitur experientia, *Ferrum* ſeu *Chalybem*, nullo alio menſtruo, quàm *Vitrioli & Sulphuris ſpiritu, in genuinum Vitriolum verti ac ſolvi poſſe.* Quippe & illa ſolutio Ferri calcinatoria, quæ cum ſulphure crudo peragitur, juxta *Crollium*, quam & ipſam ſuperiùs jam tum, convenienti loco, ex Indice conſpicuo, tradidimus, perinde à ſpiritu ſulphuris (quem flagrans ac ardens ſulphur eructat; & eructando confeſtim ferrum proximè attingit ſolvitq:) ſolo & unico perficitur. Quapropter & illam ferri ſolutionem in Vitriolum, præ omnibus aliis commendatam volo; quoniam pretio & ſumptibus conſulimus; leges artis adimplemus; & meliùs quidem, quàm eâ, quæ prolixis laboribus, velut totidem ambagibus, perficitur. Ne autem Tyrones

ambiguos dimittam, ac pro factis verba reddere videar; ipsa Praxi ostendam, quâ ratione Ferri solutio in Vitriolum, quod Martis vocant, per *Vitrioli*, aut *Sulphuris spiritum* legitimè instituatur, & fit sequens paradigma:

Accipe *Limaturam ferri*, eique, vitro amplo immissæ, superaffunde Spiritûs Vitrioli, sive sulphuris, duplo vel triplo aquæ simplicis priùs diluti, quantitatem sufficientem, usque dum videris Ferrum ab affusione calefieri, & pro maxima sui parte solutum esse; cavendo tamen, ne confestim spiritus affundatur, verùm successivè ac pedetentim, ne nimium excalescat solutio, & sublime petat, non sine periculo adstantis, & rei totius dispendio. Factâ solutione, porrò aquæ simplic. copia affundatur, repetitis vicibus, pro exacta Vitrioli extractione; solutio filtretur, ac in sartagine ferreâ leniter exhalet, ad cuticulam apparentem: tum in frigido concrescent crystalli, qui à reliquo liquore separandi & leniter exsiccandi: residuus verò liquor ulteriùs paulisper exhalet; ut, in frigore collocatus, crystallizetur. Id toties repetendum, quousque totus verò liquor in Vitriolum seu crystallos conversus fuerit, separato qualibet vice sulphure, vel pulvere flavo, fundum petente.

Ex *Vitriolo Martis*, sive illud reiteratâ ferri calcinatione cum Sulphure, juxta *Crollium*, sive præfatâ solutione cum spiritu Vitrioli paratum fuerit, varia medicamenta, eaque sanitati multum consulentia, confici possunt: utpote *Spiritus subdulcis*, *Crocus aperiens*, *& etiam adstringens*, *Essentia*, *Tinctura*, *Sulphur anodinum*, *&c.* Per se tamen *Vitriolum* hoc non minùs usui medico favet, *obstructiones hypochondriorum refert*, *menstrua suppressa promovet*, *ac variis morbis medetur*; *sumptum à granis v. vj. vel vij. saccharo*, *aut alio vehiculo convenienti*, *permixtum*.

SPIRITUS VITRIOLI MARTIS.

℞. Vitrioli Martis, sive per spiritum Vitrioli, sive per calcinationem cum sulphure parati, libras decem, vel quindecim,

Hoc immittatur *ollæ vitreatæ*, & super igne leni carbonum calcinetur ad cineritium aut flavescentem colorem; calcinatione hâc leni peractâ, redigatur denuò in pulverem, atque retortæ vitreæ probè lutatæ immissum, igne aperto, præposito priùs recipiente ampliſſimo, fugis undiquaque, ne quid exspiret, benè clausis, gradatim, ac secundùm artem, destilletur; igne ultimò unâ atque alterâ die aucto, & fortissimo reverberii, ad totalem humiditatis radicalis, oleique rubri expulsionem, quousque nebulæ egredientes non ampliùs conspiciantur: & postquam paulisper refrixerint, vas recipiens cum spiritibus protinus auferatur, ne attractione ficciſſimi capitis mortui, spiritus in recipiente commoti retrocedant & dispereant. Quibus omnibus legitimè peractis, asservetur hic:

hic *Spiritus* saltem filtratus, sine ulteriore rectificatione, aut phlegmatis abstractione. Neutrum enim necessarium duco, quoniam abstrahendo phlegma per destillationem, tollitur unà spiritus ejus sulphureus, summè tamen expetendus & conservandus, ob virtutes, quibus pollet, attenuantes & penetrantes: quibus obstructiones viscerum reserat, & ventriculos cerebri permeat; unde & Epilepticis & Apoplecticis destinatur. *Per* rectificationem *itidem* tollimus oleum ejus rubrum & fixum, essentiâ Martis tinctum; *quod* ventriculo & visceribus reliquis naturalibus roborandis permagno est solatio: hoc autem per rectificationem spiritui detrahere, nefas esse existimo.

Cæterum, spiritus hic Vitrioli Martis gratissimi saporis est; cum moderata enim aciditate dulcedinem quandam sapit: Hepati, Lieni, & Ventriculo roborando; tum etiam obstructionibus eorundem reserandis efficax est, in vehiculis quibuscunque, Juleulis, Electuariis, Conservis, Confectionibus & Julapiis, exhibitus.

CROCUS MARTIS ADSTRINGENS.

Residuum, à destillatione spiritûs Vitrioli Martis, caput mortuum, sic dictum, (è quô, uti sedulò inculcavi, ejus spiritus totus, unà cum oleo rubro, totaque radicali humiditate, urgente extremâ vi ignis biduô continuatâ, expulsus fuerit) *verus ac legitimus Crocus Martis est adstringens, liber ab omni salsedine, solâ virtute exsiccante & adstringente gaudens:* quâ de re non solùm sine edulcoratione & humectatione asservandus, verùm etiam ab omni aëre humido studiosè præservandus, ne attractione hujus, & astrorum veluti imprægnatione, suam totam naturam immutat, & deperditâ suâ virtute *adstringente*, in *aperientem* transmutetur.

Valet ad immoderatos & cruentos alvi fluxus; hæmorrhagias quascunq; sistit, cùm introsumptus, tùm externè vulneribus sanguine manantibus insperſus.

Nota: Aliam *Croci Martis* adstringentis præparationem, *prævia Animadvers. n. pag. 458.* edocent; proindè & ea, quæ de *Colcotharis* edulcoratione, pag. 408. *earundem Animadverſ.* studiosè notavi, & quæ notatu digna sunt, pro majori *Crocorum Martis*, cùm *aperientis*, tùm *adstringentis*, illustratione hûc referantur.

CROCUS MARTIS CACHECTICUS.

℞. Nitri puri libram unam: liquefiat super igne leni, in crucibulo, cui injiciatur

Limaturæ ferri q. s.

ad siccitatem *Nitri*, paulatim tamen ac successivis actibus, quoad nulla ampliùs rasura imprimi queat; quo facto, relinquantur paululum adhuc super igne aliquantum adaucto, donec *Nitrum* sponte suâ accensum propemodum conflagret. Eximatur deinde

massa è crucibulo, & affundatur ei aqua calida; quæ si tincta fuerit rubicundo colore, decantetur, filtreturque. Hinc spatio unius circiter diei & noctis residebit Pulvis rubicundus, & fundum petet; quem ab aqua, per filtrum, aut decantationem separatum, ac probè siccatum, ad usûs servato.

Præstans in Cachexiæ, morboq; Virgineo & Chlorosi, oblatus à scrupulo semis ad unum, & drachmam semis; vel in quadam Conserva, aut vehiculo quocunque alio, palato grato.

Ex hoc Croco

TINCTURA MARTIS.

℞. Croci Martis Cachectici q. l.

cui superaffundatur

Spiritus Veneris ad supereminentiam trium vel quatuor digitorum transversorum:

digerantur calore leni, quousque spiritus affusus imbuatur rubicundo colore, qui decantandus, ac alius spiritus superaffundendus; idque tot vicibus fieri oportet, donec spiritus non ampliùs rubedine tingantur. Postmodum tincti spiritûs omnes in B. M. ad oleitatem abstrahantur: residuus liquor crassus deinceps cum spiritu vini summè rectificato extrahatur, & perinde, ad liquoris crassioris consistentiam, destillando abstrahatur, remanente rubicundo liquore in residuo: *qui præstantior ipso Pulvere Cachectico, in præfatis affectibus.*

TINCTURA MARTIS ALIA VERA.

EGregia *Martis Tinctura è Vitriolo Martis*, per *spiritum Vitrioli*, aut repetitâ calcinatione cum *sulphure*, parato beneficio salis essentialis vini, citò & amicabiliter elicitur, & quidem modo sequente:

Accipe Salis n. essentialis vini, è solo vino, lege artis, nullâ prorsus re peregrinâ adjectâ, parati, unc. sex:

liquetur hic in vitro super cineres calidos, vel in patella ferreâ, igne blando substrato: (instar enim ceræ liquabilis est) deinde immergantur

Vitrioli Martis legitimè parati unciæ tres vel quatuor.

Facta jam mixtura statim ab igne removeatur, & frigefacta contundatur protinus, relinquaturque nonnihil expansa in patella vitrea, aliquot dierum spatio, aprico exposita, ut efflorescat & rubicundissima fiat: è quâ mixturâ postmodum, alembico vitreo immissâ, cum spiritu vini cinamomisato, vel solâ cinamomi aqua spirituosa, intra calorem blandissimum, *Tinctura* extrahatur *rubicundissima, sanguinis instar;* quæ per filtrum à sedimentis suis secernenda, ac studiosè observanda est.

Efficax hæc est Tinctura in obstructionibus Hypochondriorum, Mesenterii, Pancreatis, Menstruâq; suppressionibus referandis: confortat hepar, cum reliquis visceribus naturalibus, morboque

boque Virgineo & Cachexiæ medetur. Dosis à drachma una ad duas & tres extendi potest, & in jusculis, vino, aut quibuscunque vehiculis, naturæ & morbo gratis, propinari.

Notetur: quod connubium *Vitrioli Martis*, & *salis nostri Essentialis*, absque liquefactione dicti salis, solâ amborum triturâ & exactâ mixturâ, in mortario vitreo aut lapideo, feliciter succedat: & pauculis etiam horis eorum efflorescentia apparebit, aspectu jucunda.

AROPH PARACELSI,

quod

Aroma Philosophorum

sonat:

℞. Lapidis Hæmatitis, qui de natura ferri est, &

Salis Armoniaci, ana libram unam.

Contundantur singula seorsim minutissimè; commisceanturque contusa omnia, & cucurbitæ vitreæ probè lutatæ imponantur, ac in arenâ sublimentur; agglutinato quidem capitello, & præmisso recipiente, ubi ignis per gradus augendus est; ultimò verò per sex integras horas gradu fortissimo, ita, ut fundus cucurbitæ candeat. Sic exstillabit liquor sat fortis ab initio, qui *spiritus salis Armoniaci salsus* est, peculiaribus usibus asservandus. Illud autem omne, quod in forma ficca elevatum fuerit, tàm ad latera cucurbitæ, quàm ad ipsum capitellum, subtilissimè teratur, & cum *Alcohol* vini ad summum rectificato, in leniissimo saltem tepore, extrahatur. Extractio hæc in momento contingit: toties autem reiteranda *spiritûs recentis* affusio, donec is *(spiritus)* nullâ ampliùs tincturâ sive flavedine imbuatur. Hinc extractiones omnes conjunctæ per B. M. (cave, ne in arena, vel in cineribus) per destillationem in cucurbitâ vitrea abstrahantur, ad rutilantis salis siccitatem: qui ipse aurei coloris sal, croci spirabit fragrantiam; unde & *Philosophorum aroma* appellari consuevit. Hic porrò in cella humida collocatus super porphyrite, resolvetur in liquorem aureum, jucundi aspectus: quem vel statim asserva, aut leni denuò calore coagula. Sic *præstans est in calculo remedium, tumobstructionibus hypochondriacis reserandis.*

Nota: quòd liquor primitus resolutus in cella, utpote Tincturâ aureâ dives, solus sit asservandus: qui verò subsequitur, colore ab aureo dispare, segregandus.

SPIRITUS SALIS ARMONIACI ACIDUS CHALYBEATUS.

Item:

FLORES SALIS ARMONIACI CHALYBEATI FLAVI:

EX QUIBUS

SEDATIVUM ARCHEI, ET SULPHUR VITRIOLI ANODINUM

conficiendum.

℞. Salis Armoniaci triti, & Rasuræ Martis studiosè limati & puri, ana libras duas.

Hæc probè mixta immittantur alembico vitreo, aut terreæ cucurbitæ vitreatæ, luto probè obductæ: ac, oppositò capitello, præmissoque recipiente, destillentur igne aperto, inter initia leni, gradatim tamen aucto, donec *spiritus salis Armoniaci* salsus & urinosus provocatus sit. Post hæc augeatur ignis ad fundi cucurbitæ excandescentiam, & capitelli nigredinem; & sublimabuntur *flores salis Armoniaci* partim ad capitellum usque, partim verò, & quidem majori copiâ, ad latera alembici; verùm cineritii tantùm, & nigricantis coloris. Peractâ sublimatione, ac omnibus refrigeratis, massa in fundo cucurbitæ relicta & conglobata, additis & restitutis ipsi *floribus salis Armoniaci* nigricantibus propriis jamjam sublimatis & probè mixtis, exponantur aëri humidiori libero, ut eò imprægnentur. Hoc pacto paulatim mixtura hæc incipiet efflorescere, ac in altum sese extollere conspicietur, augeri, mollefieri, humectari, & in colorem cineritio flavum mutari: odorem spirabit acutum, acrem, vitriolatum, sapore subdulci Martiali variatum. Quibus signis apparentibus, aptissima hæc censeatur massa; quæ tum spiritui acido chalybeato destillando, tum etiam ad *florum Martialium* sublimationem promoveri queat: idipsum tamen diverso respectu, distinctaque operatione & stillatione: utpote, ad spiritum destillandum, sequenti procedatur modo: nimirum, *Massam* prædictam imprægnatam immitte retortæ vitreæ amplæ, colloque satis largo donatæ, luto probè munitæ, atque obductæ. Quô factô & in furno retortâ accommodatâ, recipiente præfixo largo, fugisque benè clausis, gradatim aperto quidem igne destilletur, eâ tamen lege, ut sub initio fiat moderatissimè, ad effluxionem usq; phlegmatis; aucto post igne paulatim, quoad spiritus in forma nebulæ subsequantur. Sicque sensim, fortiori ignis gradu destillatio continuanda, donec nebulosi spiritus planè dispareant. Hâc absolutâ destillatione, spiritus acidus salinus, (spiritui salis ferè similis) coloris aurei, nonnihil dephlegmetur, & in vitro, cerâ & vesicâ sufficienter occluso, studiosè custodiatur.

Præstantissimus est in obstructionibus Hypochondriorum reserandis, Melancholia Hypochondriaca, Febribusq; putridis arcendis, ac Torminibus ventris compescendis: Calculum expellit,

Sto-

Stomacho, Hepati simul & Lieni, essentia Martis dives, robur confert. Exhibendus est in vehiculis quibuslibet morbo congruis, & infirmis gratis, à scrupulo semis ad unum. Est & Menstruum, pro solvendo Auro, peculiare.

Quòd si verò *Flores Salis Armoniaci Martialis flavi* appetantur; modum sequere præscriptum sequentem:

Accipe *Massam* modo supradicto imprægnatam, eique adde, respectu massæ, dimidium recentis salis Armoniaci: ex hisce probè commixtis, & cucurbitæ immissis lutatæ, capitello apposito, ac vitreo recipiente præmisso, atque juncturis undique clausis, confestim *Flores* sublimentur: cujus laboris initio spiritus quidam acidulus prolicietur: *Flores* autem protinus ipsum insequentur, flavedinis aureæ specie, ad corticis Aurantii similitudinem colorati, tàm in capitello, quàm lateribus cucurbitæ, agglutinati; adhibito tamen ultimò igne forti, ut fundus cucurbitæ candeat. Peractâ sublimatione, omnibusque frigefactis, excipiantur *Flores flavi*; qui vel per se custodiendi; vel ulterioribus laboribus, (de quibus in sequentibus) consecrandi sunt.

Hi Flores per se obstructionum hypochondriacarum resolutioni, naturaliumq; viscerum confortationi, & febribus putridis coërcendis, à scrupulo semis ad grana XV. in vehiculis appropriatis assumpti, deserviunt.

Nota: Caput Mortuum, sive à destillatione spiritûs acidi, sive à sublimatione florum, residuum, additis pauxillo salis Armoniaci recentis, & Martis limatura, ad aërem deinde liberum exponatur, ut spatio septimanarum aliquot sufficienter imprægnetur; quo facto, (quemadmodum supra ostensum) per retortam destilletur, observatis gradibus ignis; & sic elegantem majoremque copiam spiritûs acidi nanciscēris, haud curâ vulgari asservatu digni. Præterea & hoc, secundâ vice relictum à destillatione, caput mortuum, eâdem operâ, eademque indigitatâ in antecedentibus mixturâ, & imprægnatione, secundâ ac tertiâ etiam vice destillationi accommodari potest. Quam dexteritatem & experimentum solertissimis ac doctis viris, Dom. Friderico Müller, Senatori Vienn. ac Paulo Saur, genuinis artis filiis, acp. t. apud Viennenses Pharmacopœis ac Chymicis præstantissimis in acceptis refero: eo & tu, L. B. cum reliquis arcanis, perfruere grato animo.

SEDATIVUM ARCHÆI: EX SULPHURE SUBLIMATO MARTIALI.

℞. Florum edoctorum Salis Armoniaci Martialium q. pl.

quibus superaffundatur

Spiritus vini rosati, scil. à rosis recentibus bis tervè abstracti destillando, & ad summam puritatem redacti, quant. sufficient.

Fiat Extractio *Tincturæ Martis*, relicto sale Armoniaco in residuo, toties spiri-

ſpiritum prædictum affundendo, quousque *Tinctura* flava conſpiciatur. Flavedine ſpiritûs tincti poſtmodum deſtillando nonnihil abſtrahantur; rubicundus verò liquor reſiduus ſtudiosè aſſervetur: *qui paſſiones Colicas, Inteſtinorum tormina, aliosque dolores placat: Hepar roborat, nec non Lienis obſtructiones reſerat.*

SULPHUR VITRIOLI ANODINUM MARTIALE.

℞. Florum prædictorum Salis Armoniaci Martial. flaveſcent. q. pl.

Hi affusâ aquæ ſimplicis ſuffic. quantitate, ab omni ſalſedine, ſive ſale Armoniaco, liberentur, & repetitis vicibus veluti edulcorentur, ut pulvisculus rubicundus, de *Martis* proſapia, ejusque eſſentia, in reſiduo maneat; qui ſiccatus, & paululum (ſi lubet) atque leniſſimè calcinatus, ad uſum ſeponatur Medicum.

Anodinum eſt, acutis doloribus compeſcendis proficuum; quod aliis Laudanis Opiatis peraptè admiſcetur.

BALSAMUS MARTIALIS.

℞. Olei ſive ſpiritûs Terebinthinæ:

vel

Olei ſtill. Juniperi clari:

aut

Olei ſtill. Aniſi, ſeu fœniculi, (cujuscunque horum libuerit,) uncias circiter tres:

cui immergantur

Limaturæ Martis puræ, ſtudio limatæ, unciæ duæ:

pòſt inſtilletur guttatim, & per vices,

Spiritûs ſupradicti ſalis Armoniaci acidi chalybeati uncia una ſemis, vel unciæ duæ:

vel, ſi is deſit, in vices ejus,

Spiritûs Nitri legitimè ſtill. tantundem.

Factâ brevi maceratione, apparebit *Tinctura* in Oleo affuſo *rubicundiſſima;* quod per filtrum à fecibus ſeparandum, & ad uſum aſſervandum.

Præſens remedium in Calculo, Renibus exulceratis, Colica, paſſione Nephritica, aliisve cujuscunque ſpeciei exulcerationibus internis exſanandis efficax. Datur à ſcrupulo dimidio, ad unum.

OLEUM ſeu SPIRITUS SALIS MARTIALIS.

℞. Limaturæ chalybis puræ libras quatuor,

Salis Gemmæ libras duas.

Mixta exactè immittantur retortæ vitreæ, luto obductæ; & in igne aperto per gradûs deſtillentur, ad ſpiritûs & olei expulſionem.

Conducit externis affectibus: ſic Podagram lenit, impoſitis linteolis in eo madefactis: ſic Fiſtulas, Cancrum, & Lupum ſanat. Internè verò aſſumptus medetur Hydropi.

Qui

Qui copiam plurimorum, ex *Marte* parandorum, medicaminum desideraſ, Clariſſimum *Schröderum & Quercetanum*, adeat. *Sundeo tamen, ut prudens ſit & circumſpectus, ne in potioribus declinet, & circumagatur, ac invanum laboret*, (namque ſuo ſcripsêre more, calamo ac verbis umbroſis.)

Tincturam cœterùm *Martis adſtringentem, Eſſentiam* nec non *Martis aperitivam*; ut & *Eſſentiam Martis Corallinam, inpræmiſſa Append. n. ad Animad.* edocuimus; quam L. B. adeat.

CAPUT IV.

DE

ÆRE

SEU

CUPRO.

CUPRUM ex ignobilioribus pariter metallis eſt, *ſolidum & durum*, ferro tamen mollius, magisque ductile. *Conſtat*, uti & reliqua Metalla, *è tribus Mineralium principiis, Sale nim. Sulphure & Mercurio:* ab extra rubeſcit; ſolutum verò, Cyaneum ſeu Cœruleum colorem præ ſe fert. Comparatur *Veneri cæleſti*, à quâ & nomen in Chymia ſortitum eſt. Cœterùm ſimpliciter de *Cupro*, ſeu *Venere metallicâ* loquendo; *metallum* reverâ *inſalubre* eſt, ſive crudè, ſive ſimpliciter tantùm in ſuum Vitriolum reſolutum, ſive extractum ſit, mediante ſimplici aliquo menſtruo. Sive enim acetum, ſive vinum, aut qualiscunque ſuccus alius acidus, vel liquor ſalinus urinoſus, æri affundatur, aut vaſi æneo infundatur; nil aliud, niſi inſalubre vitriolum (ſi ab intra adhibendum, ſubaudi) elicitur, Cyanei coloris, ſapore amaro, æruginoſo & nauſeoſo, ſtomachum ipſum cum inteſtinis ſubvertens, ac legitimi veneni mineralis ſymptomata, effectusque producens. Propterea jam dudum *Pharmacopœos* monui & dehortatus ſum, ne ſua medicamenta, quæ vel minimam quandam acredinem, aut levem aliquam aciditatem ſapiunt, in æneis, ſeu cupreis, aut ex aurichalco paratis, patellis, mortariis, aliisque inſtrumentis pharmaceuticis perficere tentent: ſed potiùs in ferreis, è metallo omnium ſaluberrimo, aut terreis, lapideis, vitreisque inſtrumentis, acria aut acida, vel ſaltem vinoſa, medicamenta parent. Non velim tamen, exiſtimes,

me fideli hâc admonitione omnem *Cupro* uſum denegare Medicum; qui tantùm crudi, aut ſimpliciter ſoluti æris uſum internum approbare nolim. Artificioſioribus verò, & verè Philoſophicis ære ſeparatis & paratis medicamentis, ſuas ego nequaquam ſubtraho laudes. Quinimò ſi ſpiritum ſaltem *Vitrioli Veneris* dextrè apparatum, nec non *ſpiritum Æris viridis* accuratiùs penſiculemus, inficias ire non poſſumus, quin ipſi non ſolùm ab intra fructuosè adhiberi poſſint, dum actu ipſo in variis morbis dotes ſibi conceſſas ſaluberrimas egregiè exſerunt; ſed etiam aliis rebus ſolvendis & extrahendis exiſtant aptiſſimi. Legatur ſuper hoc ſubjectum Novum Lumen Medicum ſolertiſſimi Chymici, & profundi Philoſophi, *Dom. Polemanni*, de ſulphure Philoſophorum; ubi in *Helmont*, commentatus eſt, & ex profeſſo de igne *Veneris* tractat, in quo numeroſas doctrinas, ad veram *Philoſophiam* ſimul ac *Chymiam* manuducentes, continebi, reperies; ut lectu, ſic ſcitu, digniſſimas. Verùm ibi ad rem ipſam deveniendum eſt, Anteſignani ſui & Philoſophi veſtigiis, tacendo (quod maximè dolendum) inſiſtit. Ego ſanè in *Pythagoræ muto Lycéo* minimè educatus ſum Philoſophus, qui rigidiſſimo ſilentio ſibi graves, reliquis injurii, naturæ reſorbent arcana, ſemper taciturni mutiſque piſces: quin & aliis me natum arbitror, quos ea celare, quæ ad generis humani vitæque cuſtodiam faciunt, grande nefas autumo. Reddo itaque, quod à DEO clementiſſimè accepi, talentum, ac proximo humiliter communico; nulli me ſubtrahens, ne malevolis quidem: dum eis ſaluberrima & arcana tranſcribo remedia, quæ dies ac noctes in ſudore ac vigiliis tranſigere Authorem coëgere, ad paucorum æmulationem, qui otium ac quietem longè aliis deſtinant curis, toti præſentibus inhiantes; aut, ſi quid doctè commentantur, umbris ac tenebris in tantum obvallant, ut, præter hieroglyphicas & ænigmate plenas voces, nulli etiam enodandas Oedipo, toto nihil reperias volumine, ſed potiùs dubius ac anceps Lector oberres, profunda velut nocte ſubmerſus, incaſſum veritatem indagando. Et, quod iniquitatis complementum eſt, tàm ſpecioſo quidam fuco, & ementitâ dulcedine, amplisque promiſſis, fallacias ſuas adulterant, ut quamplurimos velut illicio trahant, irrequietos ac laborioſos reddant, ac vitæ ac fortunarum omnium diſpendium, ac funeſtum exterminium. Avertant *Superi* à nobis hanc inſaniam, quâ, velut Oeſtro perciti, in proximum ſæviamus, vitam cum viperis ſortientes, ad perdendum nati. Probroſum itaque, & à Chriſtiano homine alienum eſt, ſalubria poſteritati ſubtrahere, aut non tradere; vel noxia ſub involucris, & mille technis inſtillare; quod vel maximè ſuggerunt ii, qui montes aureos, & Crœſi divitias pollicentur, & interim, ſibi incautè obtemperantes, ad incitas rediguntur, dum ex auro cineres, ex divitiis favillas producunt Thraſones ejusmodi ac impoſtores: de quibus illud *Ennii* verificatur;

Qui-

Quibus divitias pollicentur, ab his drachmam petunt,

De his divitiis deducant sibi drachmam, reddent cætera.

Agamus deinceps liberalius cum humano genere, proposito nobis magnorum Virorum prototypo, quorum tota vita fuit, agenda scribere, & scribenda agere, charitate DEI, & amore proximi, præfulgidorum. Non sic illiberalis ille nominis Euclio, vile mancipium ac servus Evangelicus, uni talento defodiendo intentus: tenebras proinde meruit exteriores, qui aliis lucere noluit. At verò responsum nonnulli mihi cudunt è Paracelsi Officina, & Præfatione super Tractatum; Lux in tenebris lucens: (quæ locutio per hyperbolen pronunciatur, minimè Lux) ubi, præcipuè *decimo Archidoxorum libro*, quem arcanorum Spagyricorum Clavem esse voluit, manifestè ait: *Velle se hæc solis in arte filiis revelare: ad exteros verò, & quasi arte degeneres, hæc non pertinere: simul & reliquos hortans Magistros, ut suis inhæreant vestigiis, neque Margaritas porcorum gregi objiciant.* Verum ex *Theophrasti* Testamento, & concreditis arcanis, distinguere tam facilè non est, quis vernaculus hæres sit; quis filius ancillæ; servus ac spurius. Tam abdita enim, invia ac inaccessa ejus doctrina est, verborum amphibologiâ, & obscuritate horrida, & magnus mihi dicatur Apollo, qui vel Oedipum, vel Theseum agat; ac Paracelsi mysteria explanet. Non hæc de me, qui minimus in arte sum, profero, (quanquam ingenuè fateor, me amplissimis promissis, ac verborum lenociniis, a *Theophrasti* scrutanda ac legenda arcana sollicitatum fuisse, ac die noctequè illis insudasse, & ne hilum profecisse) sed eos solùm commemoro, qui, dum vix auspicati sunt vitam, jam se totos *Paracelso* mancipârunt, sed oleo & operâ perditis, rudiores ac magis inanes dimissi sunt, dulcissimo quasi philtro dementati, aut fatui cujusdam igniculi splendore in tenebris seducti. Quanquam, si ad meridianum *Paracelsi* scripta, theoremata, ac processûs exploremus; tantis scatent absurditatibus & nævis, ut meritò fidem excedat, hæc à *Theophrasto*, tanti nominis & doctrinæ Viro, potuisse derivari: quin potius à medicastris quibusdam & fumivendulis conficta fuisse, quibus satis esse visum fuit, tanti viri augusto, eo tempore, nomine excessûs ac processûs suos cohonestari: prout apertissimè doctissimus *Helmontius* innuit, effectumque illud testamentum palàm asserit, quod *Theophrasto Paracelso* falsissimè astruitur: cùm longè alia de se meruerit *Theophrastus*, Vir Amplissimus; quem & Germaniæ decus cognominat. Quare omnes & singulos, qui artem Chymicam professi sunt, amicè exhortor, ne literali sensu, in perserutandis quibus nam *Theophrasto* fortè adscriptis monumentis, in Syrtes ac scopulos abripi se sinant, sed fidelioris naturæ vestigiis potiùs inhæreant; cujus manuductione & citius & tutius ad optatum finem perventuri sunt. Sed hæc per trasennam, & obiter. Transeo ad alia, ex hoc subjecto,

seu *Cupro*, describenda medicamenta, quæ sequentia :

VITRIOLUM VENERIS.

EJUS præparationem doctissimus *Crollius*, in sua Basilica Chymica, cum Notis *Hartmanni*, pag. 294. perspicuè explanat; quæ quidem præparatio difficilis non est, nec tamen suo caret labore & industriâ, ac impigrum requirit hominem : cæterùm parum differt ab illa, quæ *Vitriolo chalybis*, seu *Martis* debetur, & quam superiùs (uti ex Indice patebit,) extra Mantissam hanc, luculenter tradidimus. Unde præfatus Dn *Crollius* ambo hæc Vitriola sub uno titulo & præparatione comprehendit; in hoc solummodò differentia, quòd *cupri laminæ* non, perinde ac *chalybs* frustulatim candefactus, *sulphuri* immediatè admoveantur, ut instar butyri liquefiant ac unà calcinentur; sed *laminatum cuprum*, in frustula confciissum, & cum *Sulphure* trito largiter in olla stratificatum, ac igni postmodum admotum, paulatim calcinatur; quò postea teri & conteri possit. Plura autem, quæ in reiterandis ejus calcinationibus, admixto semper novo sulphure, ut & in eluendo vitriolo è calcinato cupro, atque crystallisatione ejusdem, observanda veniunt, ibidem, nimirum in descripta à nobis *Vitrioli Martis* præparatione, clarè patebunt revolventi.

SPIRITUS VITRIOLI VENERIS.

HIc eodem planè modo, quo *Spiritus Vitrioli Martis*, destillandus est, per retortam nimirum probè lutatam, igne aperto, ad extremam radicalis humiditatis, oleique rubri expulsionem, continuato igne, & ad ultimum gradum usque adaucto, spatio duorum dierum. Observentur nec non illa, quæ in *Spiritûs Vitrioli Martis* præparatione fideliter ibidem monuimus.

Virtutes hujus Spiritûs in roborando stomacho, ad medendum morbis capitis, febribus extinguendis, hysstericis sublevandis, aliisque morbis curandis, non sunt exiguæ; de quibus videatur, unà cum annexis cautelis, prædictus D. *Crollius*, loco citato; qui omnia ac singula ad amussim exponit.

CROCUS ET SAL EX VITRIOLO VENERIS.

RESiduum, à *destillatione* Spiritûs Vitrioli Veneris, caput mortuum, legitimus crocus Veneris est, virtute exsiccante & adstringente pollens : cujus usus ut plurimùm in externis; qualis Emplastra, Unguenta, & Pulveres adstringentes sunt, frequentissimus : est insuper proficuus ad desiccanda ulcera, quæ copioso humore madent; hac tamen lege, ut cœli injuriis, aërisque clementiæ, ac astrorum influxui, quamprimùm, peractâ destillatione, è retorta trahitur, non subjaceat; sed illicò vitro exceptum, & debitè munitum,

tum, asservetur; ne virtus ejus adstrictiva, aëris & astrorum influxu disparreat. Quemadmodum omne caput mortuum Vitrioli, extremâ ignis violentiâ spiritu suo ac oleo rubro privatum & exhaustum, ita comparatum est, ut, quasi mortuum corpus, nullo sale, protinus à destillatione aquâ simplici superfusâ, prægnans sit aut gaudeat. Quòd si verò idipsum aëris liberati, syderumque concursui: intercedentibus aliquot septimanis, commissum fuerit, præsertim veris tempore; tum singulari quodam sale nitroso imprægnatur, omni vitrioli odore & sapore exuto & destituto: colore tamen eleganti purpureo, si ex Veneris cyaneo vitriolo caput mortuum fuerit: candidus verò apparebit sal ille, si ex Martiali vitriolo viridi ejus caput mortuum, ad dictum modum, imprægnatum fuerit, à quo, aquâ simplici largiter affusâ, sal copiosè deinceps extrahi, & facilè elixiviari potest. Cujus autem indolis sit *sal* hic *nitrosus aëreus*, id equidem hactenus sufficienter experiri nondum licuit. Hoc interim verum est, quòd ex aëre, à sitibundo siccóve capite mortuo, humidum anxiè appetente, Magnetica quâdam virtute attractus sit. Et si quis hunc ipsum salem, è quocunque demum capite mortuo extractus fuerit, proprio suo spiritu destillato, in debita ac proportionata quantitate unire velit; eum operæ haud pœnitebit. Præterea: addito huic sali aëreo *alumine*, ad extremum calcinato, destillando per retortam, ad normam *spiritûs Salis*, vel *Nitri*, singularis spiritus, haud protriti momenti, elici potest, qui *in morbis & febribus calidis ardentibus, eximias obtinebit virtutes*. Addo, quòd singulare menstruum sit, ulterioribus laboribus & extractionibus, non sine fructu & fœnore, accommodabile. Hûc pariter referat B. L. medicamentum, seu Panaceam, quam, in *præmissa n. Appendice ad Animadvers. pag. 79. edit. Noricæ; pag. verò 109. edit. Belg.* ex iisdem *spiritibus Vitrioli Martis, & Veneris*, eorundemque *salibus aëreis*, jam denuò monstratis, ac *Croco* denique *Auri* concinnatam, publico donavi: præstantissimum, ac diversos humani corporis affectûs persanandos, medium: de quo consulatur *Mynsichtius*, in descriptâ *Unicornu mineralis* præparatione.

FLORES ÆRIS.

DEscribuntur *in Append. n. ad Animadversiones, pag. 73.* sub Titulo: *Spiritus Veneris.*

SPIRITUS VENERIS ANTEPILEPTICUS.

EXcellentem hunc spiritum Medicæ donavi familiæ, in *eâdem Append. n. ad Animadvers. pag. 73.* ubi ipsum unà cum virtutibus ejus, pariter ac modo utendi, luculenter edoctum reperies. Et ne habeant, nescio qui, quod de laboribus & pretio, in extractione & crystallisatione *æris viridis*, repetitaque *vini spiritûs* abstractione impendendis conquerantur: idcircò adjicio, quòd & ex crudo salem isthoc *ære viridi*

ridi, in pulverem saltem redacto, hic destillari possit spiritus, modo ibi edocto; qui postmodum, probè rectificatus, parum priori cedet, *è floribus Æris* stillato, cùm quoad virtutes suas ab egentibus intrò assumptus, tùm in menstrui vicem, vel solutiones *Perlarum*, *Coralliorum &c.* ac extractiones *Tincturarum* quarundam evocandas. Quo & ipso salutariter utere; quod fiet, si illum, juxta *Annotationes præfatæ Appendicis*, ac ad alios labores, in *hac Mantissa* per decursum exaratos, applicabis.

SPIRITUS VIRIDIS E VENERE, seu CUPRO.

℞. Limaturæ Cupri purgati libram unam;

cui admisce

Mercurii sublimati libras tres.

Misceantur exactè in matracio vitreo, & retortæ luto probè obductæ illicò immissa, in humido loco aliquandiu, tribus circiter diebus præter propter, relinquantur, mediocri postmodum igne destillentur: & assurget *Mercurius vivus currens*; spiritûs verò acidi omnes, qui antea juncti erant *Mercurio*, nunc cupro junguntur, illudque calcinando & solvendo acredine suâ, in pulverem crocei coloris, fusibilem transmutant: qui pulvis pòst ex retorta aëri ac syderibus per dies aliquot liberè expositus, graminis virorem induet: quô factô, commisceatur materia illa viridis cum tribus partibus terræ figulinæ (aut potiùs alumine probè usto & edulcorato) vel terræ sigillatæ siccæ; immittanturque retortæ vitreæ luto obductæ, & destillentur: (prout Aqua fortis, vel spiritus Nitri, aperti ignis calore, per gradus destillari solet, præposito priùs, ac probè agglutinato recipiente largo) & prodibit primò *liquor albicans*: adaucto tandem ultimò, & continuto igne fortissimo, subsequetur *viridis*; qui & collo retortæ agglutinatur. Peractâ destillatione, amoveatur vas recipiens, cum spiritu inhærente, antequam retorta penitus refrigerata fuerit; &, si quæ materia viridis in collo retortæ sublimata, cum proprio spiritu eluatur; quò magis afficiatur virore. Porrò *liquorem*, sive *spiritum destillatum*, cucurbitæ vitreæ immissum, calore leni cinerum è phlegmate, hoc est, à spiritu albo, destillationis ope libera: & viridissimus conspicietur; ulterioribus, & magni momenti laboribus destinandus: qui expertum sequentur.

De *Vitriolo viridi dulci spiritu*, nec non *Veneris viridi Philosophico*, multis philosophatur suprà citatus eximius Chymicus *Polemannus*, in Tract. suo: Novum Lumen Medicum, inscripto: & videtur ille ad horum confectionem primum indigitare spiritum ex partibus potioribus salis Armoniaci, ablato nimirum ab eo priùs urinoso salso spiritu, per adjectionem cujusdam Alcali, sive salis Tartari. Quem postea

postea spiritum, à sale nimirum Armoniaco nutrito (uti loquitur) destillatum, duplicatum & saturatum appellat; quo cum Venerem, hoc est, Cuprum, Philosophicè solvere, & exinde *Vitriolum dulce viride* conficere docet. Sequenti verò capite ejus quinto, rem denuò obscuriorem reddere videtur, dum alium edocet salis Armoniaci spiritum acidum, addito hæmatite. Hunc ipsum autem spiritum faciliori modo parandum, capite antecedente, de *Marte* dextrè tradidi, substitutâ lapidi Hæmatiti *Ferri rasurâ*. Qualem vero horum spirituum, pro *Vitriolo viridi dulci* conficiendo, prædictus D. *Polemannus* intellectum velit; mihi experiri nondum licuit, prægnantibus causis ac impedimentis variis distracto.

FLORES VITRIOLI VENERIS.

℞. Vitrioli Veneris legitimè parati,
Laminarum Veneris, seu Limaturæ ejus, ana p. æqual.

His mixtis, & vitro immissis, superaffunde phlegmatis Vitrioli, cum spiritu proprio parumper acuati, q. s. ad quatuor digitorum supereminentiam.

Extrahatur *Tinctura cærulea*, quæ filtrata, præcipitetur cum *Oleo Tartari*, & fundum petent *Flores Virorem graminis* referentes; qui, aquâ simplici sæpius affusâ, edulcorandi & exsiccandi. *Purgant per inferiora leniter, & sunt remedium præsens in Vermibus.*

Pulvis Sympatheticus, *fluorem sanguinis, seu hæmorrhagiam omnem coërcens*, ex *Vitriolo Veneris* fieri consuevit, solâ calcinatione ejusdem, *Sole signum Leonis* percurrente, ad albedinem usque, eóque in pulverem impalpabilem redacto.

Et hæc pauca etiam de *Venere*, seu *Cupro*, dictitata sufficiant. Qui interim plura expetit, adeat Clariss. *Schröderum*. Ibi enim Processuum copiam reperiet: quos si Vulcani examini subjicere dignabitur; brevi experietur, quid sustineant, quámque sapiant veritatem.

CAPUT

CAPUT V.

DE

STANNO.

Stannum Metallum eſt molle, minùs tamen ductile reliquis, & veluti aridum, frangibile ſub malleo & incude: album eſt & reſplendens, argento ferè ſimile. Conſtat ex iisdem, quibus cœtera metalla, principiis: *Mercurio* maximâ ſui parte; *ſulphure* albo ſicco; & *ſale* dulci metallico ſui generis. Non multum differt à *Saturno*, ſeu *Plumbo*, niſi duritie & candore; minoriq; ponderoſitate. Propterea facillimè hæc duo coëunt metalla, amicabiliter in liquatione commiſcentur, ac fœderis nexu inſeparabiliter uniuntur.

Perpauca ex *Stanno*, pro uſu Medico, conficiuntur medicamenta; quemadmodum & in veteri Medicina ferè nullus ejusdem erat uſus. *Neoterici*, & quidem Chymiam profeſſi, nonnulla ex eo apparare tentârunt remedia; utpote *Salem*, (qui propriè Vitriolum Jovis, ſeu Stanni; ſicut & Saccharum Saturni, verum Saturni ſeu Plumbi Vitriolum eſt) *Bezoardicum*, *Flores*, *Mercurium*, *& alia: quorum potiora*, *adverſus uteri ſuffocationes*, *intrò ſumenda*, *unicè commendantur*. *Extrinſecus verò ulceribus ſordidis*, *fœtidis*, *manantibus*, *fiſtulis*, *& aliis exſiccandis mederi perhibentur*. Pauca idcircò ex hoc ſubjecto, in præſens, afferam medicamenta; quæ erunt ſequentia:

SAL, ſive SACCHARUM STANNI, ſeu JOVIS.

CAlcinetur *Stannum* per ſe, figulorum more, qui plumbum, ſuper igne leni liquatum, in patella terrea, ferreo baculo continuò commovendo & exagitando, donec in pulverem gryſeum converſum ſit, calcinant. Ex *Stanno* igitur pari modo calcinato, & in pulverem redacto (vera enim & perfecta calcinatio non eſt) vel ſaltem granulato, fuſo nimirum per chartam, foraminulis perviam, in aquam frigidam Stanno liquato, extrahatur, ope aceti vini deſtillati acerrimi, dulcedo, ſaccharum, ſal, ſive vitriolum Stanni, uti appellare lubet: ſolutio filtretur, ac, leniter deſtillando in cucurbita, abſtrahatur ad ſiccitatem ſalis, vel, relicto pauculo liquore, cryſtallizetur. ac repetitâ ſolutione aquâ ſimplici, filtratione, & abſtractione purificetur; & ſic pro uſu Medico cuſtodiatur. *Præſtans eſt in affectibus uteri; cujus ſtrangulationi & ſuffocationi medetur.*

BEZO-

BEZOARDICUM JOVIALE.

℞. Stanni subtiliter limati uncias quatuor,

Mercurii legitimè sublimati unc. sex.

Misceantur exactè, iisque retortæ vitreæ immissis, destilletur ex arena per gradûs materia butyrosa, *butyri Antimonii* instar. Hoc butyrum deinde solvatur cum s. q. *Spiritûs Nitri* optimi, guttatim tamen & pedetentim instillando spiritum, donec nullus strepitus sive ebullitio ampliùs persentiatur; quo facto, abstrahatur in alembico prædicta solutio ad siccitatem massæ albicantis: prolectâ vel abstractâ humiditate, tota massa, in residuo relicta, teratur super porphyrite, ac porrò cucurbitæ vitreæ immissa, spiritu *Nitri* recenti superfuso, destillando iterùm ab omni spiritu & humiditate liberetur, igne ultimò adaucto, ut retorta parum candeat. Massa tandem residua, trita super porphyrite, ac probè edulcorata aquâ simplici, crucibuloque immissa, igni admoveatur, ac horâ unâ vel alterâ leniter ad prunitiem calcinetur, ac ad usum Medicum asservetur.

Præsentaneum esse perhibetur Medicamentum in suffocatione matricis: pellit etiam sudores, & febribus medetur ardentibus, à gr. vj. ad x. & xx propinatum.

Butyrum hoc Joviale Beguinus cum aqua simplici præcipitat, & in pulverem albicantem insipidum, instar Mercurii vitæ, ex butyro Antimonii, edulcorando convertit, nec minores aut minùs efficaces, in strangulatu uteri possidere vires, affirmat. Sunt tamen nonnulli, qui originem hujus *Butyri Jovialis*, sive pulveris ex eo confecti, *Mercurio* adscribunt: quorum tamen ratio erronea magis, quàm probabilis, esse videtur. Sicuti enim *Mercurius vitæ*, qui ex butyro Antimoniali (quod æquè ex *Mercurio sublimato & Antimonio* destillatum est) paratur, nihil plenè participat de *Mercurio*, sed in reipsa nil aliud est, quàm pars *Antimonii* subtilior, sive *flores*; ita & hoc, quod ex *stanno* & *Mercurio sublimato*, junctim destillando, apparatur, *Butyrum*, & consequenter Pulvis, ex eo præcipitatus, nil quicquam de *Mercurio* participat, sed puriores etiam partes sunt ipsius stanni; ipsâ substantiâ Mercurali penitus ablatâ. Et hoc exindè convincitur, quòd *Mercurius sublimatus spiritibus* suis corrosivis, in ipsâ destillatione cum *stanno*, privetur, ipsique hi spiritûs stanno communicentur, ut vivus iterum, & currens factus *Mercurius* in destillatione denuò se totus prodat, ac pristinæ libertati restitutus conspiciatur. Quemadmodum quotidiè in Chymicis laboribus obvium est, & experientiâ crebrâ comprobari potest, quòd, quando corpus aliquod minerale, sive etiam metallicum, cum spiritu quodam corrosivo solvitur, inque solidam compagem reducitur, eidem verò soluto corpori res alia, seu corpus solutu facilius, adjicitur: spiritus corrosivi prius solutum corpus, tanquam solidius, ac difficilius solutu, deserant, & aliud sibi

projectum corpus, tanquam solutu facilius, aggrediantur, ac in illud suam tyrannidem exerceant.

Plura alia ex *Stanno* conficienda medicamenta atque labores describi possent: utpote *Oleum ex Gummi Joviale*, *Sulphur stanni*, *Sal*, *Crystalli*, & *Mercurius currens*: verùm cùm ad amussim, sine fuco ac invidiâ, à solertissimo Chymico, *Cloſſæo*, depicta, fideliterque communicata sint, ac Clarissimus *Schröderus* jamjam suæ *Pharmacopœiæ Medico-Chymicæ* illa punctatim inseruerit; superfluum inde fore existimo, ea & hîc quoque repetere, ac cramben bis coctam apponere. Utilia tamen cùm hæc sint, altiorisque indaginis, Lectorem eò ablegare, eâque ei commendare volui. Sic, quæ de *Jove*, seu *Stanno*, dictu necessaria occurrebant, hîc finio, & ad alia pergo.

CAPUT VI.

DE

PLUMBO

SEU

SATURNO.

PLUMBUM metallum omnium ferè viliſſimum, ponderoſiſſimum; excepto *Auro*: molle, ductile, obscuri ac nigricantis coloris: constat ex copioso *Mercurio*, *sulphure* nigricante fusibili, & *sale* impuro liquabili. Comparatur *Saturno Macrocosmico*: propterea etiam *microcosmico Saturno*, *Lieni*, prodesse creditur.

Vires habet plumbum, cùm crudum etiam humano corpori, in forma Metallicâ, seu substantiâ suâ, admotum; tum etiam in medicamenta præparatum, insignes refrigerandi, libidinem reprimendi, adstringendi, ulcera sordida cancrosa mundificandi, carne replendi, & ab inflammationibus ac humorum affluxionibus præservandi.

Ceruſſa & *Minium*, ex hoc Metallo arte parantur: quemadmodum & *Lithargyrium* non nisi *Plumbum* sapit: è quibus omnibus ac singulis, *saccharum*, *sal*, sive *vitriolum* (seu quo insignias nomine) æquè, ac ex ipso crudo *Plumbo*, elici possunt; puriora tamen ex uno, quàm ex alio. Hujus Metalli igitur *usus* in Medicina etiam Veterum non minimus fuit; major nostris temporibus: cùm *non solùm pro interno usu celebria medicamenta ex eo conficiantur; verùm etiam*

ad ex-

ad externa Emplastra, *Cerata*, *Unguenta*, *Collyria*, quorum nonnulla etiam à *Plumbo*, aut ejusdem prosapia, *Minio* scilic. *Cerussa* & *Lithargyrio*, denominationem sortiuntur, frequentissimè adhibeantur. Operæ pretium igitur esse duxi, ut in describendis quibusdam medicamentis ex *Plumbo*, aut ejusdem descendentibus supradictis, de solutione primùm Plumbi opus inchoemus, eique operam nostram applicemus.

SACCHARUM SATURNI.

DE hoc medicamento, seu *Saccharo Saturni* rectè cognoscendo, haud pauca disserui, & præfatus sum, in *præmissa Appendice n. ad Animadversiones*, *pag. 96.* ac singularem & fundamentalem, de *Salibus*, eorundemq; generibus ac speciebus, doctrinam, *à pag. 95. usque ad pag. 103.* construxi; ubi locorum simul & sequentia Problemata decisa: *Utrum* nimirum, primò, *Saccharum Saturni verum Plumbi sal sit?* Secundò: *an metalla calcinata etiam sal præbeant?* Tertiò, *itidem ostensum, Vitriola non esse salia propriè dicta; sed salia sui generis, impropriè nuncupata, & vere metalla soluta* Quartò: *Num Saccharum Saturni sit sal ex plumbo extractum; aut plumbum ipsum solutum?* &c. Hæc, tanquam necessaria ad præsens institutum, B. L. revolvat, ne actum agere hîc denuò necessum sit. Quod igitur *Saccharum Saturni* attinet, hoc non solùm ex *Plumbo simpliciter*, more figulorum, calcinato, ac in pulverem gryseum converso, elici potest & solvi, sed etiam *ex laminis plumbi*, aut saltem *plumbo granulato*; sic quoque ex *Cerussa*, *Minio*, *& Lithargyrio*; purius tamen ex uno, ac faciliori negocio, quàm ex alio dictorum subjecto: & hoc beneficio aceti simpliciter destillati, vel alterius acidi liquoris. Ex prædictis verò & enumeratis, pro legitimo *saccharo Saturni* conficiendo, subjectis *Plumbum* ipsum meritò eligendum: hac in electione sequitur *plumbum* paulisper, more figulorum, calcinatum. Quamvis verò etiam ex *minera Saturni* haud difficulter *saccharum* dictum extrahatur: minimè tamen hoc tentandum esse censeo; quùm mineræ metallorum rarò puræ è fodinis eruantur, quin aliis mineralibus, & quidem venenatis, utpote *Arsenico*, *Realgare*, & *Antimonio*, aut *Vitriolo* quandoque sint inquinatæ. Maneamus igitur in terminis, vel proximo, eoque ubivis locorum obvio, subjecto, *Plumbo perfecto*: è quo *saccharum Saturni* eliciatur modo sequenti:

℞. Plumbum, q. pl. illudque in laminas tenues deductum, conscissumq; in particulas, filo suspendatur super acetum vini destillatum, in olla terrea probè vitreata, vel in vitro largo, ne tamen laminæ acetum attingant, sed proximè super ipsum pendeant: collocentur sic, vitro, seu ollâ vesicâ probè clausâ, retro fornacem, tempore hyberno; vel in locum alium moderatè calidum. Hoc facto, vapores ex aceto

ſurſum petentes plumbi laminas permeant, & partes ſubtiliores ac puriores ejus ſolvunt, atque ſubjectum acetum brevi temporis ſpatio ſummâ dulcedine imbuunt: *Laminæ* verò *plumbi* conſpiciuntur albicantes, ceruſſâ obductæ. Aceto dein ſat ſufficienterque dulcedine imprægnato, ac ſegregato, alia aceti diſtillati, ad *Animam vel ſaccharum Saturni* eliciendum, fiat infuſio: idque toties repetendum, quoties libuerit, & in tantum, usque dum *laminæ* maximâ ex parte ſolutæ ac tenues factæ ſint. Hinc omne acetum *animâ Saturninâ*, ſeu *ſaccharo Saturni* ſaturatum colligatur & in cucurbita vitrea abſtrahatur, vel ad ſiccitatem ſalis, vel tantùm ad oleitatem, ſeu liquorem craſſum, quo in rigore reſiduus ille liquor cryſtallizetur. Et hoc modo pulcherrimum adipiſceris *ſaccharum Saturni*; quod verum *Saturni vitriolum*, ipſumque ſolutum, & quidem purius Plumbum eſt. Hoc ſi aliquoties aquâ ſimplici deſtillatâ ſolvere, per chartam filtrare, ac toties abſtrahere, vel cryſtallizare volueris; multò purius illud efficietur: rebus nimirum heterogeneis omnibus ſegregatis.

OLEUM ſeu LIQUOR SATURNI SIMPLEX.

VUlgò non niſi *Liquor eſt Saccharı Saturni, ad oleitatem abſtracti*, vel Oleum in cella, aut humido in loco, in Liquorem reſolutum.

SPIRITUS SATURNI ARDENS.

℞. Sacchari Saturni dextrè parati q. pl.

Ab hoc acetum deſtillatum cohobando aliquoties abſtrahe, affundendo tamen novum ſemper acetum, donec illud eâdem virtute, acrimoniâ ſcil. ſive aciditate, quâ affuſum, deſtillando tranſeat. Hinc etiam ſpiritum vini rectificatum, bis terve ab eo cohobando abſtrahe. Tandem *Saccharum* hoc *Saturni* imprægnatum, addito *alumine* ad extremum calcinato, in proportionatâ quantitate, quâ ejus liquatio impediatur, & vitreæ retortæ immiſſum, deſtilletur gradatim: ſicque prodibit primò *ſpiritus ardens*, absque venulis aut ſtriis, in collo retortæ apparentibus; quem deinde ſequetur *phlegma*, cum areis ſeu ſtriis, in collo retortæ conſpicuis; ſubſequeturque hoc *Oleum*, ſeu *liquor rubicundus*. Quæ omnia ſtudioſè à ſe invicem, per rectificationem leniſſimam, ſeparanda. Quodlibet nimirum ſeorſim, mutato receptaculo præmiſſo, in ipsâ rectificatione ſuſcipiendum eſt, ac uſui aſſervandum.

Virtutes ſpiritûs hujus ardentis in Medicina tantopere decantatæ non ſunt. Quamvis enim nonnulli eximias vires diaphoreticas in Peſte, Febribus ardentibus, Lue venereâ, & Melancholiâ hypochondriacâ, illi annumerare auſi ſint: mihi tamen in morbis ejusmodi calidis ſuſpectus videtur; quemadmodum ſpiritus ille

ardens;

ardens: non quidem à spiritu vini per cohobationem abstracto, (cùm & sine hâc cohobatione, & affusione spiritûs vini *saccharum Saturni*, simpliciter præparatum, spiritum præbeat destillando ardentem) sed potiùs ab aceto vini destillato, quo solutio seu extractio *sacchari Saturni* facta: unde suam trahere originem, omninò existimo; quatenus nimirum particulæ illæ sulphureæ, & oleosæ, ab aceto restrictæ & ligatæ fuerint; donec, solutis à *Saturno* vinculis, in pristinum esse redierint, ardentem scil. spiritum. Contraxisse tamen ac mutuasse haud exiguus à *Saturno* virtutes, negare nolim, quin id ipsum affirmare velim.

Hunc spiritum nonnulli extractioni Tincturæ Auri, ex ejusdem nimirum Croco, inservire asserunt: Oleum verò *flavum & rubrum Epilepticis, Hystericis & Lienosis opitulatur:* siquidem, *externè* etiam *regioni Lienis inunctum confestim penetrat, obstructiones ejusdem reserat, duritiemq; emollit: in ulceribus sordidis cancrosis abstergendis, ut & in inflammationibus oculorum, eorumq; fistulis lachrymalibus sanandis, emolumento est.*

Caput mortuum, ab hac destillatione relictum, plumbeis granulis repletum, violentum nimirum si ultimò adhibueris ignem, reperies; adeóque magnâ ejus parte in *plumbum* conversum: præsertim si *saccharum Saturni* absque additamento, quod fusionem ejus impediviſſet; destilllationi foret traditum.

BALSAMUM SATURNI.

℞. Sacchari Saturni legitimè parati q. pl.
cui superaffunde
Spiritûs Terebinthinæ clari, seu
Olei Juniperi, vel etiam Anisi, aut Citri dest. ad trium vel quatuor digitorum transversorum supereminentiam;

digerantur leni calore cinerum, donec oleum affusum rubicundo imbuatur colore: quod per filtrum separatum & clarificatum, pro usu medico asservetur.

Balsamus hic in affectibus Pectoris ejusq; exulcerationibus, Phthisi nimirum, Vomica pulmonum, Empyemate, non leve, sanando atque abstergendo, præstat auxilium.

Magisteria Saturni, quorum Clarissimus *Schröderus*, *cap. de Plumbo suæ Pharmac. Medico-Chymicæ*, mentionem facit, parvi ponderis atque momenti sunt; & pro mortuâ quasi terrâ, veluti calces & pulveres, ex contrarietate solventium & præcipitantium liquorum & salium tales facti, nisi denuò novâ solutione resuscitentur, æstimanda. In his itaque describendis, operæ pretium non est, ut tempus & vires atteramus.

TINCTURA SATURNI.

Hujus *Tincturæ* modos parandi binos, ex communicatione S. Clossæi, Clarissimus Schröderus, *suæ Pharmac.*

mac. lib. 3. pag. 392 & seq sub titulo: *Cremor Saturni S. Closs. & inde Tinct.* Item *Tinct. & Lapis: & Tinctura facilior;* apposuit: ad quos B. L. ablegare, eosque, cùm de nihilo non sint, ei commendare volui. Si quis enim à Closs. fideliter communicata apprimè considerabit, atque opus *Isaaci Hollandi* cum illis conferre dignabitur; reperiet, si sensatus fuerit Philosophus & Chymicus, non leviuscula, sub his paucis, latere arcana.

FLORES SATURNI.

CAlcinatur *Plumbum laminatum*, cum sulphure, stratum super stratum in olla, quoad friabile fiat, instar *Antimonii*, (vel accipiatur minera Saturni, si pro Mercurio eliciendo flores destinantur) quod subtiliter terendum, ac per cribrum trajiciendum; cui adde salis tosti tantundem, & boli Armenæ duplum. Hæc probè mixta immittantur retortæ terreæ, duplici rostro perviæ, ad formam hîc æri expressam, unà cum sua fornace: fundum retortæ nonnihil planum sit; nec multum simul & semel de mixtura supra dictæ retortæ immittatur; sed ita, ut vix quarta ejus pars impleatur, tres verò partes vacuæ maneant.

Hinc rebus sic, ut conspicis, ordinatis, furnoque superiùs clauso, relictis tamen tribus vel quatuor foraminibus, vel spiraculis; ab una parte retortæ, rostro vas recipiens amplum



agglu-

agglutinetur, rostrum verò aliud, ex oppositò, operculo saltem claudatur. Substrato dein igne sublimatorio gradatim, quamprimum nubeculæ in recipiente conspiciuntur, per aliud rostrum, recipienti oppositum, folliculo paulatim & sensim infletur; & conspicientur flores cum impetu ab altera parte ad vas recipiens erumpere. Hoc continuetur, quoad nulli flores ampliùs transeant. Quâ peractâ sublimatione, *flores* è recipiente eruantur, quovis modo fieri possit, ac, pro ulteriore usu, ad *Mercurium currentem Saturni* exinde conficiendum, asserventur.

Nota: Ad eandem normam *Flores ex Stanno*, tum etiam ex *Antimonio*, commodè sublimantur: è quibus porrò alia medicamenta conficienda; ut & *Mercurius* corporum currens, modo, uti sequetur, comparandus.

MERCURIUS SATURNI.

℞. Salis Tartari fusi, ac per solutionem & filtrationem purificati, & denuò coagulati, uncias sex,

Salis Armoniaci uncias duas:

Misceantur exactè in mortario lapideo.

Hinc accipe

Mixturæ hujus, seu Salis, libram semis,

Florum Saturni supra edoctorum, (vel etiam Stanni, aut Antimonii) tantundem.

Quibus exactè mixtis, & denuò vitro immissis, superaffundatur

Olei Tartari per deliquium facti, (beneficio calcinationis cum Nitro) ad digiti unius transversi supereminentiam.

Putrificentur in M. B. diebus circiter xx.

Hinc tota hæc mixtura impastetur cum *scoriis Martis tritis*, (vel, harum ioco, cum *calce viva*, præsertim pro Antimonio) & *cineribus*, ana part. æqual. immittaturque retortæ vitreæ, luto obductæ, vel retortæ duplo rostro perviæ, (superiùs, pro floribus conficiendis & sublimandis expressæ) & igne moderato urgeatur, quoad in vas recipiens, aquâ semiplenum, erumpat Pulvis, in forma nebularum: qui in aquâ vivificatur, ac in *Mercurium currentem* transmutatur, studiosè asservandum.

Consulatur hâc de re Clarissimus *Schröderus*, *loco & capite supra citato*, *de Saturno*, *pag. 393.* ubi plures modos, seu, uti vocant, processûs, pro Mercurio Saturni conficiendo, à *Keslero* affert, quem B. L. revolvat.

CAPUT

CAPUT VII.

DE

MERCURIO

SEU

ARGENTO VIVO.

MErcurius, seu *Argentum vivum*, est Liquor Mineralis & Metallicus, aqua non madefaciens, omnibus Metallis cognatus, præcipuè *Auro*; quod præ cœteris avidè amplectitur, protinus cum illo congreditur, amalgamatur, ac amicabiliter unitur, tanquam verum & homogeneum Auri menstruum. Etlicet violentiâ ignis & Vulcani à se invicem denuò segregentur, ac disuniantur, benigno tamen caloris & Vulcani fotu, tam arcto fœderis nexu uniuntur & ligantur, ut ex illis unum tandem inseparabile & perfectum corpus fiat; *verum Aurum Philosophorum.*

Quæ plura, & meritò, hîc loci de *Mercurii* naturâ, loco natali, differentiis, delectu, purificatione & virtutibus ejus: & quanto in usu fuerit antiquitus, quidquid etiam Recentiores de illo sentiant; quibus In morbis sit emolumento; quantaque demum in existimatione sit penes Philosophos per ignem: hæc cuncta ad amussim explicant Clarissimus *Quercetanus* cap. X. de Argento vivo, pag 643. & sequentibus. Item Dom. *Schröderus*, lib. 3. cap. XV. pag. 397. recentissimè verò R. P. *Athanasius Kircherus*, in Mundo suo subterraneo: ita, ut plura superaddere nequeam, nisi scripta scribere vellem. Dixisse nobis in præsens sufficiat; Mercurium, seu argentum vivum, esse natura Proteum, & mineralium, aut subterraneæ Monarchiæ Thaumaturgum, prodigiosum dexteræ DEI effectum, ac productum. Est liquor ille non madefaciens, Aqua non humectans, mollis & fluxilis, durissima tamen resolvens corpora: verbo denique, naturæ miraculum, quod Chymicorum scrutinia ferè cuncta eludit; semper tamen superstes, cuicunq; etiam corpori unias, nova anastasi suscitabilis. His igitur paucis præmissis: & ego quædam, ex hoc subjecto, salutaria, & nostris officinis usualia medicamenta Tibi, A. L. communicaturus sum, certò confidens, & hæc, ut utilia, ita & grata fore atque accepta. In ordine itaque primo sit

MER-

MERCURIUS SUBLIMATUS.

HIc itaque vulgaris, nimirum *Corrosivus Mercurius sublimatus*, quamvis ubique locorum obvius ac venalis prostet; illum tamen perspectiores & prudentiores Medici, & Chymiam professi, suspectum semper habuère & repudiavère, ob venenatam qualitatem rerum admixtarum, ac summam etiam vim causticam, quâ, generi humano totus adversus, usui Medico interno repugnet: ideoque viri boni remedium esse nequeat. Proinde Doctissimi quique Viri ac Medici, vulgari *Mercurio* corrosivo non contenti, unicè suadent, ut, vulgò venali *Mercurio* sublimato excluso, spretaque peregrinâ fide, quilibet probus Medicus, Chymicus & Pharmacopœus, sibimetipsi *Mercurium sublimatum* dextrè & legitimè conficiat; quem tandem ad ulteriores labores securè trahere, usuique Medico interno adaptare possit. Sunt *autem* plures ac varii modi sublimandi Mercurium corrosivum vulgarem; quorum plures collegit sæpe dictus Clarissimus *Schröderus*, *locis suprà citatis*: eos B. L. revolvat. D. D. *Augustani* itidem, in Pharmacopœia August. modum quendam descripsere, quem ulteriùs *in m. Animadversionibus pag. 631.* elucidavi, eique complementum superaddidi: quippe qui, absque nocuo corrosivo (scilicet) *Nitro*, unicè Medico usui destinatus, loco multorum, & boni viri remedium esse potest. Ne tamen & hîc mancus sim, ac modus quidam innotescat, quô *Mercurius corrosivus* pro vulgo sublimandus, & externo ac vulgari usui destinandus; en! sequentes monstrabo:

℞. Mercurii vivi, cum sale & aceto loti, & per corium expressi, libras duas:

solvatur cum

Aq. fortis simpliciter ex Vitriolo & Nitro still. suffic. quantit.

Factâ solutione, abstrahatur in alembico tota humiditas, ad siccitatem *Mercurii*, in pulverem albicantem conversi: cui porrò admisce

Vitrioli ad flavedinem calcinati,
Salis communis decrepitati, ana libras duas,
Salis Nitri libram unam:

Quæ probè mixta, & in matracio, pistillo ligneo aliquandiu agitata, immittantur cucurbitæ sive terreæ, sive vitreæ, infra lutatæ; & igne aperto, gradatim aucto, sublimatio fiat. Verùm cucurbita ita in furno accommodetur, ne ignis illam totam lambere aut circumdare possit; sed paulò suprà, quousque nimirum cucurbita à prædicta mixtura repleta est, ignis saltem cucurbitam illam circumdare possit: ibi igitur furnus undique claudendus, ut pars superna cucurbitæ vacua, extra ignem emineat, relictis tamen à latere spiraculis, ad regendos gradûs ignis: & tali modo feliciter operatio seu sublimatio succedit, breviori tempore, minori labore, igneque ac carbonibus paucioribus; *Mercurius* verò ad latera cucurbitæ, extra ignem prominen-

tia, unius diei ſpatio elevatur cryſtallinus, ſi gradûs ignis debitè rexeris. Huic porrò *ſublimato Mercurio*, ſi nondum totus cryſtallinus appareret, prioribus, in fundo cucurbitæ, reliquiis abjectis, denuò ſalis communis decrepitati libræ duæ admiſceantur; & modo præſcripto ſublimentur. Qui ſi cryſtallinus extiterit, aſſervandus; ſin minus, & tertiâ vice per ſe tantùm, aut addito pauculo ſale, ſublimationi ſubjiciatur, donec ad placitum ac voluntatem cryſtallinus & purus evaſerit: qui ad alios tandem labores adaptandus, aut externo uſui deſtinandus.

Sublimatur præterea *Mercurius*, absque ſolutione prægreſſa, cum *aqua forti*, modo ſequenti:

Accipiantur Mercurii vivi & purgati libræ duæ;

cui, ut citiùs coëat cum reliquis ſpeciebus addendis, & ſublimationi dicatis, admiſceatur ſtatim particula *Mercurii* antea ſublimati (ſicut moris eſt in ſublimatione & præparatione *Mercurii dulcis*) ad uncias duas circiter; item

Salis Communis decrepitati,
Salis Nitri puri, ana libra una,
Colcotharis, ſeu cap. mortui Vitrioli parum, &
Vitrioli ad flavedinem calcinati libræ duæ.

Hæc exactè mixta, & in matracio piſtillo ligneo tamdiu agitata, quamdiu *Mercurius* non ampliùs vivus appareat, cucurbitæ lutatæ, ſuo capitello munitæ (& præmiſſo vitro recipiente, ad excipiendam humiditatem, ſeu aquam fortem, inter initia exſtillantem) immittantur; ac igne aperto, gradatim aucto, furno tamen ſupra mediam circiter cucurbitæ partem clauſo (uti ſupra oſtenſum) ſpatio circiter duorum dierum, ſublimatio abſolvetur. Quâ peractâ, *Mercurio* huic jam ſemel *ſublimato*, & à nigredine ſeparato, abjectis in fundo cucurbitæ ſpeciebus, ſeu capite mortuo, porrò addantur

Salis communis decrepitati libra una,
Nitri puri unciæ octo, vel decem,
Vitrioli ad flavedinem calcinati libra una ſemis:

&, uti priùs, probè mixta, trituratione diligenti in matracio, piſtillo ligneo, ac cucurbitæ tandem immiſſa, ſublimentur in cryſtallinam compagem: quod quin ita futurum ſit, modo dextrè operatus fueris, ac ignem debitè rexeris, dubium nullum relinquitur.

Hic *Mercurius ſublimatus corroſivus*, licet, *intra* corpus ſimpliciter ſumptus, maximè *venenatus*, & ſummè *cauſticus* ſit; absque tamen emolumento ac uſu in Medicina non eſt, modò non intra corpus, tanquam vi cauſticâ ſuâ nocuus, propinetur: *externè* verò adhibitus, ſuis non deſtitutus eſt virtutibus: *in ulceribus* præſertim *Venereis*, *ſordidis*, *cruſtoſis*, *maximam præſtabit operam*, *aquis mundificantibus injectus*. *In gonorrhœa diuturna ac virulentâ curandâ*, *injectio-*

ctionibus ac liquoribus aloëticis modicè immixtus ; item ungentis & emplaſtris, pro excreſcentiis abſumendis, ſuas meretur laudes.

Nec deſunt tamen audaculi, qui & intra corpus, lue Venereâ infectis *Mercurium corroſivum ſimpliciter ſublimatum* propinant, in aqua ſimplici ſimpliciter ſolutum, tanquam magnum foret ſecretum : à quo verò ut quilibet ſibi caveat, fideliter moneo. Quamvis enim & hi Medicaſtri ſpecioſas adducant rationes : experientia tamen ſæpe ſæpius infelices monſtravit ſucceſſûs & effectus ; quos propriis uſurpavi oculis. Proinde, ut & intra corpus ſumendus *Mercurius ſublimatus* vulgi ſalutaris exiſtere poſſit, neceſſum eſt, corroſivos, ac malignos ejus ſpiritûs, in ſublimatione acquiſitos, priùs contemperare, & vel penitus annihilare, & in aliud ens veluti convertere, ac penitus ab eo ſegregare. Quod ut debitè fiat, & ex hoc *corroſivo Mercurio* multum noxio, dulcis efficiatur, benignus, ac ſalutaris ; ſublimatum dulcem experti Chymici ac Medici invenêre : qui quâ ratione, vel modo, legitimè parandus, *Animadverſiones noſtræ, pag. 631.* luculenter declarant ; quas B. L. conſulat.

Virtutes Mercurii dulcis notiſſimæ ſunt. Non ſolùm enim in Venerea lue, proprietate ſubſtantiæ ſuæ, ſpecificum remedium eſt ; verùm etiam in morbis chronicis, catharticis, aut pharmacis aliis admixtus, magna præſtat. Doſis eſt ſcrupulus unus, drachma ſemis, ad drachmam unam.

Ut is tamen magis benignus, omnisque pravitatis expers, ad internos uſûs reddatur ; abluatur porrò, ſeu edulcoretur, *Mercurius* hic *dulcis*, priùs, ſuper porphyrite, in pulverem ſubtilem tritus & levigatus, quaternâ aquæ calidiſſimæ affuſione ; ac leniter iterum exſiccetur. Hunc probè *lotum ac edulcoratum Mercurium*, *Mannam Mercurii*, *aut Metallorum*, appellare conſueverunt ; quo ſecurè ac tutò utimur, ſine ſalivationis periculo ; niſi corpus antea ad ptyaliſmum ac ſalivationem diſpoſitum, & materiæ copioſæ affluxus illam cauſaturus ſit.

Mercurius ſublimatus rubeus dulcis, quem *Arcanum Corallinum* vocant, & *Laudanum Mercuriale metallicum*, deſcribitur à Clariſſ. *Schrödero*, lib. 3. pag. 408. duobus modis : qui ibidem videri poſſunt. Sit tamen ex his duobus alter dilucidandus, & cum ſuis manipulationibus hic deſcriptus, talis :

Extrahatur Sal ex capite mortuo Aquæ fortis, quæ ex æquali parte Vitrioli & Nitri deſtillata fuerit. Hujus Salis accipe uncias quinque, vel ſex, eique ſuperimprimatur, ſub continuâ agitatione, per corium vervecinum,

Mercurii vivi purgati uncia una ſemis, vel unciæ duæ :

conterendo diu in mortario vitreo, vel in patina lignea, quousque Mercurius vivus non ampliùs conſpiciatur. Hinc ſublimatur in alembico gradatim, modo ſuprà exactè edocto, & aſcendet primò luteus ; ſecundò croceus ; tertiò rubicundus ſublimatus : quem ſepa-

paratim ſervabis, reliquis cum pauculo vivo adhuc Mercurio ſeparatis. Et hæc operatio ſpatio 24. horarum vix abſolvetur. Doſis gr. iij, iiij, & v. in lue Venerea.

PRÆCIPITATIO MERCURII.

NUnc porrò *Præparationem Mercurii* quod attinet, quæ meritò ſublimatum, vel ſublimationem, ſubſequitur; illa multipliciter fieri aſſolet: *vel* enim *Mercurius vivus* per ſe, nullâ penitus peregrina aut heterogeneâ re admixtâ; *vel* etiam adjunctis metallis, præcipuè verò *Auro*, ſolâ Vulcani benigni operâ; *vel* etiam cum aquis fortibus corroſivis, præcipitatur. *Præcipitatio* verò, quæ *per ſe* & *cum Auro* etiam, ſolo ignis moderati regimine, peragitur, *præ reliquis* (me judice) *amplectenda eſt*. Sub hâc enim actione & præcipitatione non vulgaria latitare arcana, ipſa nos docet natura. Clariſſimus *Schröderus* varios præcipitationis modos collegit, *ſuæque Pharmacopœiæ Medico-Chymicæ, lib. 3. cap. 15. pag. 399. & ſeqq.* inſeruit: interque illos pariter præcipitationem *Mercurii* per ſe dextrè deſcripſit; quem ipſum & ego ſuprà, *cap. de Auro*, indigitavi. Cùm autem inſtrumentum hoc vitreum, ſeu *Phiala*, ad hunc laborem, ſeu præcipitationem, neceſſaria, tàm exactè deſcribi nequeat: Ideam ejus ære incidi, atque, hîc impreſſam, ob oculos poni curavi; quæ talis;



Phiala

Phialæ igitur huic immittantur *Mercurii vivi*, decies cum sale & aceto loti, ac toties per corium expressi, unciæ tres vel quatuor, juxta magnitudinem nimirum *Phialæ*, ut ejus fundum solùm *Mercurio* operiatur, ad æquilibrium exactè in arenam collocatæ, ne *Mercurius* in unam *Phialæ* partem confluat, sed æquabiliter fundum tegat. Subdatur postea ignis lentus, qui progressu temporis nonnihil augeatur, donec *Mercurius* in pulverem rubicundissimum præcipitatus sit: quod plerumque sex septimanarum, aut duorum mensium, spatio, si continuatâ serie ignem debitè rexeris, ne violentus nimis, nec admodum etiam debilis existat, absolvetur.

Virtutes præstantissimi & rubicundissimi Pulveris hujus Mercurialis *haud exiguæ sunt, diaphoreticæ potius, quàm purgantes. Luem Venereameradicat; lumbricos enecat; febresque, repetitâ suâ exhibitione, pauculorum granorum pondere curat.* Qui verò eundem *Præcipitatum* præstantiorem reddere conatur, modo sequenti procedat:

PRÆCIPITATUS SOLARIS.

℞. Auri purissimi, per Antimonium purgati, unciam semis, vel drachm. quinque,

Mercurii virginei purificati, & per corium sæpius expressi, uncias duas,

seu, loco hujus,

Mercurius, septies cum Regulo Martis stellato, & Luna subtiliter limatâ, sublimatus substituatur.

Fiat amalgama, uti moris est, in crucibulo, igne moderato, Aurum candefactum in Mercurium actu calidum projiciendo. Hoc amalgama toties lavetur aceto & sale, quousque nulla ampliùs nigredo conterendo & abluendo conspiciatur, hinc siccetur, &, si fieri possit, per telam raram prematur. Huic amalgamati loto, & probè mundificato, porrò adde

Præcipitati superioris rubicundissimi, per se facti, uncias duas.

Conterantur diu multúmque in matracio vel mortario vitreo, quoad benè uniantur; immittantúrque phialæ planæ, (antea ostensæ) vel ovo etiam Philosophorum Hermeticè clauso, ac per gradus ignis denuò ad siccitatem & summam rubedinem reducantur. Et hic demum Præcipitatus præstantissimus erit; sine ullo corrosivo factus; solius naturæ opus, & medicina ad multorum morborum extirpationem efficacissima. Sapientibus pauca hæc sufficerint. Sub iis enim haud facilè obvia aut vulgaria latent Naturæ arcana. Qui verò in rerum naturalium cognitione exercitatus Medicus est, expertusque in laboribus Chymicis; is facilè ad altiora, assiduis laboribus, & hâc manuductione reali Naturam semper imitando, pervenire poterit. Quis enim alius, nisi exercitatus Chymicus

& Philosophus, sibi persuadeat, quòd in spirituali hoc corpore, aut spiritu corporali, seu aquâ minerali fluidâ candidissimâ, tanta rubedo, sanguinis instar, occultata lateat, soloque moderati caloris fotu, absque ullâ violentia, calcinatione adhibitâ, ac sine ullâ rerum aliarum additione, in conspectum & apricum produci possit? Adeoque in se ipsâ hæc mineralis aqua frigida & sicca est extrinsecus; calida verò & humida intrinsecus. Habet in se omnia, omnes colores in illa latent, volatilis est simul & fixa, & constans: proprii interitûs faber, quin & resuscitationis autor & artifex, dummodò talem nanciscatur Magistrum, qui inter prudentiæ terminos naturæ obicem non opponat; ejusdem æmulator, non tyrannus ac hostis. Sed hæc per transennam. Ad alia, licet inferioris conditionis his, medicamenta, usualia tamen, digredior. Et cùm in præcipitatione Mercurii versemur, necessum est, simplicis & communioris Præcipitati præparationem indigitare, quî fiat: sol. vendo Mercurium vivum purgatum in Aquæ fortis suff. quant. abstrahendoq; illam à Mercurio tribus cohobiis, semper recenti aquâ furti reaffusâ. Hunc, pluresque alios præcipitatos pulveres Mercuriales, idem Clarissimus *Schröderus*, *loco citato*, describit: inter quos etiam *Præcipitatus Corallinus* est, qui eâdem normâ ac viâ, quâ superior simplex Præcipitatus, apparatur, spiritum saltem Nitri, pro dissolutione Mercurii, & repetitâ quaternâ cohobatione, spiritu eodem recenti semper affuso, loco aquæ fortis, substituendo. Præ cæteris item variis, ibidem descriptis, processibus, decimus illorum mihi arrisit; *Præcipitatus* nimirum *albus*, *S. Closs. Vomitivo-Catharticus*: nec non duodecimus, *Præcipitatus incarnatus cum urina sani hominis*: *Aurum* porrò *vitæ Closs pag. 404. lib. cap. 15.* qui ibidem omnibus conspicui prostant.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS LUTEUS IN MOMENTO.

℞. Mercurii sublimati corrosivi q. pl.

Solvatur, ebulliendo parum, in aquæ fontanæ ſ q. vitreo tamen aut terreo in vase. Solutio filtrata præcipitetur cum *oleo Tartari* per deliquium facto, ac guttatim infuso. Præcipitatus Pulvis aquâ effusâ & decantatâ, sæpiusque recenti aquâ reaffusâ, edulcoretur, donec nulla acrimonia sive salsedo gustu amplius percipiatur: *Pulvis*, qui remanet, insipidus, siccetur, usuique asservetur.

Ad Icteritiam sanandam, obstructionibus reserandis, ac febribus diuturnis curandis, efficax est. Dosis sit à gr. iiij. vel v. & vj. in Theriaca, semel vel bis in hebdomade exhibita.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

℞. Mercurii vivi purgati uncias quatuor:

solva-

solvatur in

Aquæ fortis suff. quantit.

Solutione superinfundatur aqua salsa (de sale communi) quousq; totus Mercurius præcipitetur in forma pulveris candidi; quem edulcora, sicca, ac usui Medico asserva.

TURBITH MINERALE.

EST *Mercurius* communiter etiam *cum spiritibus vitrioli & sulphuris præcipitatus*; uti supra, cum aquâ forti, ac spiritu nitri, præcipitationes edoctæ sunt: fiuntque ut plurimùm pulveres flavi, qui probè edulcorandi, & leniſſimè calcinandi sunt. Quomodocunque igitur apparentur, unam ferè eandemque indolem ac virtutes sapiunt.

TURBITH MINERALE RUBRUM IN MOMENTO.

℞. Mercurii præcipitati rubri simplicis unciam unam semis,

cui superaffunde

Olei Tartari per deliquium facti tantundem.

Digere per unum alterumque diem; hinc, aquâ simpl. affusâ, edulcoretur, parumque leniſſimo igne calcinetur: ultimò spiritus vini rectificatiſſimus, super ipsum accensus, conflagret, ac Pulvis usui reponatur: *cujus dosis gr. v. vj. ad viij.* Vel sequentem tibi modum ostendo;

℞. Mercurii legitimè sublimati uncias duas,

solvatur in

Aquæ simplicis, aliquot guttulis saltem Olei sulphuris acutæ, s. q.

Solutio filtretur per chartam, ac uno alterove die leni calore digeratur; tandem

Olei Tartari per deliquium facti s. q.

guttatim instilla, ut præcipitetur Pulvis rubeus; qui ab aquâ separandus, edulcorandus aquâ sæpius affusâ, ac usui asservandus est: *Ad morbos Venereos perutilis. Cujus dosis gr. jv. v. vj. & viij.*

PANACEA EX MERCURIO.

℞. Mercurii dulcis, seu, uti vocant, Aquilæ cœlestis uncias sex,
Reguli Antimonii ritè parati uncias tres:

Misceantur exactè, & in pulverem, super porphyrite diu conterendo, redigantur: quibus dein, cucurbitæ vitreæ immissis, superaffundantur

Spiritûs Vitrioli opt. unciæ tres:

digerantur triduo, vel quatriduo, circiter, in cineribus calidis: deinde ex arena destilletur & abstrahatur tota humiditas phlegmatica aquosa, ad siccitatem pulveris, vel massæ; cui, in pulverem redactæ,

Spiri-

Spiritus Vini Tartarisatus superaffundatur, extrahaturque *Tinctura*, repetitâ ejus affusione & decantatione, quousque nulla ampliùs rubedo appareat. Spiritûs tincti omnes in M. B. ad siccitatem Pulveris rubei abstrahantur; qui asservetur. *Dosis ejus est gr. iij. iv. ad v. in morbis diuturnis chronicis sanandis, obstructionibus reserandis, & febribus abigendis: item in melancholia hypochondriaca, icteritia, & lue Venerea curanda, efficax est remedium.*

MERCURIUS DULCIS SOLARIS.

℞. Mercurii dulcis, iteratis sublimationibus candidiss. facti, uncias duas,

Croci Auri nostri dextrè parati unciam semis.

Misceantur exactè contritione diuturnâ super porphyrite lapide. Hinc phialæ planæ, (uti supra) immissa, calore arenæ per mensem, & ultrà, moderato igne in Pulverem rubeum convertantur. *Hæc est Medicina præstantissima in morbis è Lue Venerea obortis; febribus item diuturnis curandis, & cordi roborando, efficax. Dosis à gr. viij. ad x. & xv.*

OLEUM MERCURIALE.

PLures inveniuntur, *Oleum Mercurii* parandi, processûs & modi, qui tamen unam ferè eandemque redolent prosapiam, manipulationibus saltem à se invicem discrepantes. Et licet ejusmodi Liquores *Olei Mercurii veri* nomen vix mereantur; nihilominus, cùm non parum de Mercurio participent; unum atque alterum eorum adstruam, & quidem *ex Notis & Animadversionibus in Poppium, Clar. D. Agricolæ, hûc tractos: & sunt tales:*

℞. *Stanni puri Anglici libram unam:*

hoc liquefieri finito in crucibulo, igne moderato: cui adde

Mercurii vivi calefacti tantundem,

ut amalgama fiat: quod multoties cum sale & aquâ calidâ lavetur, quoad omnis nigredo & impuritas ab eo ablata, ipsumq; albicans, & nivis instar, candidum appareat. Hinc siccetur, inq; Pulverem redigatur: cui porrò adde

Mercurii sublimati libras duas.

Misceantur exactè, multum conterendo in mortario vel matracio vitreo. Hæc deinde mixtura collocetur super laminam ferream, & loco humido, vel aëri, exponatur, quo in liquorem resolvatur, & in suppositum vitrum, unà cum Mercurio vivo currente, ruat. Liquor hic resolutus, separato ab eo Mercurio currente vivo, cucurbitæ vitreæ immittatur, & in M. B. leni calore dephlegmetur, liquore crassiore in cucurbita superstite, qui tandem, post XIV. dierum in Balneo digestionem seu macerationem, retortæ parvæ vitreæ infusus, igne arenæ totus in vas recipiens præpositum

tum gradatim pellatur, ultimò igne adaucto fortissimo. Et prodibit Liquor, seu Oleum dulce, præstans in affectibus externis; utpote Cancro, Lupo, Fistulis, aliisque sordidis & excedentibus Ulceribus sanandis efficax.

Utuntur porrò nonnulli hoc Oleo, seu Liquore, ad alios labores Chymicos; ac magni quid, in solutionibus Auri, aliorumque metallorum, sibi promittunt. Cuique de his suum esto judicium.

Ipse Autor prænominatus, Clariss. Agricola, ex Venere, seu Cupri laminis beneficio hujus liquoris, tanquam Menstrui, Sulphur, seu Tincturam rubicundissimam, extrahere *docet;* cupri laminis dealbatis, seu sulphure & colore suo rubeo spoliatis, in residuo manentibus: quam deinde Tincturam, ad dimidias destillando, abstrahere; residuum verò in salem viridem crystallinum concrescere satagit. Hocque Sal *(loquor Chymicis, non Grammaticis)* seu Vitriolum, phialæ immissum, igne gradatim aucto, variantibus per se coloribus, sensim in rubicundissimam Pulverem subdulcem figere præcipit. Sit igitur fides penes Authorem.

Aliam præterea Olei, seu Liquoris, Mercurii saccharini præparationem prædictus addit Author; quæ talis:

℞. *Mercurii sublimati dulcis, & Sacchari Cand. ana libram unam.*

Misceantur exactè conterendo in pulverem, retortæ vitreæ deinde immissa, destillentur per gradus ignis in vas præpositum recipiens; & prodibit Liquor Mercurialis præstans, interno ac externo usui destinatus: in morbis præcipuè ex Lue Venerea ortis.

LIQUOR ALIUS, seu OLEUM MERCURIALE.

℞. Mercurii legitimè, proprio Marte, uti supra edoctum, sublimati, uncias sex,

Sacchari Saturni legitimè etiam parati tantundem.

Mixta exactè, & in pulverem redacta, immittantur retortæ vitreæ, ac ex arena, servatis ignis gradibus, præmissoque recipiente, destillentur; & prodibit Liquor albicans dulcis, omni corrosione seu acrimonia expers. Residuæ in retorta massæ nigricanti, in pulverem priùs redactæ, suum proprium affundatur Oleum destillatum, & peractâ digestione leni B. M. per octiduum circiter, denuò ex retorta, observatis gradibus ignis, destillentur in Oleum flavum: quod servetur, cùm ad internos, tum externos usus haud inefficax. Quæ plura & haud spernenda, aut levia, de hoc Liquore Mercuriali prædictus Clariss. *Agricola, cap. de Mercur.* producit. B L. ipse revolvevere, ac usui proprio applicare potest.

OLEUM ALIUD MERCURII DULCE.

℞. Mercurii cum Vitriolo & sale fuso sublimati q. s.

solvatur, quantum fieri potest, in

Spiritûs vini ad summum rectificati, & ab omni phlegmate liberati,

Factâ solutione aliquali in Alembico, appositio capitello cœco, per mensem circiter putrefiant in fimo equino, vel M. B leniſſimo calore: quâ peractâ putrefactione, abstrahatur *spiritus vini* in M. B. hoc abstracto ad Oleitatem residuum urgentiori igne in arena, ex retorta vitrea parva, in aliud vas recipiens pellatur: prodeunte liquore dulci Mercuriali. *Ad Lupum, Cancrum, & Ulcera sordida antiqua persananda utilis.* Keslerus.

AQUA MERCURIALIS.

PRimò destilletur Aqua Stygia, seu Fortis, ex Vitrioli ad flavedinem calcinati,

Nitri puriſſimi & purificati, ana libris duabus;

additâ

Aluminis usti, seu strenuè calcinati, libra unâ.

Aqua hæc studiosè asservetur, aut in aquam Regiam convertatur, adjiciendo

Aquæ hujus Stygiæ libræ uni,

Salis Armoniaci, per solutionem & coagulationem purificati, uncias duas.

In hâc Aquâ Regiâ, cucurbitæ vitreæ & oblongæ immissâ, dissolvantur

Mercurii, cum vitriolo & sale communi tantùm, juxta mod. *n. in Animadverſ.* indigitatum, studiosè sublimati, unciæ sex.

Pedetentim, ac per vices, & in cineribus, leniſſimo calore digerantur, donec Mercurius sublimatus totus sit solutus (si tamen, pro dissolutione dicti Mercurii sublimati, non sufficerit Aquæ Regiæ libra una, effundatur, quod solutum; residuo verò, nondum dissoluto Mercurio, recens Aqua Regia affundatur, donec totus solvatur.) Hæc solutio Venerem ad instar Lunæ dealbat: peractâ verò solutione, immittatur illa phialæ oblongæ, superiùs Hermeticè sigillandæ, ne quid exspiret; & in fimo equino, vel alio calore humido Balnei, tribus circiter septimanis putrefiat, donec fæces fundum petant, aqua verò supernatans clara, cœruleo colore appareat. Quo viso, & fæcibus separatis, fiat destillatio aquæ Mercurialis in cucurbita vitrea, suo capitello munita, ac præpositio vitreo recipiente, & quidem ex arena, observatis ignis gradibus, donec tota aqua limpida & clara exstillârit; quam studiosè, in vitro forti ac probè clauso asservato. Præstantiſſima siquidem, ad corpora Metallorum & Mineralium in primam suimateriam dissolvenda. Observetur tamen, quòd, in aquæ hujus destillatione, guttulæ non decidant con-

continuâ serie, sicut in aliarum aquarum destillatione contingit. Præterea *notandum venit*, aquam hanc Mercurialem non solvere corpora metallorum aut mineralium simpliciter in aquam; sed in viscosam illa convertere materiam, à communi solutione longè diversam.

AQUA MERCURIALIS ALIA.

PRimò seligatur arena pura ex fluminibus, eaque abluatur sæpius in patinâ larga, quousque omnis limosa impuraque terra decesserit, & aqua limpida denuò effluxerit. Hujus

Arenæ lotæ accipiatur libra una, vel libra una semis,

Mercurii, uti supra, cum vitriolo & sale tantùm sublimati, libra una:

Misceantur exactè, conterendo diu in mortario lapideo, immittanturque retortæ vitreæ, ac in arena, igne etiam suppressionis, scilicet ignem infra & supra retortam admovendo, destilletur spiritus fortissimus, fumum continuò exspirans: qui in vitro forti asservandus; mutando tamen vitrum singulis mensibus. Cùm enim aqua hæc diu in uno eodemque vase asservata fuerit & detenta; illud confringit, & sic incassum abit.

Hujus, & similium Aquarum Mercurialium, tantus in Medicina usus non est; quin potiùs ad alios labores Chymicos, solutiones Metallorum, Auri præcipuè & Argenti, volatilia illa reddendo, quò facilius per alembicum trahi possint, adaptentur.

AQUA MERCURIALIS ALIA: RUDOLPHI IMPERATORIS S. M. ADSCRIPTA. EX COMMUNICATIONE KELLÆI.

C. Calcis vivæ albiss. libras quatuor:

Immittantur ollæ vitreatæ, & supersusâ aquâ fervidâ, ad supereminentiam unius spithamæ, leniter coquantur: protinus autem, & inter initia ebullitionis, injiciantur successivè

Salis Armoniaci libræ duæ:

factâ ebullitione leni, spatio unius horæ, filtretur aqua calcis salsa per chartam emporeticam, & in sartagine ferrea evaporet ad siccitatem salis, qui, in humido loco, in liquorem denuò sponte suâ resolvatur.

Hujus Liquoris Oleosi accipe libram unam, & in eo dissolve

Mercurii sublimati inferiùs edocti, & super porphyrite subtiliss. triti, libram semis:

digerantur & putrefiant in cucurbita probè clausa calore balnei, vel simi equini, duabus vel tribus circiter septimanis. Tandem solutioni huic adde chartæ emporeticæ aliquot folia, vel integrum librum, ut totaliter impræg-

netur, & in massam convertatur : quo facto, & agglutinato cucurbitæ capitello, præmissoque recipiente, destilletur ex arena, inter initia leniss. ignè, ad totalem usque Aquæ dulcis prolectionem. Remoto deinde recipiente, cum aqua egressa, & alio vitro protinus agglutinato, igneque per gradûs adaucto, excipiatur aqua Mercurialis seperatim, tamdiu ignem continuando augendoque, donec nil ampliùs prodeat. Aqua tandem prolecta rectificetur, & ad ulteriores usus studiosè asservetur, in vitro quidem forti, oleo Terebinthinæ intra oblinito ac iterum siccato, ne brevi, ab aqua Mercuriali veluti dissolutum, rumpatur, & terræ Aqua dicta commendetur.

Varium atque præstantem hujus Aquæ usum esse, *ferunt*, gemmis impuris clarificandis, earundemque Tincturis etiam exaltandis destinatum : *unde* adamantem fuscum aut flavum illustrare ; saphiro nitorem adamantis & diaphaneitatem conciliare, *asserunt* ; extrahere porrò & elicere sulphur & animam metallorum omnium, &, juxta speciem sulphuris metallici extracti, gemmas sui coloris, immersas proprio imbuere colore, aut colorem earum magis intendere : *utpote* solutionem Lunæ fixæ hâc aquâ factam, seu extractam, saphiros albicantes, pallidos, ipsi injectos seu immersos, efficere, unius mensis spatio, cyaneo cæleslinoq; colore resplendentes ; rubinos, solutione Martis ; smaragdos, solutione Veneris ; margaritas orientales impuras, vel immaturas, solutione matris Perlarum, vel etiam sola aquâ hâc Mercuriali, purificari, ac perfici. Verùm relata saltem refero. Qui curiosiùs ea experiri voluerit, paucis expensis, laboribusque exiguis, illa effectui dare ac experiri poterit. Licet enim in omnibus voti sui compos non sit futurus : in solutionibus saltem metallorum & mineralium non in-cassum laborabit, aut operam ludet : quod L. B. præmonitum volo.

MERCURIUS SINGULARITER PRO AQUA PRÆDICTA MERCURIALI SUBLIMATUS

℞. Mercurii vivi probè purgati uncias quatuor,

solvatur in

Aq. fortis recenter factæ unciis XVI.

Factâ solutione, abstrahatur aqua fortis ad siccitatem Mercurii, inque formam massæ : hinc statim sublimetur vel per se, vel addito sale decrepitato ; & sic, ad aquam prædictam Mercurialem, Mercurius dextrè & sublimatus, & paratus erit ; quem etiam aliis laboribus accommodare licet.

Pro Coronide, ac fine Capitis hujus, nonnulla de famoso ac tantopere decantato Liquore ALKAHEST (summo Doctissimi Helmontii secreto) superaddere libet, tanquam conceptûs ad Praxin nondum redactos : de quo Liquore prædictus van Helmont, *in Progymnasm. Meteori, pag. 70.* haud pauca differuit ; quæ B. L. revolvat, ac his sui addat experimenta. Sint autem talia :

Primò

Primò paretur Alcali ex calce viva & ſale Tartari, cementando ſalem Tartari cum calce viva, vel coquendo; & denuò elixiviando illum cum aqua ſimplici, ac iterum ad ſiccitatem, evaporare ſinendo aquoſitatem, redigendo. Et hujus Salis larga ſatis copia paretur.

Secundò, cum illo ipſo Alcali teratur Mercurius vivus, in mortario lapideo nonnihil calido, donec nil ampliùs de Mercurio conſpiciatur; impoſitis hiſce protinus vitreæ retortæ, pellatur Mercurius Mercurius, igne adhibito, in vas recipiens. Hæc operatio ſæpius ac multoties repetenda; donec Mercurius limpidiſſimus, & verè ſpiritualis, appareat.

Figura Inſtrumentorum:



Tertiò : Apparato Mercurio, & ad ſummam ſpiritualitatem redacto, inſtituatur ejus deſtillatio per tres invicem luto bono arctiſſimè connexas retortas, prout figura, hîc æri inciſa, & appreſſa, exhibet; quarum prima ſupernè habeat canalem, extra fornacem prominentem, per quam Mercurius dictus ſucceſſivè, & per vices, injici poſſit: quælibet autem retorta habeat ad id opus exſtructam fornacem; uti omnia hîc ſuperiùs conſpiciuntur. Mercurius, qui vivus, unà cum aquoſitate, tranſit, de novo injiciatur primæ retortæ, per ſuum canalem, donec ferè totus in aquam verſus ſit.

Quartò : Immittatur Aqua hæc Mercurialis phialæ oblongæ, cujus ſexta, vel octava pars ſaltem ſit repleta; & phiala per aliquot menſes in fimum equinum collocetur, donec tota aqua in ſpumam converſa fuerit : quo viſo ſigno, continuetur putrefactio usque dum ſpuma evaneſcat, & liquor in fundo phialæ denuò conſpiciatur; qui tandem, ſemel atque iterum per retortam, ex arena rectificatus, ſtudiosè aſſervetur. Plura de hoc Liquore ex prædicto Helmontio petantur.

DE CINNABARI.

AD Mercurium *Cinnabaris* jure meritò, cùm *Naturalis* ſeu *Nativa*; tùm *Artificialis*, ſive *Factitia*, referenda. Quemadmodum enim ex *Cinnabari nativâ Mercurius vivus currens, ſincerus & purus*; ſic ex *Mercurio vivo*, reciprocè, *Cinnabaris factitia* facilis paratu eſt. Cui itaq; volupe fuerit, ex *Cinnabari nativâ*, vel etiam ex *Cinnabari Antimonii*, Mercurium conficere currentem, ad ulteriores labores vulgari præſtantiorem; modo ſequenti procedat :

℞. Cinnabaris nativæ rubicundiſſ. Hungaricæ, aut etiam Carinthiacæ, libram unam :

cui, in pulverem ſubtilem tritæ, adde

Limaturæ ferri, ſeu Chalybis, uncias octo, vel decem,

Calcis vivæ uncias ſex.

Mixta humectentur nonnihil pauculo aceto deſtillato, immittanturque retortæ vitreæ, ac igne aperto, per gradûs auctо, expellatur Mercurius in vas recipiens præpoſitum, aquâ frigida ſemiplenum. Mercurius prolectus, ſemel atque iterum cogatur : qui vulgari præſtantior erit, præſertim ſi, repetitis ſublimationibus, purior reddatur, tum etiam, additione quorundam mineralium, animetur modo ſequenti ſcilicet :

℞. Mercurii puri, ſtudiosè è Cinnabari nativâ extracti,

Reguli Antimonii Martialis ſtellati, ana libram unam,

Argenti limati libras duas :

quibus probè mixtis ac amalgamatis, ſublimetur Mercurius igne aperto, per retortam, & pellatur in vas recipiens præpoſitum, aquâ ad mediam partem repletum. Et hæc ipſa *Mercurii ſublimatio*, ſeu *deſtillatio*, à ſpeciebus prædictis octies, vel decies, repetatur, ſingulis vicibus *Mercurium* ſiccando, ac per

ac per corium trajiciendo. Sic Mercurius, ut Aquila, liberè volabit, à metallis & mineralibus animatus, spirituosus, nec non purus ac limpidus factus: æthereoque colore fulgidus apparebit. Hunc Mercurium non immeritò Philosophicum dixeris, qui Solem & Lunam in primam sui materiam revocare, & spiritualia rursus efficere potis est, servatâ seminali virtute, ac radicali humiditate. Et hæc, citra parabolas, veritatis avidis Studiosis dicta sufficiant.

Ad *Cinnabarim factitiam Artificialem* nunc revertor; quæ paratur *ex Mercurio vulgi currente, & sulphure communi ac puro*; liquando nimirum sulphuris uncias quatuor, immiscendoque illi Mercurii uncias octo. Ex hac mixtura, beneficio sublimationis repetitæ, naneiscris Cinnabarim Artificialem Officinarum. Cujus exactam etiam descriptionem Clariss. Schröderus, *in Pharmac. sua Medico-Chymica lib. 3. c. 15. pag. 409.* tradit; quæ ibidem videatur.

Oleum Corrosivum Mercurii & Antimonii, quod *Butyrum Antimonii* vocant, uuà cùm Mercurio vitæ, qui & ipse Antimonio sua debet primordia, ad proprium Caput, *de Antimon.* destinavimus.

CAPUT VIII.

DE

ANTIMONIO.

JAm ad finem perductis *Metallis*, & absolutis medicamentis usualibus ex iis, ad alia, minùs talia, *semi-Metalla* seu *Mineralia*, dicta, progredi, atque etiam horum nobis salutaria & proficua medicamina describere, Mantissæ inserere, & Lect. B. communicare, juris esse existimavi. Quapropter ab *Antimonio*, seu *Stibio*, tanquam cœtera Mineralia præstantiâ & virtutibus medicinalibus antecellente, auspicaturus; illicò ad salutaria, ex hoc subjecto remedia adstruenda me accingam: quæ etiam, absque fuco atque hyperbolicâ obscuritate, præmissâ priùs *Antimonii* definitione; etymo, genesi, loco natali, atque facultate, fideliter allaturus sum.

Est autem *Antimonium* corpus minerale, metallis cognatum & proximè adnascens, eò quòd ex iisdem (quibus & Metalla) principiis, in visceribus terræ, conflatum sit: pro majori nimirum sui parte, ex *sulphure* inflammabili, tum etiam fixo, solari, & puro: *Mercurio* metalico sulphure minùs copioso; & *salis* parte minimâ, constans; ita, ut censendum sit, Archeum terræ hoc, tanquam ex principiis

piis ſuperfluis metallicis indigeſtum, corpus ad latera perfectorum metallorum collocaſſe, in rudem hanc maſſam conflaſſe, & veluti ad altiora metalla generanda ſegregaſſe: quod tamen, accedente ſemine & ſpiritu metallico, in metallum tandem perfectum efformari & transire poſſit. Etenim experientiâ conſtat, & avito Majorum uſu confirmatum eſt, *Antimonii mineram*, per incerationem & macerationem ſalſarum & lixivialium aquarum, ac liquorum, ita maturari, ut pro haud exigua ſui parte in perfectiſſima metalla, *Aurum* & *Argentum*, transmutari poſſit. Cujus rei ipſe teſtis oculatus & arbiter fui Claudifori, Anno 1643. ubi Venerandus Senex ac Medicus, Dn. *Adamus Zuſnerus*, nonageſimum quartum illo tempore annum agens, hæc propria experientiâ, & quotidie, haud exiguo ſubſtantiarum ſuarum augmento, comprobavit.

Variis, ab antiquis & recentioribus Chymiris, *Stibium* inſignitur nominibus. *Lupum* enim nonnulli, à devorando; quòd cuncta metalla devoret: *Proteum* alii; quò in varias figuras & colores diverſos ſeſe transmutari ſinat; *Radicem* quidam *Metallorum*; quia omnibus adjacet metallis: *Saturnum* item *Philoſophorum*, & *Magneſiam Saturninam*: *Leonem rubrum*, Paracelſus: *Orientalem* verò *Leonem*, Baſilius ænigmaticè indigitare & appellare ſolebant.

Delectum, & *Valorem*, *Antimonii* quod concernit: illud præ omnibus amplectendum, quod ex Auri & Argenti fodinis eruitur, adeoque *Hungaricum*: & quod ex *Tranſylvania* venit, præ aliis palmam retinet: eò quòd illud principiis purioribus, *Sulphure* præſertim, & *Mercurio*, à ſpiritu & ſemine Auri & Argenti veluti impræg-natis, gaudeat. Unde omnibus etiam Spagyris & Chymicis, ad ſuos labores, diverſaque ex eo conficienda, præparandaque medicamenta, expetitur: imò ad longinquas regiones & oras non exiguis defertur expenſis; & ſummè deſideratur. Striis ſcintillantibus & ſplendentibus longis utplurimùm præditum eſt, quando nimirum jamdum igne fuſum, & (uti ſolet) in maſſam pyramidalem redactum eſt.

Nativum Antimonium verò aliquando purum & putum particulatim, majoribus, minoribúsve fruſtulis eruitur: nonnunquam ſaxis & lapidibus aliis montanis commixtum & adnaſcens, majori mole reperitur. Illud etiam, quod è veris Aurifodinis effoditur, & maculis rubeſcentibus conſperſum ac conſpicuum eſt, ab omnibus expertis Chymicis probatur.

De *Viribus*, ac *Virtutibus*, *Antimonii* multa inferenda eſſent, explanandumque; utrum hoc tam exitiale venenum ſit, uti nonnulli inexperti Oſores illud allatrant, atque divulgant: num è contra ſalutare Naturæ productum, quod humano generi, vel in ſubſtantiâ uſurpatum, aut exinde derivatis ac diſpenſatis remediis, magnum ſit antipharmacum. Verùm, cùm omnia hæc, & ad amuſſim, Clariſſimus Quercetanus, *cap. 11. de Antim. pag. 673.* explanarit, adductis inſimul aliorum, cùm Antiquorum, tùm Recentiorum

rum præclariſſimorum Virorum ſententiis : idcircò hoc onere ac cenſurâ hâc meritò ſuperſedeo , eaque ſicco quaſi tranſeo pede, ne & acta agere,& dextrè jam deſcripta deſcribere videar. Eò igitur B. L. ablegatum volo , ubi omnia & ſcitu digna , & neceſſaria , ad unguem exarata offendet ac deprehendet. Hoc unum adverterim ego ; eos ſolummodò relegare *Stibium* , ac contemnere , ſeu cum reliquis venenis repudiare , quibus anguſta domi ſuppellex ac ſcientia , & qui Philoſophiam ſuam , rerumque naturalium ſcrutinium : obiter ſaltem ac tumultuariè comprehendêre. Quid igitur mirum, extra limites proſilire , quibus tam limitatum eſt judicium ? Quo tamen non obſtante, ipſe ego nonnullos , qui ab *Antimonio* abhorrent , illudque pro deleterio habent , excuſo : Periculoſæ enim plenum opus aleæ eſt , ignoto ſeſe concredere pharmaco , cujus virtus & energia adhuc deſideratur. Quare qui genium ac indolem , vires & actiones, *Stibii* dilucidè non penetravit, fugâ ſibi conſulat potiùs, quàm ut temerè illud amplectatur aut aſſumat , nec obvio cuique Chymiaſtro & fumivendulo , talia offerenti , ſe concredat. Eſt enim *Antimonium* , (ut & nonnulla vulgariter ex eo parata remedia violenta) tanquam culter in manu puſionis , aut enſis bifidus in dextra ſtulti , quorum multi propriâ dementiâ intereunt: cùm interim innumeri vitam & ſanitatem ſibi per *Antimonium* vindicent , & deploratos ac chronicos morbos profligent : ubi dextrè à Spagyris paratum , cautoque fuerit propinatum. Et verò ipſi cœteroquin Chymiæ pertæſi , aut ignari , ſuffragari cogerentur, eximias dotes , & arcanas vires contra diros morbos , in *Antimonio* latere ; ſi illud crudum , ſaltem in minutas particulas confractum , ac in petiâ ligatum, citra torturas , quas Proceſſûs indigitant , aquoſis ſaltem decoctis largiter ſuperadderent ; nequaquam verò ex vino propinarent. Tam enim abeſt, ut , taliter adhibitum , deleterii & nocui quid in *Stibio* deprehenderent ; quin potius ſalutariter tàm internis, quàm externis , uſibus deſtinarent. Etenim hujus præſcriptionis, & querelarum ſuper *Antimonium* , ejusque vulgariter parata medicamenta , cauſa unica eſt , mala ſeriatorum hominum temeritas , atque audacia ; qui ſine diſcrimine , & cognitione , cùm ægri & morbi , tum remedii , talia , malâ fide, à quovis fumivendulo parata medicamenta Antimoniata , interno uſui deſtinarunt ; è quibus poſtmodum haud pauci funeſti eventûs & casûs Tragici ſubſecuti ſunt. Quorum certè malorum eventuum ipſe ego multoties arbiter fui : uti in progreſſu, ubi de *Antimonio Diaphoretico* acturus ſum , dilucidè explanabo. Verùm , quàm ſalutares è contra effectûs , & præſentaneas graviſſimorum morborum medelas , tanquam à divina auxiliatrici manu promanaſſent , Antimonium , ejusque legitimè & dextrè parata medicamenta , ediderint , & præſtiterint ; hæc monſtrant *Doctiſſ. Senis Rulandi*, tum & aliorum præclariſſimorum Virorum poſthuma ſcripta , nec non viva teſtimonia. Quàm ſpecioſâ quoque pane-

gyri *Antimonio*, Clar. & Doctiſſ. *Matthiolus*, *Archiater quondam Cæſareus*, parentârit: hujus copiam tibi refert ſolertiſſimus Quercetanus, loco ſuprà citato. Quare lividorum, aut maleferiatorum hominum querimoniæ nequaquam memorantur, quin ad ſalubria, ex Antimonio, paranda remedia illicò deſcendam.

VITRUM ANTIMONII SINE ADDITIONE.

PRimum omnium, & communiſſimum, quod arte ex *Antimonio* parandum venit, medicamentum, *Vitrum* ejus eſt. Hoc quomodo parandum, Clariſſ. Schröderus, *lib. 3. c. 17. p. 422.* deſcripſit. Aſt, cùm inſufficienter explanatum ſit, valdeque intricatum, neque illa additio ſalis communis probanda; idcircò legitimam ejus præparationem, cum omnibus manipulationibus, hîc aſtruam; quæ talis:

℞. Antimonii Hungarici opt. ſubtiliter triti, qv. pl.

Hoc calcinetur leniter, in vaſe terreo plano & largo, & quidem ſub camino, loco patulo, rudicula æneâ, (non ferreâ) continuò agitando, ne in grumos tam citò concreſcat. Hoc ſi ultimò tamen contingat, & Antimonium (ut fieri ſolet) in grumos abeat: redigatur denuò in pulverem, &, (uti priùs,) in patinâ illâ planâ, continuò commovendo rudiculâ, ſuper igne leni calcinetur; & ſi iterum concreſcat; tertiâ etiam vice, poſtquam iterum ſubtiliter tritum, antedicto modo calcinatio reiteranda: in qua non ampliùs, vel difficulter, conglobabitur; ſed in gryſeum pulverem, cineris inſtar, convertetur: qui tamen non diu, poſt peractam calcinationem, aſſervandus eſt, ne ab aëre attracto alteretur, ac ægrè poſtea perſpicuitatem vel diaphaneitatem vitream nanciſcatur. Propterea illicò, abſolutâ calcinatione legitimâ, crucibulo immiſſus, igni furorio tradendus eſt: ſic ſpatio quadrantis, aut dimidiæ horæ perſpicuitatem (quam ſubinde bacillo ferreo inſerto, non diu autem intus relinquendo, explorare licet) mutuabit: quâ apparente, ſtatim effundatur in pelvim cupream, & Vitrum erit pulcherrimum, repræſentans quaſi Rubinum. Quòd ſi tamen (uti nonnunquam contingit) ad diaphaneitatem difficulter reducatur, injiciatur illis, dum adhuc in crucibulo liquatum, nonnihil Sulphuris communis fruſtulatim; prout in præparatione & purificatione Nitri, pro Lapide Prunellæ, fieri aſſolet, ut conflagret; quod illicò *Antimonium* depurabit, diaphanumque *Vitrum* reddet.

Præterea quoque notandum eſt, quòd ferrea inſtrumenta, quæcunque etiam illa ſint, quibus cum pro calcinatione, tum vitrificatione *Antimonii* opus, abarcenda & vitanda ſint; ſinimirum *Vitrum* perſpicuum, & non ſcorias efficere, in votis ſit. Unde ſuperiùs, non abs re, & ſine ratione, ſtudiosè monui; ne ſaltem rudicula ferrea, pro exploranda diaphaneitate, crucibulo, & liquato Antimonio nonnunquam, & quidem ſæpiùs, immitti ſolita, diu intus detineatur, ſed protinus qua-

qualibet vice extrahatur; ne & ipsa ab Antimonio, pro parte saltem ejus immersa, absorbeatur, quemadmodum aliàs omnia metalla, præcipuè ferrum, *Antimonium* devorat) &, loco vitri, tandem scoriæ, Reguli instar, efficiantur. Hinc etiam vas illud terreum, seu patina larga plana, in quâ *Antimonium* calcinandum, ut & crucibulum, in quo liquandum, omni Martiali glebâ, sive scoriis ferri, carere & immunia esse debent. Secus enim, si nigricantia vasa, quæ Cellæ-Figulorum (oppido in Austria superiori, vulgò Haffner-Zell) conficiuntur, metallis, mineralibusque aliàs liquandis & calcinandis usitata, in igne quidem constantia & durabilia, huic calcinationi & vitrificationi *Antimonii* adaptarentur, neutiquam *Vitrum* diaphanum aut perspicuum efficeretur; quin potùs massa Reguli obscuri, vel scoriis simillima, acquiratur. Quod & mihi inter initia contigit, donec, experientiâ edoctus, imposterum ab his instrumentis abstinui, & alia longè aptiora vasa, constantia, ac ignem strenuum diu sustinentia, pro his laboribus adinveni, & à figulis studiosè confici curavi: ex solâ nimirum terra figulina purâ albescente, vitro & silicibus subtiliſſimè tritis, terræ dictæ largiter immixtis. Et hæc quippe instrumenta, seu vasa, perfectiſſima sunt & durabilia, ad quoscunque labores, & similes metallorum ac mineralium liquationes, & destillationes spirituum corrosivorum aptiſſima. Ne etiam, in ipsa liquatione, pura metalla, aurum & Argentum puta, rebus heterogeneis, & quidem scoriis Martialibus, permisceantur, & inquinentur; spissa ob id efficiantur; quippe quod ut plurimùm à ferro, ejusque scoriis, è quibus dicta crucibula nigricantia confecta sunt, unicè causatur. Idcircò necessarium hoc monitum silentio transire nolui, ut advertant Tirones Chymici & Pharmacopœi, quanta circumspectione & prudentia opus sit, in leviſſimis laboribus Chymicis, & Pharmacevticis: cùm & instrumenta ac vasa necessaria totum nonnunquam opus morentur, & vel ex toto pervertant; vel pravas saltem qualitates medicamento inter processûs superinducant.

Cœterùm, *Vitrum* hoc, sine additione illa (uti edoctum) legitimè paratum, medicamentum quidem efficax est & violentum; non omninò tamen spernendum, si à Medico prudente, debito modo, & justo tempore, usui destinetur; & non cuilibet indiscriminatim, sine ullo respectu, sed naturâ robustioribus, ac morbis pertinacioribus laborantibus, atque afflictis, saltem propinetur. Nec tamen (quod observatione dignum) per se, aut in crudâ suâ substantiâ: sed vini unciis duabus, vel tribus pondere granor. iij. iiij. vel v. per infusionem immergi, ab eoque, post aliqualem macerationem, separari, Vinumque illud saltem, relicto *Vitro*, seu pulviſculo, in fundo, exhiberi potest. Solent quippe nonnulli ex hoc ipso *Vitro* Pocula conficere, in quibus si Vinum per aliquot horas saltem infusum steterit, ac postmodum potetur, potenter operari deprehenditur. Conficitur præterea ex hoc ipso *Vitro* An-

geli Salæ Syrupus Emeticus; ut & plura alia, quæ paulò pòst sequentur, remedia. *Vitrum* hoc à *Basilio Valentino S. Bened. Monacho*, *in Curru Triumph.* laudibus summis extollitur; ut etiam Lapidem suum ignis, *Panaccam*, seu Medicinam universalem, ex illo conficere edoceat: quem haud gravatim ipse B. Lect. consulat.

VITRUM ANTIMONII SOLARE.

℞. Antimonii Hungarici uncias sedecim,
Auri purissimi unciam unam:

Liquefiant, vel fundantur simul in crucibulo, donec *Aurum* ab *Antimonio* devoratum vel absorptum sit. Hinc protinus effundatur *Antimonium*, ne *Aurum* in Regulam abeat, & separetur. Redigatur postea in pulverem subtilem auratum hoc *Antimonium*, & (uti superiùs, in simplicis Vitri præparatione, ostensum,) tribus vicibus probè calcinetur, donec non ampliùs concrescat, aut in grumos abeat, neque fumum exhalet aut eructet. Peractâ hâc calcinatione, immittatur protinus crucibulo, ignique fusorio, ut liquetur, tradatur, superinjiciendo particulam unam atque alteram *Sulphuris*; quò citius nempè purificetur, & perspicuum fiat; rudiculâ ferreâ aliquoties explorando. Hoc habito signo, effundatur in pelvim cupream: & sic vitrum rubicundissimum, Rubini instar, evadet, pro Tinctura Antimonii extrahenda aptissimum.

Ex *Regulo Antimonii* similiter *Vitrum*, cum, & sine, Auri additione, parari potest: quod, uti ex Regulo, tanquam parte puriori *Antimonii*, paratum; ita etiam simplici vitro, quod usum Medicum, multò mitiùs & præstantius erit.

Ex *Mercurio vitæ* similiter, solâ fusione in crucibulo, igne forti, *Vitrum* efficitur album. Ex quo patet, dictum *Mercurium vitæ* verè *Antimonii sobolem* esse; non autem Mercurii; & cum *floribus Antimonii* easdem obtinere virtutes.

REGULUS ANTIMONII STELLATUS.

℞. Antimonii Hungarici boni uncias xvi.

Liquefiat in crucibulo, igne forti; cui statim immergantur

Clavor. ferreor. benè purg. & candefact. priùs, unciæ octo:

quibus probè liquatis ac unitis, superinjiciantur

Nitri purissimi, &
Salis Tartari, ana uncia una semis, vel unciæ duæ:

fluant sic probè per horæ quadrantem, aut ultra, igne sat forti, ad instar aquæ; & tandem in Calicem fusorium, sævo illitum, fundantur; calicem malleolo, in ipsâ infusione, continuò percutiendo, sicque promovendo *Reguli* subsidentiam & separationem. Refrigeratis pòst omnibus, eximatur tota massa;

cu

cui in fundo adhærebit *Regulus*, ſuperiori ſuâ parte jamdum ſtellam obſcurè repræſentans: qui à ſcoriis ſeparandus, & denuò, ſecundâ ac tertiâ vice, additâ ſemper, de *Nitro*, & *ſale Tartari*, particulâ, fundendus, ac calici fuſorio infundendus eſt; ſingulis autem vicibus ſcorias ſeparando. Sic mox in ſecunda vel tertia fuſione *Stella* in ſuperna *Reguli* parte exactè repræſentabitur, ac ſi arte, juxta dimenſionem, figurata fuiſſet.

Ex hoc *Regulo*, *Vitrum hyacinthinum* colore, ad eandem planè normam, quâ ſuperioris *Vitri* ex *Antimonio* crudo præparatio edocta eſt, commodè paratur: quod ipſum mitiùs, ſuperiori ſimplici *Vitro*, in Medicina operabitur.

Ex ſuperiori præterea *Regulo*, ac proprio *Antimonii Mercurio*, quantitate æquali. Clariſſ. *Agricola Eſſentiam* haud inelegantem parare docet, beneficio nimirum Spiritus Vitrioli, amalgama horum duorum præcipitando, & in pulverem rubeum, igne moderato, convertendo. Quem præcipitatum poſtea cum ſpiritu Vitrioli Philoſophico extrahere, tandemque, cum ſpiritu vini tartariſato, in *Eſſentiam* elaborare præcipit; varias ipſi virtutes, in morbis Venenatis, Philtris, Paralyſi, & Contracturâ, aſſignans.

REGULUS ANTIMONII SINE MARTE.

℞. Antimonii Hungarici boni libram unam ſemis,

Nitri puriſſimi,

Tartari crudi, ſed puri, ana libram unam.

Cuncta hæc, in pulverem redacta, ac probè mixta, detonent. (uti Chymici loquuntur) Hoc, cochlear unum poſt aliud, ejus mixturâ plenum, prunæ ardenti, in vaſe terreo, ſive etiam in crucibulo, aſpergendo conflagret, ad inſtar pulveris pyrii. Hâc ſpontaneâ veluti calcinatione peractâ, immittatur maſſa hæc calcinata crucibulo, & igni fuſorio tradatur, donec inſtar aquæ fluat. Effundatur protinus in calicem fuſorium, ſive mortarium æneum parvum calidum, ſævo prius inunctum; calicem, ſive mortarium, inter infuſionem, malleolo ſemper pulſando, ſicque promovendo exactiorem *Reguli* ſubſidentiam. Omnibus poſtmodum refrigeratis, ſeparetur *Regulus* à ſcoriis: qui porrò in pulverem tritus, & novis ſeu recentibus ſpeciebus, *Nitro* nimirum, & *Tartaro*, ſed pro dimidiâ tantùm ſui parte, reſpectu *Reguli*, commixtus, eodem modo, quo priùs, igne fuſorio liquetur, & in calicem, vel mortarium, ſævo inunctum & calefactum, fundatur: à ſcoriis purior jam factus, ſeparetur, ac ad labores alios aſſervetur. Hinc è ſcoriis, à *Regulo* ſeparatis, & in aprico aliquandiu relictis, beneficio aquæ ferventis, ſ. q. ſuperaffuſæ, extrahatur rubedo ſanguinis inſtar, coquendo. Cui aquæ tinctæ, per inclinationem aut filtrationem ſeparatæ, acetum deſtillatum inſpergatur, & præcipitabitur *Pulvis* rubeus, qui *Sulphur fixum Antimonii*: quod repetitâ affuſione aq. ſimpl.

simpl. edulcorandum, ut ab omni salsedine liberetur; exsiccandum tandem, & ad usum asservandum. Vocatur *Sulphur Auratum Diaphoretium.*

Medicamentum est in Peste, aliisq; morbis Malignis, ad sudorem propellendum, efficax. Cujus dosis scrupulus semis, ad scrupulum unum; in vehiculo convenienti propinando.

Solutio prædicta *Scoriarum*, antequam aceto præcipitatur, *remedium optimum est in ulceribus exedentibus, magnis, tibiarum & pedum sanandis: si singulis diebus, horâ unâ vel alterâ, pedes & crura exulcerata illi immergantur.* Mirum est, quam viscosam materiam, veluti gluten, extrahat, ut etiam ligneo, vel ferreo, instrumento illud detergere, vel abradere, necessum sit: quod multoties effectu ipso, ac felici successu, comprobavi.

In Menstruis recentis, ex solutione hac, *lateribus calefactis aspersâ, fumus ab infra susceptus, præsens fert auxilium: potentiùs verò agitur, si illa uteri vagina syringe injiciatur.*

REGULUS ANTIMONII per se, SINE ADDITIONE.

REcipiatur *Antimonii Hungarici*, particulatim saltem contusi, libra una: quæ crucibulo immissa, suprà pulvere carbonum, ad quatuor vel quinque digitorum crassitiem, tegatur, & igne fusorio forti, ad dimidiam horam, vel ultra, tradatur. Postea remota ab igne, frigefiant omnia, &, fracto crucibulo, in medio scoriarum *Regulus* comparebit: qui à scoriis separandus. Scoriæ verò relictæ, & eodem modo, quo suprà, crucibulo novo injectæ, tectæque carbonum pulvere, ad horæ quadrantem igne forti fundendæ sunt. Quibus iterum frigefactis, *Regulus*, qui apparebit, separandus. Scoriæ porrò tertiâ, ac quartâ, vice, eâdemque viâ, quâ suprà, pulvere carbonum super aspersо, fundendæ sunt; & *Regulus* semper separandus. Et sic ex unâ libra *Antimonii*, tres ferè partes, (si debitè saltem processeris) *Reguli* puri habebis: qui posthac simul in unam massam, vel *Regulum* (si lubet) confundendus; aut aliis laboribus accommodandus.

FLORES, seu LILIUM, ANTIMONII PARACELSI.

PRimò in promptu sit Sublimatorium, ex terrâ forti (de quâ superiùs dictum est) factum; quod in imâ sui parte canalem habeat longum, sursum vergentem, per quem *Regulus Antimonii*, subtiliter tritus: pedetentim injici possit. Comparatum hoc Sublimatorium tradatur igni, in furno aptè concinnato, ne scilicet ignis superiorem Sublimatorii partem, neque ejus capitellum, foraminulo superiùs pervium superapponendum, lambere vel attingere possit. Candente pòst inferiùs vase sublimatorio, injiciatur de *Regulo*

gulo trito particula, per canalem, operculo suo protinùs obturandum, ut statim elevetur : quâ sublimata porrò particulâ, *Reguli* plus inspergatur : quod tamdiu continuandum, donec totus *Regulus* injectus, & in *Flores* sublimatus sit : qui ex capitello deindè studiosè colligendi, & adhuc semel (si ita lubet) sublimandi sunt : quô actu etiam elegantiores & præstantiores efficiuntur. Porrò hi *Flores*, sive *Lilium*, phialæ sat amplæ, superiùs Hermeticè claudendæ, immittantur, reverberenturque leniter in arena per ignis gradûs, donec in rubicundissimum Pulverem convertantur : è quo ulteriùs, cùm spiritu vini tartarisato, Tinctura elicienda : quæ maceratione, aut circulatione, & abstractione ad competentem consistentiam, in præstantem *Antimonii Essentiam* tandem redigenda est : cujus virtutes facilè cuique patebunt.

FLORES ANTIMONII ex CRUDO ANTIMONIO, ut & REGULO.

SUperiùs, in Capite de *Saturno*, seu *Plumbo*, elegantem *Flores Saturni* parandi modum, unà cum Instrumento æri inciso, & expresso, edocui. In hoc Instrumento & *Antimonii Flores*, sive ex crudo, sive *Regulo* ejus, non minùs dextrè sublimari possunt ; immittendo nimirum *Antimonium*, vel ejus *Regulum*, bicornutæ illi retortæ suprà delineatæ, sine ullâ aliarum rerum admixtione, solo præmisso, à parte alterâ, recipiente, non arctè tamen agglutinato, ut spiraculum relinquatur. Et postquam omnia (uti figura denotat) in furno accommodata, *Antimoniumque*, igne paulatim substrato, in retorta prædictâ fusum fuerit ; folliculo per rostrum, recipienti appositum, paulatim insufflletur ; & illicò *Flores Antimonii* ubertim, per canalem, in vas recipiens prorumpunt. Hoc tamdiu folle insufflando continuandum, quoad omnes *Flores*, pro maximâ *Antimonii* parte, pulsi fuerint : qui tandem è recipiente eluendi, ac per repetitam sublimationem rectificandi sunt. Keslerus pag. 40. Cent. 1.

CROCUS METALLORUM.

HUjus præparatio videatur in *Anim. adv. n. ad Pharmacop. August. pag. 628.* & juxta ejus ductum (si lubet) paretur. Cùm verò hic *Crocus* medicamentum tanti ponderis non sit, ut in descriptione illius multùm moremur : ad alia, magis utilia, progrediendum fore, duxi.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM.

HUjus medicaminis plures invenies præparandi modos ; qui tamen insigniter inter se discrepant : & nullus Authorum est, qui non proprium invenerit

nerit modum atque Proceſſum ; quorum Clariſſ. Schröderus non paucos deſcripſit ; qui mihi haud arridentes. Nec mirum eſt, ſi imperitus Pharmacopola, aut Chymicus, in ſimiles incidat præſcriptiones, & juxta earum modulamen præparationes ſuas moliatur, ut, pro medicamento ſalutari ſudorifero, violentiſſimum & inſaluberrimum pariat *Vomitorium*, vel ipſum *Deleterium* ; præſertim quando paratum ſimile *Antimonium* diutius aſſervatur. Tunc enim priſtinam, imò pejorem, magisque venenatam ipſo crudo *Antimonio* induit naturam & qualitatem. Quâ de re ſuperiùs, plurimis in locis, omnes, qui Medicinam faciunt, admonitos volui : ut in ejus uſu valdè circumſpecti ſint, ſi de legitimâ ac dextrâ ejus præparatione, ac ætate, illis non ſatis conſtet. Et ne error imposterum facilè committatur, & quilibet, quò pedem ſecurè figere poſſit, habeat; veram ac genuinam ejus præparationem, *in Animadverſ. præmiſſis, pag. 628.* cum omnibus ſuis manipulationibus & notis, clarè præſcripſi : juxta quam ſi dextrè illud paratum fuerit ; error tam facilè non irrumpet. Hûc igitur trahenda eſt.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM SOLARE, ſeu AURATUM.

℞. Reguli Antimonii puriſſimi uncias duas,
Auri fini & puri drachmas duas.

Fundantur in crucibulo igne forti, & illicò effundantur in mortarium calidum, ne cadat denuò Regulus. Hujus

Reguli nunc aurati, & ſubtiliter triti, unciis duabus circiter

adde

Nitri puriſſimi unciam unam,
Cremoris Tartari drachmas quinque.

Mixta hæc, & in pulverem redacta, detonent paulatim, (uti loquuntur Chymici) h. e. cochlearunum poſt aliud, hâc mixturâ plenum, prunæ vel crucibulo candenti inſpergendo. Peractâ hâc primâ calcinatione, maſſa reſidua in pulverem iterum, conterendo, redigatur, additisque illi porrò

Nitri puriſſimi unciâ unâ,
Cremoris Tartari unciâ ſemis,

denuò, uti priùs, detonent, ſed in crucibulo jam cadente, intra primas collocato, paulatim etiam mixturam inſpergendo. Et hæc recentium ſpecierum, *Nitri* ſcilicet, & *Tartari*, ad maſſam reſiduam additio, ut & denotatio, ſeu calcinatio in crucibulo ignito & candente, tertâ vice repetatur. Maſſa hinc reſidua, & in pulverem redacta, edulcoretur, ſæpius affusâ tepidâ aquâ, quoad omnis auferatur ſalſedo : pulvis verò in fundo albus relictus, ſeparatâ ſtudioſè, per decantationem, aquâ ſalsâ, exſiccetur, ac, crucibulo immiſſus, tribus vel quatuor horis, igne aperto, moderatè calcinetur, ad majorem fixitatem, & vim ſudoriferam & alexi-

alexipharmacam ipsi conciliandam. Et sic efficitur *Pulvis subflavus elegans, Diaphoreticus & Cordialis, in Peste, Febribusque malignis præstans. Dosis à scrupulo semis, ad scrupulum unum, & drachmam semis.*

Qui multitudine & pluralitate delectatur Processuum parādorum medicamentorum diaphoret. ex *Antimonio*, omnis generis & coloris; is adeat Clariss. Schröderum, qui *Pharmac. Med. Chym. lib. 3. cap. 17. de Antimonio*, innumeros ferè descripsit Processûs. Nos paucioribus, iisque salubrioribus, dextrè, cum omnibus manipulationibus, ac artificiosis præparationibus, ex lege artis præscriptis, contenti sumus; considerantes, quòd Medico Practico prudenti pauca, eàque vera & experta, sufficiant. Idcircò, missis his, ad alia, ex *Antimonio* describenda, transeo.

OLEUM ANTIMONII CORROSIVUM, quod BUTYRUM vocant.

℞. Antimonii Hungarici subtiliter triti libram unum,

Mercurii sublimati corrosivi tantundem:

Misceantur exactè in mortario vitreo, ac in aëre, vel aprico, aliquandiu resinquantur, quoad ab aëre attracto nonnihil humectentur: immittantur postmodum retortæ vitreæ lutatæ, & præmisso recipiente vitro, vel ex arenâ, vel potius igne aperto, (ut ultimò urgentiori igne *Cinnabaris* sublimatio promoveatur) per gradus destillentur, prodeunte oleo crasso Butyri instar, quod in collo retortæ congelatur: idcircò carbonibus candentibus suppositis, ejus liquatio, seu stillatio in præpositum vitrum excipulum promovenda, ne omnia disrumpantur: augendo ignem ultimò, profecto priùs Oleo, seu Butyro, ut retorta per unam atque alteram horam candeat; & sublimabitur ad collum retortæ (quod largum sit) *Cinnabaris* rubicunda, firmiter illa adhærens, unà cum *Mercurio* etiam *vivo*. Peractâ destillatione & sublimatione *Cinnabaris*, Oleum à partibus heterogeneis, putà *Mercurio vivo*, cujus particula etiam cum butyro transit, separetur, *Cinnabaris* nec non à vitro seu retorta fracta separatim colligatur, ac quodlibet seorsim asservetur.

Cinnabaris Antimonii si pura, per se etiam *medicamentum est Diaphoreticum & Antepilepticum: aliquot granis pro dosi exhibitis.*

Notetur tamen, quòd, si *Oleum* magis clarum, ut & *Cinnabaris* magis pura, desideretur, loco crudi *Antimonii*, Regulus ejus, pro eorum destillatione, sit substituendus. Præterea & *Oleum*, seu *Butyrum*, semel destillatum, denuò vel pro se; ut purius: vel etiam additâ *Cinnabari* propriâ; ut rubicundius, & præstantius à sulphure Antimonii reddatur, rectificari, ac in virtutibus suis exaltari potest. Nunc, quæ porrò, ex *Oleo* hoc corrosivo, medicamenta salutaria, ad usum internum, paranda sunt, ordine subsequentur.

MERCURIUS VITÆ SIMPLEX & CORRECTUS.

ACcipe Olei, seu Butyri, prædicti Antimonii corrosivi q. v. cui Aq. simpl. suff. q. & quidem largiter, superaffusâ, præcipitatur *Pulvis* albicans; qui ab aqua acida per filtrum & decantationem separandus, ac, repetitâ affusione aquæ, probè edulcorandus est & siccandus. Hic *Pulviſculus* etymo *Mercurii vitæ* venit, & iisdem ferè, cum *floribus Antimonii*, virtutibus præditus est: quemadmodum ex solo *Antimonio*, non verò ex *Mercurio*, ut vulgi opinio est, ortum ducit: quod ipsâ mechanicâ, & experientiâ comprobari potest. Etenim si is simpliciter saltem igni fusorio, in crucibulo, tradatur, illicò in Vitrum diaphanum albescens abit & transmutatur, evidentissimo signo, ab *Antimonio* ejus esse genesin. Cœterùm violenter & potenter, cùm per superiora, tùm inferiora, operatur, si intra corpus assumatur; sive per se, in substantia; sive vino infusus. Quapropter cautè ac circumspectè cum hoc simplici, & nondum *correcto*, *Mercurio vitæ* procedendum, isque non, nisi naturâ robustioribus, propinandus: ne *Mercurius vitæ* Mercurius Mortis evadat.

Corrigitur hic *Mercurius vitæ*, ut paulò mitiùs, & vel per inferiora tantùm, operetur, si cum dupla *Salis tosti* quantitate diu, multúmque, super porphyrite, teratur, & levigetur; *sal* verò iterum, aquâ simplici sæpius affusâ, totaliter abluatur, & *Pulviſculus* remanens, probè edulcoratus, exsiccetur. Sicque vires suas emeticas, ac deleterias quasi qualitates, maximâ ex parte amittit; ut multò benigniùs ac securiùs imposterum operetur. Corrigitur præterea, & malignis suis qualitatibus privatur, à *sale Nitri*: si nimirum *salis Nitri* unciis tribus, in crucibulo, igne aperto, sed moderato, fusis, unciæ duæ circiter *Mercurii vitæ* pedetentim injiciantur, ac parum in igne detineantur: hinc elixiviato, vel eloto, *sale Nitri*, per repetitam aquæ simplicis affusionem, probè edulcoratus & exsiccatus *Pulviſculus* usui Medico asservetur: qui est *Mercurius vitæ correctus*.

SPIRITUS VITRIOLI PHILOSOPHICUS.

ORdine progredior: cùm medicamentum unum ex alio ducat originem, unusque labor ex alio emergat. Proindè in præcipitatione antecedentis *Mercurii vitæ*, salia mediæ naturæ, *Mercurio*, tanquam magnete, in sublimatione ejus attracta, & in altum elevata, utpote sibi ferè similia, & Mercurialia, rursùs aquâ affusâ separentur, & in aquam resolvantur: præstat, ut aquam illam, à dictis salibus imprægnatam, studiosè asservemus, & à copia aquæ simplicis separemus; quòd fit modo sequenti: nimirum; omnis aqua, à præcipitatione & repetita edulcoratione *Mercurii vitæ*, sive per decantationem, sive per filtrum, separata,

parata, abstrahatur in alembico vitreo, quousque omnis humiditas, seu aqua elementaris, destillatione prolecta sit, & guttulæ subacidæ stillare & prodire percipiantur : & tunc vel ab ulteriore destillatione & abstractione cessandum, & residuus, in cucurbita, spiritus acidus asservandus; vel, mutato recipiente vitro, spiritus acidus seorsim excipiendus, & destillatione totaliter rectificandus est.

Egregias non solùm virtutes hic in Medicina spiritus obtinet ; utpote *in Epilepsia infantum, & adultorum curanda, obstructionibus Hypochondriorum reserandis, & Febribus ardentibus extinguendis ;* verùm etiam ad alios labores, tanquam menstruum singulare, utiliter usurpari potest.

SULPHUR ANTIMONII ex CINNABARI.

Cinnabaris Antimonii in pulverem redacta, coquatur cum lixivio forti, ex Tartaro calcinato, & calce vivâ, in sartagine ferreâ, horis circiter tribus, vel quouque lixivium rubicundo imbuatur colore : tinctum decantetur, aliudque superaffundatur, & coquatur: quod tamdiu continuandum, quousque lixivium colore rubro non amplius imbuatur. *Tinctura* omnes, dum adhuc calent, filtrentur, & in loco frigido quietè postea relinquantur, donec *Pulvis* rubicundus (qui verum *Antimonii sulphur*) fundum petierit : quod segregatâ aquositate, vel lixivio, per decantationem & filtrum, sæpiusque aquâ recenti affusa, quousque omnis salsedo ablata sit, exsiccatum *Sulphur* tandem asservetur ; uti & *Mercurius vivus*, qui in sartagine conspicietur, partim ex *Mercurio Antimonii*, partim ex *sublimato Mercurio* originem trahens, seorsim custodiendus est.

DIAPHORETICUM EX SULPHURE ANTIMONII prædicto.

℞. Sulphuris Antimonii præscripti,
Reguli Antimonii Solaris, ana unciam unam.

Hæc in pulverem subtilem redacta, probeque mixta, immittantur retortæ vitreæ : quibus superaffundatur

Spiritûs, seu Olei, sulphuris per campanam facti,
vel etiam
Spiritûs Vitrioli dephlegmati, unciæ tres.

Digerantur calore leni septimanâ circiter unâ : postea abstrahatur spiritus totus ; qui tamen reaffundendus & abstrahendus ; & hoc vel secundâ, tertiavè vice repetendum est, augendo ultimò ignem, ut retora horis X. circiter candeat. Massa in fundo relicta, & aquâ rosaceâ sæpius lota, usui asservetur : cui tamen (si lubet) Bezoar Orientalis veri, & Occidentalis, ana drachmæ duæ circiter admisceri possunt. *Sudorife-*

rum est præstans: hinc in morbis venenatis & malignis, ubicunque sudore proliciendo opus, cum emolumento adhibetur.

PANACEA ex ANTIMONIO, & ejus BUTYRO.

℞. Butyri Antimonii, à sua propria Cinnabari rectificati, uncias sex,

cui, immisso alembico vitreo, superaffundantur

Spiritûs Vini summè rectificati, & ab omni phlegmate penitus liberati, libræ tres, vel quatuor,

Misceantur exactè concutiendo, donec in coagulum album, cremoris lactis instar, convertantur; digerantur calore leni, in vitro benè clauso, diebus octo; singulis tamen diebus concutiendo: hinc in B. M. tota humiditas, seu spiritus omnes, leniſſimè abstrahantur, quandiu aliquid humidi transit, & in residuo *Pulvis* albicans, seu *Terra candida*, à Philosophis *Sancta* nuncupata, remaneat. Huic porrò terræ, cucurbitæ vitreæ humili immissæ, affundatur

Spiritûs Vitrioli rectificati, & ab omni phlegmate liberati, q. s. ad trium digitorum transversorum supereminentiam.

Digerantur in arenâ, leni calore, unâ circiter septimanâ: agglutinato dein capitello, præmissoque Vitro recipiente, evocetur tota humiditas, seu *Oleum Vitrioli*, quoad terra ignea essentificata, massæ instar, in residuo maneat. Hæc massa à fracto vitro studiosè separata, & in pulverem subtilem redacta, pro dimidia sui parte phialæ luto obductæ, relicto à latere phialæ speculo (uti Chymici loquuntur) ad explorandam mutationem colorum apparentium immittatur, & in arena, igne moderato continuo, paulatim tamen aucto, s. a. tamdiu assetur, quousque ab uno in alium colorem, tandem in rubicundum, mutata fuerit: & *erit medicamentum, ad diversorum morborum agmina profliganda, efficacissimum.* Keslerus.

PANACEA alia ex BUTYRO ANTIMONII.

℞. Butyri, seu Olei, Antimonii corrosivi, à suâ Cinnabari semel rectificati, libram semis:

cui superaffundantur in cucurbita vitrea

Spiritûs Vini summè rectificati libræ tres, vel quatuor,

fiatque coagulum, sæpius agitando, digeratur pòst leni calore, duarum circiter septimanarum spatio, in vitro seu cucurbita satis alta, & probè clausa, quoad iterum in liquorem resolvatur. Hinc abstrahatur spiritus destillando ex cineribus, donec in residuo maneat *Pulvis* albissimus. Huic in fundo superstiti porrò affundatur

Olei proprii, sive Butyri Antimonii resoluti, libra semis, seu unciæ sex,

quod

quod iterum, peractâ digestione hebdomadali, in arena fortiter abstrahatur; idque bis tervè repetendo, quousque materia veluti fixa in residuo maneat: quæ porrò, phialæ inclusa, tamdiu in arena, igne satis intenso ac continuo, gradatim alternis diebus auctо, assetur & calcinetur, donec tota materia rubea fiat. Jam verò, ex hoc pulvere fixo & rubro, eliciatur *Tinctura* rubicundissima, cum spiritu proprio, in præcipitatione *Mercurii vitæ* acquisito, repetitis vicibus affuso, quousque spiritûs affusi rubedine non ampliùs inficiantur. Spiritûs tincti omnes ad mellaginem, seu liquorem crassum, in cineribus abstrahantur: residua autem *Tinctura*, ut magis subtilisetur, porrò cum spiritu vini summè rectificato & tartarisato extrahatur, repetitis vicibus spiritum affundendo, quoad coloretur. Spiritus tandem tincti omnes ad liquorem crassum rubicundissimum abstrahantur; qui studiosè asservetur & custdiatur: vel, (si lubet) retortæ vitreæ parvæ immissus, igne arenæ in *Oleum* dulce, & rubicundissimum, destilletur.

BEZOARDICUM MINERALE.

℞. Butyri Antimonii corrosivi uncias tres:

cui cucurbitæ vitreæ parvæ immisso affundatur

Spiritûs Nitri optimi tantum.

quousque *Oleum*, seu *Butyrum*, totaliter solutum fuerit, nec ulla, ex contrarietate spirituum, efferveſcentia vel ebullitio ampliùs percipiatur. Hinc in arena abstrahatur *spiritus Nitri* omnis ad siccitatem massæ albissimæ. Hæc è vitro recepta massa, ac super porphyrite probè trita cucurbitæ parvæ denuò indatur, superaffundendo illi *spiritûs Nitri* recentis ad supereminentiam duorum circiter digitorum transversorum, iterumque destillando abstrahatur: quod & tertia vice repetendum, augendo ignem ultimò, ut retorta veluti candeat; quoad omnes spiritus expellantur. Massa residua albissima super porphyrite probè trita, ac crucibulo immissa, igne aperto per unam atque alteram horam leniter calcinetur, ac, in vitro probè clauso, usui asservetur.

Est medicamentum sudoriferum & alexipharmacum, in morbis venenatis & contagiosis summè proficuum ac salutare. Datur à scrupulo semis, ad scrupulum unum, & drachmam semis: modò legitimè fuerit paratum.

SAL ANTIMONII.

EX massa, quæ à destillatione *Butyri Antimonii* in retorta residua mansit, *sal Antimonii* elici potest; idque beneficio aceti destillati, cum *spiritu Nitri* paulisper acuati: & hoc eò feliciùs & citiùs, si dicta massa, in pulverem redacta, priùs bis tervè cum *sulphure* calcinetur, ad modum, uti chalybs cum sulphure conflagrat, pro vitriolo ejus parando, admiscendo qualibet vice sulphuris unciam unam semis,

mis, massæ Antimonialis libræ uni. Abstracto dein aceto destillato, post extractionem nimirum *salis*, remanet materia salina subflava, quâ cum aquâ simplici denuò solutâ, filtratâ, & ad cuticulam iterum solutione abstractâ, concrescant, in loco frigido, *Crystalli Salini*; qui diligenter asserventur.

Purgant leniſſimè: Infantibus etiam exhibiti in vermibus, hydrope, aliisq; morbis, ubi purificatione sanguinis opus est, salutares existunt.

SAL ANTIMONII ex VITRO, & SPIRITUS VITRIOLI ANTIMONIALIS PURGANS.

℞. Vitri Antimonii, sine additione ullâ, suprà edocti, q. v.

cui in cucurbita vitrea parva superaffundatur

Spiritûs Vitrioli dephlegmati ad duorum digitorum transversorum supereminentiam.

Digerantur leni calore cinerum, diebus aliquot, quousque spiritus nigro imbuatur colore: qui per filtrum separandus, ac usui asservandus est. *Cujus dosis gutt. v. vj. ad x. mundificant sanguinem, educunt tartareas & superfluas humiditates; uti etiam vermes: hinc & podagricis ac vaga arthritide laborantibus, conducit.*

Ex residuo verò vitro, ab extractione relicto, *sal Antimonii* conficiatur, modo sequenti; nimirum: *Vitro* relicto admisceatur pars quarta sulphuris triti, & in patella terrea, super igne leni, calcinetur, continuò agitando spatulâ vel rudiculâ ferreâ, quousque sulphur totaliter conflagraverit. *Vitro* residuo, probè iterum trito, denuò sulphuris tantundem, seu quarta pars, admisceatur, eodemque modo, quo suprà, calcinetur: quæ calcinatio ter quaterve repetenda. Tandem ex *Vitro* hoc probè calcinato, cum s. q. aceti destillati, repetitis vicibus affusi, extrahatur *sal Antimonii*: acetum per destillationem abstrahatur ad siccitatem salis; qui porrò aquâ simplici aliquoties solvatur, filtretur, & in *Crystallos* reducatur. *Purgat leniter, & etiam gravidis & infantibus securè propinari potest, à gran. v. ad x.* Agricola.

SULPHUR ANTIMONII.

DEstilletur primò *Aqua fortis* ex a. na *Nitri* & *Aluminis*, admixtâ Boli, vel Aluminis calcinati, suff. q. sec. artem. Huic Aquæ forti pars quarta Salis communis admisceatur, ut in ea leni calore solvatur. Jam verò, accipe *Antimonii* pulverisati q. v. cui, alembico vitreo immisso, guttatim & pedetentim affundatur aqua prædicta Regia; ut solvatur, quantum nimirum solvi poterit. Solutio protinus decantetur, & filtretur (certas ob causas) cui statim, infusâ largâ quantitate aquæ simplicis calidæ, separabitur *Sulphur*; quod studiosè separandum, &, repetitis vicibus, aquâ

aquâ simplici edulcorandum, ac usui asservandum est.

SULPHUR ANTIMONII ALIUD.

℞. Antimonii Hungarici triti,
vel, ejus loco,
Reguli Antimonii, libram unam:
cui affundatur pedetentim
Olei Tartari per deliquium facti tantundem, vel plus;

& super igne leni exsiccentur, quoad massa rubea remaneat. Massa hæc in pulverem subtilem redacta, coquatur in sartagine ferreâ, cum suff. q. lixivii fortis, repetitis vicibus, quousque rubedo in lixivio appareat. Tincto lixivio inspergatur acetum destillatum, ut præcipietur *Pulvis* rubeus; qui ab omni salsedine, repetitâ aquæ simplicis affusione, liberetur, ac usui asservetur. Porrò: qui hoc, vel aliud, *Antimonii sulphur*, quocunque modo paratum, in præstantius medicamen ulteriùs elaborare vel redigere voluerit; id assequi valebit, affundendo illi spiritum, seu oleum, *Vitrioli* dephlegmatum: quod aliquoties ab eo abstrahatur, ad fixitatem *sulphuris*. Ex hoc *fixo sulphure Tinctura*, cum spiritu Vitrioli Philosophico, vel etiam cum spiritu Veneris, eliciatur: spiritûs tincti ad mellaginem abstrahantur: quibus abstractis, cum spiritu vini rectificato denuò *Essentia* rubicundà eliciatur; & abstractione etiam hujus, ad justam consistentiam reducatur *Essentia*, studiosè asservanda, ac usui Medico accommodanda.

BALSAMUM ANTIMONII.

℞. Sulphuris Antimonii, modo præcedenti, vel ex Cinnabari ejus, uti supra, parati, unciam unam;
cui adde
Salis Tartari tantundem.

Misceantur exactè, super igne leni, in patella terrea. Huic mixturæ, cucurbitæ vitreæ immissæ, affundatur

Spiritûs Terebinthinæ ad duorum vel trium digitorum supereminentiam.

Digerantur leni calore cinerum, quousque *Spiritus* rubicundo imbuatur colore; qui effundendus, ac usui asservandus est. *Præstat in morbis Pectoris, exulcerationibus Pulmonum, aliarumque partium internarum læsionibus; à gutt. vj. ad x. & ultrà, sumptum.*

TINCTURA, seu ESSENTIA, ANTIMONII.

℞. Vitri Antimonii rubicundiss. sine additione parati, vel, quod melius,
Vitri Antimonii Solaris, sup. edocti, q. s.

Redigatur in *Pulverem* subtilem, & aliquoties cum spiritu Veneris, ex ære viridi destillato, humectetur, totiesq;

iterum

iterum in calore leni exsiccetur. Ex hoc vitro porrò, cum q. prædicti spiritûs Veneris, repetitis vicibus affusi, elicitur, leni calore, *Tinctura* rubicunda (in vitro satis alto, & probè clauso, ne spiritûs exhalent) quousque spiritûs tingatur. Hi spiritûs tincti omnes leni destillatione abstrahantur, ad remanentiam liquoris crassioris, sanguinis instar. Spiritus Veneris abstractus ad eosdem, & consimiles labores, & extractiones, asservetur, virtutibus suis haud diminutus. Liquor verò residuus *Antimonii*, sulphure solari plenus, aut imbutus, porrò cum spiritu vini summè rectificato extrahatur, (quod in momento quasi contingit, quemadmodum spiritus vini, quam primùm *Tincturæ* priori abstractæ affusus, illicò summâ rubedine inficitur, *Pulviſculus* nec non flavus, qui in prima abstractione spiritûs Veneris, unà cum liquore rubro remansit, potiori sui parte in spiritu vini resolvitur) Abstracto denuò spiritu vini, ad remanentiam liquoris crassioris, remanet *Tinctura Antimonii* rubicundissima, sanguinis instar, quæ à *Pulviſculo* flavo subsidente separanda, & studiosè asservanda est. *Præstat in morbis chronicis & diuturnis: sanguinem, insensibiliter operando, purificat. In Epilepsia præterea, Paralysi, & Febribus diuturnis, summo cum fructu exhibetur. Pulvis* verò remanens flavus diligenter etiam asservetur. Hic Sulphuri Auri cognatus est. Namque si spiritus vini leniſſimo balnei calore penitus à prædicta *Tincturâ* abstraheretur, Pulviſculus ille flavus rubescens in residuo maneret, iisdem, quibus *Tinctura* ipsa, *virtutibus pollens*. In spiritu vini resolubilis est, & *magnarum virium*: proinde tanquam præstans medicamentum asservandus. Quâ ratione autem præfata *Tinctura* Auro artificiosè jungenda; superiùs, *in cap. de Auro*, declaratum est.

ESSENTIA ANTIMONII ALIA.

ACcipe *Antimonium*, seu ejus *Mineram*: fundatur in crucibulo, igne forti, & in acetum, *spiritu Nitri* nonnihil acuatum, infundendo, extinguatur: acetum sit in ollâ satis largâ, operculo superiùs clausâ, foramine tamen pervio, per quod *Antimonium* infundi possit. Atque hæc *Antimonii* fusio, & extinctio in aceto, sæpiùs repetatur, quousque acetum rubicundissimo colore tinctum sit. Hoc peracto, abstrahatur illud in alembico vitreo, leniter destillando per cineres, donec ferè totum acetum transierit ad mellaginem, seu etiam massam duriusculam solidam residuam. Huic massæ relictæ, seu residuæ, affundatur *spiritus Veneris*, ad duorum vel trium digitorum supereminentiam: extrahatur Tinctura rubicunda, repetitis vicibus spiritum affundendo, & decantando, quousque tota *Tinctura* extrahatur: Hinc spiritûs tincti omnes, in alembico vitreo, destillando ex cineribus, ad remanentiam liquoris crassi, abstrahantur: ex quo porrò cum spiritu vini summè rectificato, repetitâ ejus affusione, Tinctura elicienda; ac tandem

dem & hoc spiritu vini ad remanentiam liquoris rubicundissimi abstracto, *Tinctura* relicta, magnarum virium, asservanda est.

Nota: Nonnulli relictam hanc, à prima abstractione aceti, materiam crassam, illicò retortæ vitreæ parvæ, immittere, & exinde, igne arenæ, liquorem rubicundum destillare præcipiunt. Existimem tamen, præstantiorem multò *Essentiam Antimonii* futuram, si crassa & fæculenta massa, ab abstractione aceti relicta, porrò cum spiritu Veneris, modo suprà præscripto, extracta, nec non etiam cum spiritu vini subtilis reddita fuerit. Et hæc tandem, per retortam, in liquorem rubicundum, ex arenâ, destillari posset; aut, sine destillatione, usui Medico destinari.

OLEUM, seu ESSENTIA, ANTIMONII ALIA.

ACcipe Mineræ Antimonii Hungarici, ex Aurifodinis erutæ, libram circiter unam: comminuatur saltem in particulas, seu frustula parva, ad instar fabarum, seu nucis avellanæ magnitudinem. Hoc modo confracta minera stratificetur s. a. in vase terreo forti, cum libris duabus *Vitrioli* probè purificati, & ad flavedinem calcinati: claudatur olla operculo; & in arena calcinentur, seu, (uti loquuntur) cemententur per gradûs ignis continui, spatio duarum septimanarum, igne gradatim aucto, quousque *Antimonii* particulæ rubefiant. Quo facto, separetur *Antimonium*, seu particulæ ejus, à *Vitriolo*, & in *Pulverem* subtilem, conterendo, redigantur. Huic calcinato & trito *Antimonio*, vitro alembico immisso, superaffundatur aceti destillati s. q. seu, quod longè melius, spiritus Veneris, ex ære viridi, vel etiam spiritus Vitrioli Philosoph. ad quatuor digitorum transversorum supereminentiam; lenique calore digerendo extrahatur *Tinctura*. Tinctus spiritus decantetur, & alius superaffundatur; qui si iterum tinctus appareat, auferatur: & tamdiu hæc actio continuetur, donec spiritus ultimò affusus rubedine non ampliùs tingatur. Tincti spiritûs omnes destillando ad liquorem crassum leniter abstrahantur. Liquor verò residuus cum spiritu vini rectificato puro superfuso denuò extrahatur, ejusque *Essentia* seu *Tinctura* eliciatur; ut eò magis subtilietur, & corpori humano approprietur, tanquam per vegetabile, spiritum nimirum Vini, naturæ nostræ amicum. Abstracto autem & hoc spiritu vini, ad remanentiam liquoris crassioris rubicundi, qui præstans est *Antimonii Essentia*, immittatur, prægressâ fermentatione diuturnâ, retortæ vitreæ, & ex arena, seu cineribus, destilletur in *Oleum* seu *Liquorem*, rubicundum & pretiosum. Et *Antimonio* relicto & extracto, igne autem reverberii, sed leniter, priùs calcinato, extrahatur *Sal Antimonii*, beneficio aceti destillati; qui iteratò cum aqua simplici solvatur, filtretur & clarificetur, ac ad crystallinam puritatem reducatur, tandemque Tincturæ suæ dextrè aduniatur: quod facilè benefi-

cio ſpiritûs vini, aliquali circulatione, & tandem ejusdem ſpiritûs vini per M. B leni abſtractione, fieri poterit. Et ſic pretioſa hæc *Tinctura* ſ. a. Spagyricam elaborata, meritò laudibus & encomiis extollenda eſt. Videatur de hac *Tinctura* Baſ. Valent. *in addit. cap. de Antimonio*, & *cap. etiam ſeq. de Vitriolo*: item de *magno Mundi ſecreto, de Phalaja ſua, &c.*

ESSENTIA ANTIMONII EMETICA.

℞. Flor. Antimonii alb. dextrè parat. uncias duas ſemis,

Tartari albi Veneti ſubtiliſſ. triti uncias quinque.

Coquantur cum ſ. q. aq. ſimpl. repetitis vicibus affuſæ. Depletiones omnes filtratæ ad remanentiam unciarum ſex leniter exhalent: quibus adde

Sachari Canarii alb. uncias ſex.

&, leniter iterum ebulliendo in patella terrea, ad *Syrupi* conſiſtentiam reducantur. *Purgat per ſuperiora & inferiora leniter; idcircò in febribus tertianis & quartanis, intermittentibus, diuturnis, hypochondriorum obſtructionibus, nec non in mania & melancholia hypochondriaca, haud exigui eſt momenti. Doſis à drachma ſemis, ad drachmam unam, & unam ſemis, in aquâ, vino, jusculo, aquâ laxativâ, aut quocunque alio vehiculo propinata.*

MERCURIUS ANTIMONII.

℞. Salis Tartari probè purificati uncias tres,

Salis Armoniaci, probè purificati per repetitas ſolutiones, unciam unam ſemis,

Olei, ſeu Spiritûs, Salis drachm. ſex;

(cujus beneficio congreditur ſpiritus vini cum ſalibus.)

Spiritûs vini rectificati uncias tres.

Mixta hæc in cucurbita parva, coagulentur: phlegmate ſaltem prodeunte, remanet ſal alcali, facilè in aëre liqueſcens. Jam verò accipe

Salis hujus alcali jam edocti, &

Florum Antimonii, uti ſuprà, per bicipitem retortam, cum folle inſufflando expulſorum, ana partes æqu.

Miſceantur exactè, immittantúrque vitreæ cucurbitæ: quibus ſuperaffundatur

Liquoris Tartari (qui nimirum ex Tartaro & Nitro invicem detonarit, parati & in cella reſoluti) tantum, ut unum ſaltem digitum ſupereminet.

Putrefiant in M. B. calore leni, duarum vel trium ſeptimanarum ſpatio. Hinc mixtura hæc cum ſcoriis ferri, & calce vivâ, ſingulis priùs tritis & cribratis, impaſtetur, & exinde maſſa efficiatur, quâ poſtmodum globuli efformentur, per

per retortam benè lutatam, igne aperto deſtillandi, quoad *Mercurius* in vas recipiens aquâ ſemiplenum tranſeat & expellatur; qui ſtudiosè aſſervandus.

MERCURIUM ANTIMONII ALIUS PARANDI MODUS.

℞. Reguli Antimonii, ſine ferro parati, libram unam.

Capitis mortui ex Tartaro, inferiùs edocendi,

Salis Tartari puri, &

Salis Armoniaci purificati, ana uncias quatuor.

His mixtis, & in pulverem redactis, atque cucurbitæ vitreæ immiſſis, affundantur

Aceti deſtillati puri, &

Urinæ hominis ſani, vinum bibentis, ana q. ſ. an duorum digitorum transverſorum ſupereminentiam.

Vitro poſtea optimè clauſo, digerantur in M. B. per menſem circiter. Quâ peractâ digeſtione, recludatur vas, &, additis mixturæ huic

Capitis mortui ex Tartaro,

Scoriarum Ferri, &

Calcis vivæ, ana librâ unâ,

macerentur adhuc unâ vel alterâ ſeptimanâ, & tandem, abſtractâ priùs humiditate ad ſiccitatem maſſæ, ſeu pulveris, reſiduum pellatur per deſcenſum in ollam aquâ ſemiplenam, in quam Mercurius, vi ignis ſuperni detruſus, ſeſe inſinuare poſſit; qui tandem ſtudiosè colligendus, lavandus, & ad uſum aſſervandus eſt.

Nota: Caput mortuum Tartari illud eſt; ſi ex Tartaro puro & crudo ſaltem ſpiritûs per retortam deſtillando expellantur, oleo craſſo in reſiduo relicto. Idem ferè præſtant cineres clavellati, qui ſunt maſſa illa ſalis, ſeu Alkali, quæ ex Polonia fertur, confecta ex cineribus Ulmi, Fagi, & Quercuum, &c. vel alius Sal Alkali, quicunque denique ille ſit. Optimum autem omnium, pro hiſce laboribus, illud eſt, quod ex fæcibus vini aduſti calcinando paratur, Alcali.

Notetur præterea, de *Mercuriis corporum*; quod *Argentum vivum vulgare*, etiamſi ſit materia Auro & Argento proxima, temperamenti tamen eſt præter modum frigidi & humidi, atque adeò indefinitum, & longè magis ab Argenti & Auri concoctione diſtat, quàm *Mercurius*, ſeu *Argentum vivum*, à reliquis metallis, aut *Antimonio* ipſo, arte prolectum. Si igitur conſilium foret, *Argentum vivum* vulgare in Argentum vel Aurum concoquere, vel maturare; neceſſum eſſet, illud priùs ſummè purgare, ac à nimia frigiditate ac humiditate vindicare: alioqui enim concoctione nimium contumax eſſet. *Argentum vivum* verò *corporum*, vulgari magis eſt coctum; quin etiam inter ſe aliud alio magis aut minùs digeſtum eſt. Omnia tamen vi ignis vaporetenus feruntur ſurſum; alia celeriùs, quæ minùs cocta; alia tardiùs, vehementiorisque vi ignis, quæ magis decocta ſunt. Atque

hac de causa *Argentum vivum vulgare*, quod valde indefinitam habet humiditatem, omnium celerrimè fugatur ignis potentiâ. Nihil etiam aliud moliuntur Argyropœiæ aut Chrysopœiæ periti, quàm ut reliquorum metallorum materia in materiam Auro & Argento proximam devergat; eaque à causa efficiente moveatur & perficiatur. Hanc enim proliciendi Argenti vivi methodum prisci hujus artis Professores silentio præterierunt, adeóque nec scriptis tradiderunt: & consultò quidem; quùm totius artis arcanum & aditus ad posteriora sit. Videatur Geberus, *pag. 85.* de sublimatione Marcasitæ.

Et hæc haud exigua, de *Antimonio*, adscripta medicamenta mihi sufficere visa sunt. Nonnulla verò, quæ *in Animadv. præmissis*, antea tradita sunt; utpote, *Catharticum universale*, *Essentia purgans*, *&c.* illa huc referri possunt. Nunc verò, ut scriptionis operam contraham; B. L. qui fortè plura ex *Antimonio* desiderare posset, ad alios Authores ablegatum volo: Clarissimum videlicet Agricolam, Kesterum, Glauberum, & alios, hâc tamen additâ admonitione & consilio, ne omnibus ex tot, infinitisque processibus fidat, præsertim à Clarissimo Schrödero ex aliis iterum descriptis, partim ænigmaticè, partim verò tumultuosè ac incompletè; ut Oedipo maxima ex parte potùs opus habeant, quàm ut ab expertissimo etiam Chymico, juxta tenorem traditum, elaborari possint. Satis igitur mirari nequeo, quod vir tantæ doctrinæ tot inutilibus rebus, & processibus, à quolibet fumivendulo fortè communicatis, describendis operam suam occupare voluerit; quin chartæ, sibi, & posteris, pepercerit. Hæc revera & similia, artem Chymicam minimè sulciunt, nec instruunt Tyrones artis, sed quàm maximè omnia turbant & perturbant, artem ipsam ludibrio exponunt, & Tirones Chymiæ à veritate, lectione & laboribus utilium seducunt. Proinde parciores ut simus, in rebus publico donandis, conducibilius multò est, quàm ea, quæ non intelligimus, peregrina saltem fide acquisita, cursim describere, quibus cum multis, & mundo, imponitur, certo sanitatis & fortunarum dispendio. Enim verò, quæ salutem vitamque mortalium respiciunt, citra ambages, & juveniles metaphoras, liberali stylo dictare competit; ne verborum, aut mysteriorum, ambiguitate tàm Ægri, quàm Medentes, in transversum rapiantur. Veniam B. L. dabit de veritate liberè ac bonâ mente sentienti & disertanti.

CAPUT

CAPUT IX.

DE

VITRIOLO.

Vitriolum, seu *Calchantum*, *Atramentum sutorium*, præcipuum in Chymia subjectum est; ita, ut à nonullis etiam pro altera columna præstantissimorum in eâ conficiendorum medicamentorum habeatur, metallis cognatum & proximum. A quibusdam *Sal Mineralis*, & *Metallorum*, ast falsò, nuncupatur, eò, quòd corpus sit, tribus constans principiis, (uti ipsa metalla) *Sulphure* scilicet, *Sale*, & *Mercurio*; adeoque non uniforme, uti salia, quibus propriè salis etymon competit, corpus habens. Etenim si ipsam *Vitrioli* Substantiam, Naturam, Proprietates, & Qualitates, intimè consideremus: re ipsâ experiemur, illud à natura & proprietatibus salium quorumcunque, propriè sic dictorum, tanquam corporum homogeneorum & uniformium, planè alienum esse. Constare autem *Vitriolum* ex tribus Chymicorum principiis, nullâ opus est demonstratione. Quemadmodum enim ad oculum patet, ac experientiâ quotidianâ elucet, cuncta metalla verè, & realiter, in *Vitriolum* resolvi, atque denuò in metalla, pristinam substantiam, ac Esse converti possunt. Si igitur metalla ex tribus Chymicorum principiis conflata sunt; necessariò & *Vitriolum*, in quod metallorum corpora resolvuntur, verè & realiter, secundùm naturam & proprietates *Vitrioli nativi*, ex iisdem constare debet principiis: juxta *axioma* veriſſimum: *Rem quamlibet ex iisdem constare principiis, in quæ arte resolvitur.* Proinde, cùm *Vitriolum*, (quodcunque demum illud sit) in metallum convertibile, exclusis spiritibus acidis, sulphureis, nitrosis, salinis, &c. &, vice versâ, metalla cuncta, quædam totâ suâ substantiâ; quædam verò pro maximâ sui parte, in *Vitriolum* verè, beneficio spirituum acidorum, sive mineralium, sive vegetabilium, resolvantur: sequitur infallibiliter, omne *Vitriolum* solutum esse metallum, sive ex uno, sive ex pluribus metallis, aut eorum principiis, rebusque aliis heterogeneis, in viscceribus terræ, ope spirituum acidorum mineralium conflatum, & in aquam mineralem transmutatum sit. *Vitriolo* ergò nullo modo Salis, tanquam uniformis corporis, nomen competit: sed est corpus compositum, solutum nimirum metallum; quodcunque denique sit *Vitriolum*; quocunque etiam in loco effossum; sive ex aquis mineralibus coquendo paratum.

Hinc varia sunt *Vitrioli* genera & species, pro diversitate minerarum, & metallorum, è quibus originem du-

cunt, diſcrepantia. *Cæruleum*, Saphyri inſtar, præſertim Cyprienſe, Cupri & Auri ſoboles: *Viride*, Martis productum: *Album*, ex argenteis mineris primordia trahens: & intermixta plura; juxta ſpecies metallorum tincta, è quibus plus vel minus participant. Sic quoque *Saccharum Saturni*, *Plumbi* propriè *Vitriolum*, ipſumque Plumbum eſt ſolutum; quoniam in plumbum verum eſt convertibile: de quo plura *in Append. n. ad Animadv. ſubtit. de diff. ſalium*, *in genere* præmiſſa ſunt: quæ B. L. revolvat.

Uſus Vitrioli varius eſt ac multiplex, Mechanicis notiſſimus: interno uſui minimè deſtinatur. *Vitriolum* quidem *album*, emeſin excitatum, intrò aſſumitur; priùs tamen repetitis ſolutionibus probè purificatum. *Martis Vitriolum*, *ex chalybe* arte paratum, crebro uſui eſt, tanquam reſolvens & deobſtruens medicamentum. Quæ verò uſui interno, ex *Vitriolo*, deſtinantur medicamenta, ſalutaria magis ſunt, & in re medica amplectenda. Opinione ſiquidem & ſuaſu Paracelſi, integra Medicamentorum officina ex illo foret conſtruenda, ac ſi plurima in eo laterent arcana, quòd omnia metalla, eorumque principia, pro diverſitate ſpecierum Vitrioli, ſpiritualiter & virtualiter æquè, ac corporaliter, in eo ſtabulentur, & hoc quidem promiſcuè, in communioribus Vitrioli ſpeciebus: quemadmodum vix ullum *Vitriolum* reperitur *nativum*, aut *vulgare*, quod uni ſaltem metallo exiſtentiæ ſuæ debeat primordia, quin & de aliis metallis & mineralibus nonnihil particlpet. Vereor autem, ne aliquando de mineralibus venenatâ qualitate præditis, utpote Arſenico, labem contrahat: ideò in eam facilè deſcenderim ſententiam, conſultiſſimum fore, ut, qui ex *Vitriolo* quopiam, vel *Martiali* viridi, aut *cæruleo* ex Venere, celebre quoddam medicamentum paraturus eſt, *Vitriolum* ad hoc *arte paratum*, beneficio *ſulphuris*, aut ſui ſpiritûs, ſibi procuret: quamvis & *Cyprienſe Vitriolum*, quod de Auro participat; item *Hungaricum*, Aurifodinis proximum, & *Romanum*, ſulphure Auri dives, ſuas mereantur laudes. Quemadmodum ſpiritûs, qui ex prænominatis *Vitrioli* ſpeciebus deſtillando eliciuntur: pro maxima licet ſui parte ſpiritûs ſint ipſius *ſulphuris*; de virtute tamen & efficacia metallorum, peculiariter illis inhærentium, ſpiritualiter ac virtualiter, haud parum participant. Quapropter omnes *Vitrioli*, ejusque *ſpiritûs*, peculiares operationes & virtutes metallis, eorumque principiis, potiùs adſcribendæ aut attribuendæ ſunt; non verò ſoli *Vitriolo*, ut Vitriolo, tanquam minerale eſſet à metallis naturâ ſuâ ſegregatum; ſed metallis in vitriolum ſolutis & converſis.

Quibus jam præmiſſis fundamentis, juris eſſet, & præſtaret quidem, ut ſtatim ad nonnullorum medicaminum, ex *Vitriolo*, deſcriptionem calamum dirigerem, & imprimis *Spiritum Vitrioli*; tanquam familiariſſimum medicamentum, ritè deſtillandum edocerem. Cùm autem varia adhuc reſtent, quæ, de *Vitrioli natura*, & *eſſe*, admonenda: idcirco & illa præmittenda, è re fore duxi.

duxi. Advertant igitur inprimis illi, quorum intereſt, & qui Medicinam faciunt, quòd, uti haud exigua eſt ſpecierum *Vitrioli* differentia, ſecundùm diverſitatem minerarum, ubi effodiuntur, & aquarum ac fontium mineralium, è quibus coquendo parantur: ita quoque ſpiritûs earum, aliave medicamenta ex illis parata, in virtutibus ſuis ac qualitatibus omninò diſcrepare; adeoque veris conſentaneum eſſe rationibus, ipsâ atteſtante experientiâ; *Spiritum Vitrioli Martis* roborando hepati, ventriculo, & lieni, aperiendisq; obſtructionibus hypochondriorum: *Spiritum* verò *Vitrioli* cœrulei *Veneris*, ut & *Lunæ*, ſeu *Argenti*, aut *Solis*, cerebro ac cordi confortando magis conducere, & appropriatum eſſe: *Mixtum* verò, & *commune Vitriolum*, ejusque *ſpiritûs*, de pluribus participare metallis & mineralibus, (vereor, ne de arſenicalibus) ac ob id non ſemper eſſe admittendum. Proinde in electione *Vitrioli*, pro *ſpiritu* ejus deſtillando, aliove medicamenta ex eo parando, ad hunc vel illum affectum idonea, haud parum ſitum eſt: ideoque delectu opus; cùm omnes *Vitrioli* peculiares virtutes, (uti ſæpius innui) non à *Vitriolo*, ut Vitriolo, ſed à metallo, de quo *Vitriolum* participat, aut ex quo metallo arte paratum, certiſſimè promanent. Quapropter conſultum foret, quò magis de bonitate & puritate *Vitrioli* nobis conſtaret, a eoque etiam de medicamentis transcedentibus, ſeu inde emergentibus: ut ex ipſis metallis, beneficio ſulphuris, aut cujusdam ſpiritûs benigni, *Vitriolum*, pro deſtillando ſpiritu, aut alio medicamento ex eo parando, aut huic vel illo morbo deſtinando, arte, & peculiariter, pararemus. Sic certè feliciori, in Medicina, & Praxi, ſucceſſu, ſimilibus uteremur medicamentis & ſpiritibus, quàm ſi ea nobis obtrudantur, quæ ab obvio quovis extemporaneo Chymico & fumivendulo, inter nemorum receſſûs, & latibula, parantur; nullo habito delectu, ſive purum, aut impurum, ſit vitriolum; homogeneûmne, an reliquis mineralibus inquinatum, quod deſtillationi applicatur. Verùm rei cardo totus in eo vertitur, ut levi pretio talia medicamenta divendi poſſint, & vitæ ac ſanitatis potiùs, quàm æris, fiat diſpendium. Taceo fraudes, quæ ſubrepunt, dum *Vitriolum* adulterant, *Alumen*, ac *Nitrum*, ſubreptitiè illi admiſcendo, quo majorem copiam *Spiritûs* nanciſcantur; ac laborem contrahant & compendifaciant. Nauci interim pendunt, ſalubris, an corroſivus, & cauſticus, ſit *Spiritus*, pravisve qualitatibus infenſus: parum de rectificatione ſolliciti; confuſum chaos Apothecariis divendentes. Quæ quantoperè Medicos incurios fallere ac decipere poſſint; judicet is, qui in re Medica & Chymica expertus eſt. Et hinc illæ lachrymæ, cur plurima medicamenta Spagyrica promiſſis haud quaquam reſpondent; & nobiliſſima etiam ars eapropter vulgi ludibrio indies exponitur. Quòd ſi verò metalla ipſa appropriatis ſuis menſtruis in *Vitriolum* reſolvamus, utpote Martem, Venerem, ac Lunam, id eſt, Chalybem, Cuprum, & Argentum, beneficio *ſulphuris*

pluris, debitâ ac dudum edoctâ calcinatione, aut ejusdem ſpiritu : aurum verò ſpiritu ſalis legitimè deſtillato : ſtannum & plumbum aceto, ſpiritu vitrioli, aut ſalis, nonnihil acuato, & ex hoc denique qualicunque *Vitriolo* ſpiritum legitimè & artificiosè deſtillemus : tunc faciliori, profectò, viâ, ac methodo metallorum ſubtiliſſimas eſſentias in liquorem verè potabilem, & innocuum, redigere valebimus. Nam tametſi non totum metallum, in *Vitriolum* ſuum reſolutum, ita volatiliſatum ſit (quod probè novi) ut, in deſtillatione ejusdem Vitrioli, in ſpiritum, pro maximâ ſui parte, cum ſpiritu deſtillando tranſeat, nec vel totum ei imprimatur metallum, aut in ſpiritum reſolvatur : nihilominùs tamen virtutes quædam, & ſubtiliores metalli partes, ſpiritui huic arctiſſimè imprimuntur, virtualiter quidem, non materialiter, aut corporaliter, eique inſeparabiliter adhærent & connexæ manent : ut ob id haud exiguos effectûs in Medicina continuo & frequenti ejus uſu experiri liceat : & vel maximè, ſi cuilibet morboſo generi ſuus ex metallo appropriatus ſpiritus, ſive contrarietate pugnando, ſive ſimilitudine naturam roborando, conſervandoque, ſive obſtructiones reſolvendo, deſtinetur. Notum præterea eſt in occultiori Philoſophia verſatis Spagyris, quanta virtutum opulentia in metallis, & quidem in pauciori eorum quantitate, coarctata & implanata ſit; ſi à vinculis ſuis, quibus incluſa ſunt, liberentur, & in ſuam potabilitatem verè redigantur : ut etiam unum vel alterum granum, ſive guttula, hominem ad extrema deductum reficere, vel, continuato ejus uſu, à graviſſimis morbis (habito nimirum reſpectu morbi, & remedii, ex determinato metallo) vindicare poſſint.

Fontes Medicati ac *ſalubres*, qui, ſtante divino pneumate (ſpiritus enim Domini ferebatur ſuper aquas) ad multorum languentium ſolamen prorumpunt ubique, & ſcaturiunt, nutuque ac directione dextræ DEI illicò è terra ebulliunt, annon primas medendi dotes ac qualitates à ſpirituoſa ac vaporoſa metallorum ſubſtantiâ, quâ ſubtiliſſimè tinguntur, derivant? Alluunt enim ejusmodi fontes, ſubterraneis innumeris venis diſcreti, metallorum corpora, aut eorum volatilia adhuc principia; hæcque per minima ſeſe illis inſinuant. ſuaque ſigilla aquis ac fontibus imprimunt, turgentesq; ſpiritûs, viliori glebæ ac limo defixos, ſegregant, ac ſibi maritant.

Quod de *Fontibus medicatis* ac *ſalubribus* infero & aſſero; hoc & ad *Acidulas* optimo jure transferendum judico : aut afferant minùs credituli à congruo rationem diſparem, geneſin ac genealogiam aliam horum fontium, quàm quòd ſint Tincturæ quædam, & impregnatus liquor, è quo mineralium ac metallorum virtus, natura, & craſis reſplendet : quæ quidem non corporatura ſua, aut materialiter illis inſunt, ſed potentiâ, virtualiter, ac impreſſivè. *Aquæ* præterea *Thermales* omnes, nunquid ex ſolis mineralibus, ſulphure quidem potiſſimum, exoriuntur? An non potiſſimum metalla, per ſulphura & ſpiritûs ſuos in terrarum antris reſoluta

luta (è quorum violentâ resolutione ingens illa efferveſcentia & calor exoritur: quod uſu quotidiano in Chymicis laboribus demonſtrari poteſt) illarum fervidarum aquarum unica & adæquata cauſa efficiens ſunt ? At quis interim tam demens ſit, ut doceat, quòd *Aquis Medicatis*, *Acidulis*, *& Thermis*, entitativè, materialiter, & corporaturâ ſuâ, metalla ac mineralia inſint, easque conſtituant; adeò, ut, in earum analyſi ac reſolutione, ea dementia in individuo reſiliant ac ſuperſint, & (ut cum mechanicis loquar) manibus contrectari ac ponderari poſſint ? Quanquam hoc dogma tàm ſublime, ingenioſum, ne dicam, abſurdum non ſit, quin ſuum repererit Profeſſorem, aut Aſſeclam, Dom. ſcilicet Gabrielem Raphaelem Schmuzium à Poyſtorff, Medicum, quem honoris titulo commemoro. Hic pretioſus vir, *in Commento ſuo*, *& abortivo fœtu*, *de Thermis Carolo Badenſibus* (ubi in Zwölferum, contra jus & fas, immemor DEI ac conſcientiæ, invehitur, ac pollutis & incircumciſis labiis, ore mendaciſſimo, verbis detractoriis, quamplurima effutit, ac confingit) hoc ſtupidum dogma viris ſapientiâ & praxi Chymicâ emeritis ultrò perſuadere attentat: eò, quòd lapidem Thermalem, trium librarum pondo, dono acceptum, & rigoroſo ſcrutinio commiſſum, ratione & manuum ſuarum proprio labore reſolverit, in eoq; realiter inexiſtere deprehenderit,

Nitri uncias decem ſemis,
Squam. ferri uncias octo,
Aluminis uncias quatuor ſemis,
Salis Nitri uncias quatuor,
Vitrioli uncias tres ſemis,
Stibii uncias duas ſemis,
Bituminis uncias tres,
Sulphuris unciam unam.

Quæ, rigoroſo calculo, & ad amuſſim, computata, uncias pendunt triginta ſeptem: Lapis autem ipſe, trium librarum pondo, continebat uncias triginta ſex. Adeoque Dn. Schmuzius, divinâ Palladis arte, uno diverbio, omnes Philoſophos confutavit; iisque graphycè demonſtravit; *Totum diſtingui realiter à partibus conſtitutivis*; cùm tamen partes, facta analyſi & ſeparatione, integrâ unciâ exſuperent totum, ſeu compoſitum; manifeſtâ hyperbole & grandiloquio. Hæc quaſi per tranſennam, ac ad modum parergi, attigi, mi *Schmuzi*. Plura, eaque particularia, veriſſima tamen, reperies in Apologemate; quod neque deſideranti quidem obtulit honorandus quidam Amicus meus, ſuppreſſo nomine, ac ſub Anonymi ſchemate: quem ſi noſſe ambias; utique non deerit: interim vel ex umbra corpus dimetire. Reperies interim, Dn. *Schmuzi*, illîc locorum, quàm iniquus ſis Chriſtianus; quàm mordax ac lividus Thraſo: eò, quòd virum probum, non laceſſitus, ex inſidiis præſtolatus, circumveneris: quàm innocens, ac in cunis Philoſophus ſis; cujus primum in naturâ lallare, mentiri fuit, quot verba, tot figmenta proferentis. Deprehendes ibidem, quàm alienum ac diſſonum à Phyſico ſit, docere mineralia realiter, ſubſtantificè, ſeu entitativè, *Thermis* ac *Lymphis* ineſſe: adeò quidem, ut ſo-

lutâ unione, ac beneficio deſtillationis, in prima entia, ac principia conſtitutiva priſtina, realiter ſuſcitari poſſint: prout præfixus Catalogus, aut elenchus, tuus contentorum Lapidis exhibet. Taceo, quòd partes integrantes ipſum compoſitum, poſt conſumptivam deſtillationem, ignis torturam, ac exhalationis diſpendium, ſuperarint integrâ unciâ; factâ, ſine dubio, partis ac unciæ unius naturali replicatione: prout è ſententia *Dn. Schmuzii* conſequitur. Plura denique ibi reperies, *Dn. Schmuzi*, quæ Zwölferi indemnitatem ac innocuum jus defendunt; & probroſam contra licentiam tuam, ac petulantiam, vivis coloribus depingunt. Quare pluribus non immoror famoſo ſchediaſmati tuo refellendo; quod in *Tractatulo* tuo, *de Thermis Carolo Badenſibus*, ad Mundi totius valvas publicaſti, *lymphatus detractor*: nec jure naturæ utor, par pari referendo. Hoc unum te, cum *Seneca*, hortor: *Alteri vivas benigniter, ſi & tibi vis vivere.* Nam probroſa oratio Echo dicitur, eosdem reddit, & reproducit, ſonos. Speculum eſt, nulli parcens Therſiti; ac, ut *Grammatici* loquuntur, *interrogatio & reſponſio caſu conſentiunt.*

Ignoſcat interim B. L. ex accidenti nonnihil devianti. Paucula enim hæc, pro parte innocentiæ meæ, & vindiciis, allegare volui: ne calumniator ac detractor hic obſequium ſe his DEO præſtitiſſe arbitraretur, ſi ultrò conticuiſſem.

Prius igitur argumentum tractandum reaſſumo; ſpiritus nimir. metallicos, qui non amplius in Ens, aut totum, è quo migrarunt, ſubſtantificè ac perfectè coaleſcere poſſunt; ſed in ſpiritualitate ſuâ perſeverant, donec, adventante, ſeu ambiente contrario, fermento aut ſpiritu lapidifico, in tertiam quandam ſubſtantiam commigrent ac deſciſcant. Veruntamen, dum ſic philoſophor, B. L. nolim te ſenſu aliquo ſiniſtro abripi; quaſi exiſtimem, totum metallum, in deſtillatione ſui, arte parati, Vitrioli potabile fieri: minimè; ſed quòd *ſpiritus*, ex *Vitriolo* cujusque metalli eliciti, ejus virtutis ideam, ac ſignaturas metalli, non materialiter, ſeu corporaturâ, ſed virtualiter, ac ſpirituali quodam ſigillo, exprimant ac æmulentur, quæ ſaltem, per ſupradictos ſpiritûs acidos, metalla in Vitriolum reſolventes (ſulphuris nimirum, ſalis & aceti, quibus metalla in vitriola reſoluta ſunt) tanquam per vehicula, in violentâ deſtillatione rapiuntur, & cum illis perpetuo fœderis nexu junctæ ac unitæ manent. Utigitur *ſpiritum Vitrioli Antepilepticum*, cerebro & animalibus facultatibus roborandis, tibi compares; præſtat, ex *Luna*, ſeu *Argento*, tum etiam ex *Venere*, *Vitriolum* priùs, beneficio ſulphuris, legitimè parare; ex hoc porrò ſpiritum ſ. a. prolicere: qui tum reverà præpotentes Lunæ, aut Veneris, virtutes æmulabitur, ac in ſupradictis cerebri affectibus, & roborandâ facultate animali, haud parum præſtabit. Et ſic de aliis metallis, eorumque Vitriolis, ac deſtillatis exinde ſpiritibus, ſentiendum eſt. Quibus ſufficienter explanatis, hæc, quoad univerſalem, de Vitriolo,

triolo, dilucidationem ſat dicta ſunto. Igitur ad particularia medicamenta, ex Vitriolo paranda, nunc tranſitum paro, quæ erunt ſequentia, ſed pauca: cum ex univerſali hâc doctrina quilibet expertus Medicus & Chymicus ſibi plura, & vel ex quolibet metallo ſingularia, ac ſpecifica, medicamenta comparare poſſit; modo, quo, ſat clarè & perſpicuè, in præmiſſis non ſolùm indigitavi, ſed & ulteriùs proponam; ut de obſcuritate, aut difficultate, nullus conqueri queat: ad amuſſim cuncta explicaturus.

SPIRITUS VITRIOLI.

QUamvis plurimi Authores, in ſuis Tyrociniis, *ſpiritûs Vitrioli* deſtillationem edocuerint; adeoque ſuperfluum videri poſſet, ſcripta toties repetere velle, aut cramben bis coctam recoquere: nihilò tamen minùs, cùm haud pauca reſtent, circa legitimam hujus ſpiritûs deſtillandi normam admonenda; nec in hâc deſcribenda operæ parcam; quin, quæ ab aliis omiſſa, ſcitu tamen neceſſaria ſunt, heîc ſuperaddam. Paretur igitur modo ſequenti:

Eligatur primò *Vitriolum*, pro deſtillando ejus ſpiritu, *legitimum & purum*; quod (juxta ſuperiorem admonitionem,) in fodinis metallorum ſalubrioribus enatum, aut ex earum aquis mineralibus vitriolatis coquendo paratum ſit, halitu arſenicali non inquinatum. Inter quæ maximè *Hungaricum, viride, & cæruleum, Romanum*, vel etiam *Cyprium*, probatur. Aut, quò meliores & ſalubriores ſpiritûs, qui unius metalli naturam & proprietates ſolùm referant vel æmulentur, paremus, præſtaret ex *Marte*, ſeu *Chalybe*, tum etiam *Venere*, ſeu *Cupro*, *Vitriolum*, beneficio *ſulphuris*, per calcinationem, (uti ſuperiùs, ſuo loco, edoctum,) conficere: è quibus deinde ſpiritûs, longè ſalubriores communibus, legitimè deſtillandi.

Quodcunque igitur *Vitriolum* bonæ notæ in promptu ſit; calcinetur illud priùs, vel ſuper igne leni, in ollâ non vitreatâ, veluti coquendo, donec ſpiſſum & ſiccum evadat, in maſſam duram conglobatum, coloris cineritii flaveſcentis: vel retrò fornacem, tempore hyberno, quoad albeſcat, & in pulverem ſubtilem convertatur, totaque ſaltem humiditas elementaris leni coctura, aut calcinatione, exhalârit. Calcinationem *Vitrioli* in ſole, tempore æſtivo, pro ſpiritu deſtillando, non approbo. Quemadmodum enim *Sol* ex vegetabilibus à radicibus ſuis evulſis; ita quoque cunctis aliis ferè volatilibus rebus, ipſi diu expoſitis, ſuas extrahit potiores virtutes, eſſentias, colores, & quidquid æthereæ, aut ſubſtantiæ volatilis, influis benignioribus aſtris, mitior natura iis contribuit, easque velut imprægnavit. Eapropter hâc calcinatione à Sole abſtinendum eſſe puto.

Vitriolum nunc, ſuprà dicto modo, in ollâ ad duritiem, & cinereo flaveſcentem colorem calcinatum, iterumque; in pulverem redactum, retortæ terreæ, vel vitreæ, luto, ſuperiùs etiam

edocto, ex terra figulina, vitro, & silicibus tritis, parato, obductæ, vel terreæ Waltenburgicæ (quæ vasa vitri instar spiritûs continent, ac nequaquam permeare sinunt,) indatur, ad dimidias saltem illam implendo, & furno reverberii, seu igni aperto, s. a. accommodetur, claudaturque furnus in parte supernâ, foramine rotundo in medio saltem aperto servato, quò ignis retortam undique allambere & circumdare valeat. Hinc recipiente permagno, & largo collo, retortæ agglutinato, subdatur ignis primò admodum lenis; paulatim tamen, phlegmate prodeunte, per gradûs augeatur, & ad horas x. vel xii. continuetur, donec nimirum phlegma, guttatim prodiens, totum exstillarit, & nullæ ampliùs percipiantur guttulæ, nubeculis albicantibus, igne paulatim adaucto prorumpentibus, ac totam retortam replentibus. Hæc destillatio per duos dies, & ultrà, ultimò extrema ignis violentiâ, ac si omnia liquanda forent, continuetur, donec tota radicalis humiditas, spiritus & oleum, impropriè ita dictum, expulsa fuerint, neque prædictæ, in recipiente, nebulæ ampliùs appareant. Quo viso, ignis paulatim subtrahatur ac fatiscat, & vas recipiens cautè amoveatur, & quidem antequam omnia refrigerata sint; ne spiritûs, violentiâ ignis expulsi, à capite mortuo sitibundo, intra retortam residuo, attracti, retrocedant, acilli denuò sese insinuent: quod certissimè futurum tibi persuaseris, me ipso, & experientiâ, teste.

Absolutâ destillatione, *spiritus* ex recipiente, in alembicum, vel retortam vitream, transfusus, in cineribus leni igne dephlegmetur, donec guttæ acidæ exstillare percipiantur: hinc, aucto igne, expellantur nec non spiritûs acidi, donec oleum crassum, rubicundum, acidissimum, in residuo maneat. Singula hæc seorsim asserventur, tum phlegma sulphureum *Vitrioli*, tum spiritus, ac oleum magis concentratum in retorta residuum; quodlibet suo usui destinandum: quorum virtutes non solum Medicis; verùm etiam Vulgo, patent ac notissimæ sunt. Quòd si verò ex *Vitriolo* cujusdam metalli, *arte facto*, spiritûs singulares fuerint destillati; quilibet prudens etiam Medicus illos morbis, quibus propriè destinati sunt, accommodare noverit. Hoc tamen adhuc, quoad spiritûs hos, ex *Vitriolo* quodam *metallico*, *arte facto*, singulariter destillatos monendum esse duco: nimirum, neque abstractionem phlegmatis, neque spirituum rectificationem, necessariam fore; eò, quòd phlegma spiritûs contineat sulphureos, summè penetrantes, & non inutiles, quorum fugacitate & tenuitate spiritûs acidi, suo crassiori oleo etiam juncti, penetrantiores sunt, corpusque faciliùs permeare, ad cerebrum etiam pertingere, & ad intima quæque corporis penetralia faciliùs pervenire possunt. Nec porrò existimandum, ac si oleum magis fixum ac crassum horum spirituum valde nocuum sit aut corrosivum, & separatum quid à spiritibus acidis *Vitrioli*; aut alterius conditionis, vel virtutis: neutiquam! Nihil enim aliud illud est, quàm acidus magis, & veluti concentratus, spiritus, impropriè oleum

oleum dictus ; imò nobilior pars ſpiritûs, ſulphure & eſſentiâ metalli, è quo *Vitriolum* arte priùs paratum, dives & ditiſſima. Hanc igitur nobiliorem horum ſpirituum partem à rel quis ſeparare ſpiritibus magis volatilibus, neſas, ac inconſultum fore, judico. Nec eſt, ut ejus aciditatem vereamur, tanquam nocuum corroſivum : cùm & *ſpiritûs Vitrioli*, quicunque etiam illi ſint, licet rectificati, & à ſuo oleo per deſtillationem ſeparati; intrò tamen aſſumi neutiquam poſſint, niſi vehiculo qualicunque diluantur. Ita ergò & oleum hoc, ſive acidus magis & concentratus ſpiritus, non alias, nec peregrinas, aut malignas à ſpiritu, obtinet qualitates, niſi quòd magis potens ſit, pluri in ligeat vehiculo, quo diluatur, & minori doſi ſit propinandus. Imò, (uti ſuprà aſſerui) propter tincturam, & ſulphur metalli, quo ipſo ſpiritu ditior eſt, potioribus etiam virtutibus gaudere, omninò cenſendum. Verùm hæc, de *ſpiritibus*, *ex artificiali Vitriolo* cujusque metalli deſtillatis, non verò de quibuscunque, à quolibet *Vitriolo*, rebus heterogeneis quandoque & malignis, inquinato, deſtillatis Vitrioli ſpiritibus, dicta ac confirmata ſunto.

Abſoluto nunc, & edocto, *Spiritu Vitrioli*, quomodo is ritè ac dextrè deſtillandus, reſtat, ut reſiduum à deſtillatione *Caput mortuum*, (ita dictum) ſeu *Colcothar*, pauliſper intueamur, ac perveſtigemus. Hoc igitur, & quod à deſtillatione *Vitrioli Martis* reſiduum, verus ejusdem *Crocus adſtringens* eſt; ſi verò à *Vitriolo Veneris*, aut *Cupro*; *Crocus Veneris*, adſtringente pariter virtute præditus, appellari pvteſt : à communi verò quodam Vitriolo, *Colcothar*, *terra Vitrioli*, & *Caput mortuum*, dici meretur; quamvis non vera ſit mortua terra. Nam ſi aëri, & aſtris, aliquandiu exponatur, quoad ſufficienter imprægnetur, ac denuò, uti priùs, violenter per retortam deſtilletur; idem ferè ſpiritus, qui antea, prolicietur. Propterea ſi terra illa, ex *Vitriolo Martis*, aut *Veneris*, à peracta deſtillatione reſidua, pro adſtringentibus Crocis vult aſſervari; neceſſum omninò eſt, ut ab omni aëre libero & humido, in vitro probè clauſo, aſſervetur & præſervetur. Secus enim, ſi, aëri expoſita, ſalina humiditate imprægnetur, virtute omni adſtringente amiſſâ, contrariâ ei, & reſolvente, ill cò imbuetur. Hinc etiam quodcunque *Colcothar*, ſeu *Caput mortuum Vitrioli*, ita dictum, ſi, uti ſtudiosè præcepi, extremâ ignis torturâ, & violentiâ, uno atque altero die continuatâ, ejus ſpiritus & oleum per deſtillationem expulſa fuerint; omni ſale ſtatim à deſtillatione vacuum ac deſtitutum eſt, adeò quidem, ut, ſi illud protinus, peractâ deſtillatione, aquæ cuidam immergatur, & coquatur, aut elixivietur; nulla prorſus ſalſedo exinde eliciatur, aut extrahi poſſit. Quapropter ſi ex capite vitrioli mortuo, protinus à deſtillatione, ſalina quædam eliciatur ſubſtantia; ſignum eſt infallibile, *Vitriolum*, ſeu ejus *Caput mortuum*, ſpiritu ſuo, ſeu oleo magis fixo, & craſſo, totaliter non eſſe privatum, nec omnia ſufficienter in-

destillatione fuisse expulsa; sed remansisse portionem quandam *Vitrioli* adhuc integram, quæ, si extracta, ac veluti elixiviata fuerit beneficio aquæ simplicis, ac in salinam formam redacta, à vulgo pro sale Vitrioli habetur, *Gilla Theophrasti* dicta: *Vitrioli* tamen naturam refert, &, tanquam violentum medicamentum Emeticum, non, nisi robustioribus naturâ hominibus, exhibendum in Officinis asservatur. Quod si verò id ipsum *Colcothar*, seu *Caput mortuum Vitrioli*, aëri libero, & astris, per unam alteramvè septimanam exponatur, à pluviis autem, & radiis solaribus arceatur; imprægnatur illud, & imbuitur, copioso sale, à Vitrioli autem naturâ, sapore, & virtute, planè alieno. De cujus natura & proprietatibus plura, *in Animadv. nostr. pag. 524. & 555.* item *in Append. ad Animadverf. pag. 99.* præmissa sunt, quæ B. L. revolvat.

DE OLEO VITRIOLI DULCI.

HAud ita levis quæstio posteriori; num ex *Vitriolo communi* Oleum quoddam dulce, aut spiritus talis, absq; tamen additione rerum heterogenearum, destillando elici possit? De quo ipse dubius, illud facilè asserere vix ausim: quamvis plures ab Authoribus hinc inde extent modi descripti, quomodo fieri illud queat, ac parandum sit. Utrum verò effectus respondeat promissis; fides sit penes Authores. Doctiss. *Helmont. in Tractat. Duum-viratûs*, modum quendam indigitare videtur laboriosissimum. Verùm, quia ille, cum *Armoniaco sale*, & repetitâ spiritûs à capite suo mortuo cohobatione, (ne dicam destructione) peragitur; ob id etiam minimè arridet. Clariss. *Hartmannus* cum *urina puerorum*, & *ferri limatura*, hoc efficere conatur. Sed & hic rem acu, profectò, non tangit: siquidem *spiritu Vitrioli*, *sali urinæ volatili* juncto, contrarietate naturali, quâ acida & salsa se mutuò destruunt, ambo, & spiritus Vitrioli, & sal urinæ, in aliud Ens transmutantur: *Spiritus* porrò *Vitrioli limaturam Martis* violenter aggreditur, solvendo & rodendo, ac non, nisi aliud efficit *Vitriolum*: adeoque *limatura ferri spiritum Vitrioli* verè *dulcem* reddere nequit: quin ipse in aliud quid transmutetur. Clariss. *Agricola*, *Tract. de Vitr. pag. 327. & seqq.* haud pauca etiam de *spiritu Vitrioli dulci*; ejusque virtute & proprietatibus, affert; ac tandem ejus parandi modum addit: qui præ aliis admittendus foret, si *sal Vitrioli*, quem hic Author ex Colcothar protinus à destillatione extrahere jubet, ex tali capite mortuo, quod, extremâ ignis violentiâ omni spiritu & oleo privatum, ac aëri & astris expositum, iterum imprægnatum fuisset, pro hoc labore & fine eliceretur. *Keslerus*, *Cent. 3 pag. 32.* item *Cent. 4. pag. 62. & 67.* diversos modos proponit; qui tamen omnes suas difficultates patiuntur, nec nodum solvunt. Clariss. præterea *Schröderus*, *suæ Pharmac. Medico-Chymicæ lib. 3. cap. 26. pag. 492. & seqq.* plurimos *olei Vitrioli dulcis*

dulcis processûs & modos inseruit; è quibus L. A. sibi eligat, quem ad rem suam esse arbitrabitur: quamvis & illi omnes etiam peregrinis & heterogeneis rebus admixtis cum jactura & dispendio ipsius spiritûs, & defectione ab indole naturali, perficiantur. Quapropter cùm res ardua sit, ex hoc subjecto, seu *Vitriolo*, tale quid elicere, seu producere, quod à naturâ non habet, nec ipsi implantatum est: idcircò satius esse puto, hoc labore potiùs supersedere, quàm difficillima & impossibilia moliri, ac inutilia hâc de re scribere. Nihilo tamen minùs, si omninò *spiritus Vitrioli dulcis* desideretur; hunc, profectò, ex nullo alio subjecto, quàm ex *Vitriolo Martis*, *arte facto*, per calcinationem cum sulphure, adipiscemur. Is etenim *spiritus*, ex *Martis* nimirum *Vitriolo* legitimè destillatus, unà cum aciditate, quâ naturaliter gaudet, dulcedinem quandam refert maximè perceptibilem. Proinde si idem spiritus cum proprio suo (superiùs edocto) *sale*, ex imprægnato nempe, ab astris, capite mortuo extracto, essentificatus, additâque particulâ spiritûs vini, aliquandiu circulatus fuerit; majori certè dulcedine, & præstantioribus imbuetur virtutibus, & usui Medico inserviet. Interim quæ, *cap. 4. de Venere*, de hoc *Spiritu Vitrioli dulci* præmissa sunt, revolvantur.

Eodem planè modo multi invanum laborant, & irrito se torquent conatu, in apparando, seu destillando, *Spiritu Vitrioli viridi:* ac si magni quid in viridi delitesceret colore. De quo tamen videantur Clariss. *Schröderus*, *cap. 16. pag. 490. Agricola*, *Tract. de Vitriolo*, *pag. 483. Keslerus*, *Cent. 1. pag. 51.* at quorum processûs omnes experientiæ non respondent, sed valdè hallucinantur. Proinde supervacaneis his nil addo; sed potiùs ad alia transitum paro.

SPIRITUS VITRIOLI COAGULATUS.

℞. Salis Vitrioli, ex capite ejus mortuo summè calcinato, & ab astris imprægnato, legitimè extracti, uncias tres;

cui affundatur

Spiritûs Vitrioli rectificati tantundem,

&, in cucurbita vitrea, ex cineribus tota abstrahatur humiditas, destillando ad siccitatem salis. Residuo sali in cucurbita uncia una circiter recentis *spiritûs Vitrioli* superaffundatur, ac eodem modo, quo priùs, destillando superflua humiditas ad siccitatem salis abstrahatur: ac *sal* residuus, seu *spiritûs Vitrioli* coagulatus, repetitis solutionibus, filtrationibus, ac coagulationibus purificatus, in vitro probè clauso ad usum asservetur.

Moliuntur nonnulli aliam *spiritûs Vitrioli* coagulationem, cum parte æquali *salis Nitri* purissimi: abstrahendo nimirum spiritum seu potiùs phlegma ejus aquosum, & ad *Nitri* siccitatem destillando: hinc aucto igne & continuato, donec *spiritûs Nitri* ignei, in forma vaporum rubicundissimorum, subsequantur, & vel totaliter expellantur,

tur, remanente ſpiritu acido *Vitrioli*, cum *Nitri* corpore, ſuo ſpiritu igneo privato. Nam cùm *ſpiritus Nitri* ignei volatiliores multò ſint *ſpiritibus Vitrioli*; idcircò illi, (Nitri ſpiritûs) levi ignis pulſu hos (Vitrioli ſpiritûs) antevertunt, & naturali veluti inſtinctu aufugiunt. Virtutes, ut & doſis, hujus *coagulati ſpiritûs*, cùm notæ ſint, ac cuilibet perſpectæ; ſicco tranſeo pede.

SPIRITUS VITRIOLI ESSENTIFICATUS.

Ejus præparatio, unà cum virtutibus, & utendi modo, *in Append. præmiſſa ad Animadv. pag. 75.* edocta eſt; quæ hûc trahenda eſt.

CLYSSUS VITRIOLI, ſeu SPIRITUS VITRIOLI ESSENTIFICATUS.

℞. Vitrioli Hungarici viridis Martialis q. v.

Solvatur in aquâ ſimpl. filtretur, & iterum ſ. a. cryſtalliſetur, fæcibus, ſeu Ochrâ, ſive terrâ flavâ ſulphureâ, ſeparatâ: & hic labor, ſolvendo, filtrando, ſeparando fæces *Vitrioli*, illudque denuò cryſtallizando, tertiùm repetatur. Tùm *Vitriolum* hoc, probè purificatum, calcinetur in olla, ſuper igne leni, ad medium inter flavum & rubrum colorem. Quo facto, ſolvatur porrò cum ſ. q. aceti deſtillati, filtretur, & cryſtallizetur, idque tertiâ vice repetatur, donec fæces nullæ ampliùs conſpiciantur: ac rurſus in olla, ſuper igne leni, ad flavedinem, ſeu ſiccitatem, calcinetur. Hoc deinde in pulverem redactum, immittatur retortæ vitreæ, ac, in arena deſtillando, expellatur ejus phlegma ſulphureum, ſpiritusque volatiliores, quantum quidem in hoc ignis gradu fieri poteſt. Phlegma hoc, ſpiritûsque volatiles ſulphurei prolecti, reſiduo in retortæ Vitriolo ſemi-calcinato, ac priùs iterum in pulverem trito, reaffundantur & reſtituantur. Quæ tandem juncta, & ſiccata, retortæ vitreæ, luto obductæ, denuò immiſſa, deſtillentur igne aperto, per gradûs aucto, ultimò violentiſſimo; per duos circiter dies continuando, donec omnes ſpiritûs ad extremum expulſi fuerint; qui aſſervandi. Relictum Caput mortuum aëri libero & aſtris exponatur, ut imprægnetur; è quo tandem ſal candidus aëreus, beneficio aquæ ſimpl. extrahatur; qui etiam, repetitâ ſolutione, filtratione, & cryſtalliſatione, probè purificetur. Jam verò recipe

Hujus ſalis aërei purificati uncias tres;

cui affunde

Spiritûs proprii, ſuperiùs aſſervati, uncias duodecim.

Digerantur, circulenturque deinde in phiala probè ſigillata, calore moderato, per integrum menſem. Et evadet medicamentum nobile, per filtrum ſaltem clari-

clarificandum, ac in vitro probè clauso ad usum asservandum.

Præstat in paralysi, spasmo, palpitatione cordis: in tabe, & affectibus ventriculi corrigendis, summo est emolumento, à gutt. vj. ad x. repetitis vicibus in convenientibus vehiculis exhibendo.

ESSENTIA VITRIOLI, seu OLEUM, aut LIQUOR VITRIOLI DULCIS.

℞. *Vitriolum* ad rubedinem leniter calcinatum, vel *Caput mortuum Vitrioli*, ita dictum, à quo spiritûs volatiliores saltem expulsi fuerint, relicto oleo, vel spiritu magis rubicundo & fixo, dicto in capite mortuo residuo, q. v.

Ex hoc, aliqualiter etiam in aëre imprægnato, capite mortuo extrahatur salsedo vitriolata, & essentia etiam Vitrioli, repetitâ aceti destillati affusione & decantatione, quousque sapor vitriolatus, seu salsedo, etiam in aceto extrahente, gustu percipiatur. Extractiones omnes filtratæ, in alembico vitreo, balnei calore, destillando abstrahantur ad crassum liquorem & mellaginem; qui liquor residuus, addito sabulo, vel alumine usto, & ad extremum calcinato, retortæ vitreæ, luto obductæ, immittatur, ac igne aperto, gradatim auctо, in *Liquorem rubicundum* destilletur, & studiosè asservetur.

Præsens est remedium, in Calculo, Epilepsia, Hemicrania, Ulceribus internis abstergendis, & ad sanguinem purificandum, aptissimum. Dosis à gt. x. ad xx.

ESSENTIA VITRIOLI ALIA.

℞. Vitrioli Martialis, seu Hungarici, ad rubedinem calcinati, q. v.

cui affundatur *spiritus Vini* probè rectificatus; & extrahatur, digerendo moderato calore, *Vitrioli Essentia*, spiritum repetitis vicibus affundendo, & decantando, quousque neque sapor, nec color, in spiritu extrahente percipiatur. Extractiones omnes filtratæ, in M. B. per alembicum, aut cucurbitam, destillando abstrahantur, ad *Liquoris* crassioris remanentiam, qui porrò, addito *alumine usto*, & *extremè calcinato*, per retortam in Liquorem rubicundum, & dulcem destillandus est. *In affectibus superiùs denominatis efficax.*

ESSENTIA VITRIOLI ALIA.

EX *Vitriolo Martiali*, seu *Hungarico* puro, ad flavedinem in olla s.a. calcinato, destilletur per optimè lutatam retortam, & igne aperto (ut artis est) *Spiritus* & *Oleum* ejus magis ponderosum: ultimò nimirum uno atque altero die igne violentissimo continuato: qui *Spiritus* interim studiosè asservetur. Ex capite hoc mortuo summè calcinato, & ab aëre & astris debitè impræg-

prægnato eliciatur, beneficio aquæ simpl. *sal candidus aëreus*, omni Vitrioli sapore expers; qui, repetitis solutionibus, filtrationibus & coagulationibus ad summam reducatur puritatem. Huic *sali* affundatur porrò, in vitro, seu cucurbita oblongâ, proprius destillatus & asservatus *spiritus*, pedetentim quidem, & per vices, illum instillando. Digerantur hinc, macerenturque calore balnei, vitro probè clauso, per duas circiter septimanas. Hinc retortæ vitreæ immissa, destillentur ex arena, igne ultimo violento, ut retorta candeat. *Liquor* & *Spiritus*, destillando prolectus, ac cucurbitæ vitreæ immissus, in B. M. vel in cineribus, dephlegmetur, quousque residuus spiritus maximè rubicundus & crassus appareat; qui, in locum frigidum collocatus, spatio aliquot dierum crystallos ad fundum & latera cucurbitæ deponet. *Spiritus* residuus supernatans à crystallis separetur, & porrò in cineribus ad dimidias circiter abstrahatur: qui (*spiritus* abstractus) interim asservandus est. Cucurbita verò, cum residuo illi adhærente spiritu, in locum iterum frigidum, ad crystallizandum, collocetur. Crystalli à supernatante adhuc spiritu iterum separentur & asserventur: *spiritus* verò residuus porrò in cineribus ad dimidias circiter abstrahatur, & frigidum in locum ad crystallizandum collocetur: quod toties repetendum, usque dum totus ferè spiritus per cineres abstractus, & crystalli ejus collecti sint. Hi jam collecti crystalli, & ad summam puritatem, repetitâ solutione & coagulatione, redacti, immittantur iterum cucurbitæ vitreæ, & superaffundatur iis successivè & pedetentim spiritus proprius, in crystallisatione repetitâ abstractus; item spiritus vini summè rectificati dimidium circiter, respectu proprii *spiritûs Vitrioli*. Digerantur postea, & calore leni circulentur, in phiala alta, satis ac probè clausâ, duarum circiter septimanarum spatio, donec omnia debitè unita, & in *Liquorem rubicundum* conversa sint: qui, tanquam præstans *Vitrioli Essentia*, studiosè asservandus.

Epilepsiæ, Maniæ, Melancholiæ hypochondriacæ, Vertigini, Podagræ, aliisque Morbis chronicis & radicatis medendis efficax est. Dosis à gut. x. ad gut. xx.

Nota: si ex vero *Martis Vitriolo*, arte facto, *Essentiam* dictam, juxta præfatam normam apparaveris; præstantior illa erit, & meritò *Martis* seu *Chalybis*, *Essentia* dici meretur. Eâdem ratione & methodo observatâ, tum ex *Luna*, seu *Argento*, tum etiam ex *Venere*, præstantissima confici possunt medicamenta, determinatis morbis accommodanda, modò assidui & industrii simus, nec manum contrahamus, levibus territi expensis; qui aliàs, in rebus parandis erroneis, ac apocryphis processibus, prodigi sumus & hospitales.

SULPHUR VITRIOLI ANODINUM.

℞. Vitrioli Martialis, seu Hungarici optim. libram unam.

Solvatur in s. q. aq. simpl. solutio filtretur & asservetur : postea cum hac *aqua Vitriolata* sæpius laminæ ferreæ, vel etiam limatura Martis pura, humectentur, & toties leni calore iterum exsiccentur, usque dum in massam rubicundam conversa sint. Nunc huic in pulverem tritæ massæ superaffundatur aceti destillati q. s. ad quinque digitorum supereminentiam, in vitro satis largo & magno ; digerantur calore satis intenso, quousque acetum tingatur ; quod, dum adhuc calet, effundendum, & aliud superaffundendum ; idque sæpius repetendum, donec acetum affusum nullâ amplius rubedine tingatur. Porrò solutionibus, seu aceto tincto, instilletur *Oleum Tartari* guttatim, & præcipitabitur *Sulphur Vitrioli* instar pulveris flavi : quod per residentiam & decantationem, seu inclinationem liquoris supernatantis, vel etiam per filtrum, & chartam emporeticam, separatum, aquâ tepidâ sæpius affusâ probè edulcoretur, quousque nullus sapor aut acrimonia sive à sale, sive aceto, vel à vitriolo, amplius percipiatur. Exsiccetur hinc, & phialæ inclusum, in arena nonnihil ad rubedinem calcinetur ; quod brevi fiet, & efficietur. Et hoc est *Sulphur Vitrioli anodynum* dictum : ex quo porrò, cum spiritu vini, ac beneficio salis tartari, vel etiam cum spiritu Veneris, *Essentia*, & nobile medicamentum apparandum venit. Quòd si verò *Sulphur Vitrioli*, aut etiam *Martis*, seu *Chalybis*, inflammabile desideretur ; accipiatur loco Vitrioli vulgaris, *Vitriolum Martis*, *arte paratum* ; quod itidem solutum, & Martis laminis, seu limaturæ, affusum, cum iis sæpius exsiccetur. Hinc acetum huic massæ sæpius affundatur, donec omnis rubedo extracta sit : quod tinctum acetum sine præcipitatione per B. M. ex parte evaporet ; & præcipitabitur per se *Pulviſculus*, seu *Sulphur flaveſcens*, quod, aquâ simplici sæpius affusâ, ab omni vitrioli & aceti acrimoniâ liberatum, exsiccetur, ac, phialæ inclusum, leniter calore arenæ ad rubedinem calcinetur.

Notetur, quòd non minus ex *Ferro*, seu *Chalybe*, in ejusdem *Vitrioli* confectione, sed cum *spiritu Vitrioli*, *Sulphur* inflammabile facili negotio apparari possit ; nimirum ex residua materia nigricante & fœtidâ, exsiccando hanc nigram glebam ; quæ postea aut per se, vel addito sale quodam, sublimanda. *Keslerus.*

His ad calcem perductis, habes, A. L. ex substratâ *Vitrioli* materiâ pauca, nec tamen ubivis obvia, remedia, juxta naturæ & artis leges ad amussim dispensata. In horum communicatione, omni amphibologiâ & ambagibus abstinens, amicæ sinceritati & candori studui : prout legenti obvium fiet. Quo quidem in negotio cœteris Authoribus palmam non cedo, qui vel obscura tradunt, vel diminuta edunt, vel

confusè dicent; ut in tanta rerum farragine meritò lector anceps & perplexus hæreat, cui manipulationi fides tandem debeatur. Quâ in re multum *Clarissimus Schröderus* cespitavit; qui, corradendo inutiles prorsus processus, tempus inaniter trivit, ac Tirones seduxit; dum in fallacibus hisce processibus elaborandis sumptûs & operam lusêre. Proinde delectu opus est, nec, quis scripserit, sed quâ arte, & methodo tradita sint, & an verba factis conciliari possint, sedulò prospiciendum. Verùm quis aliquando Sirenibus vel unam saltem aurem non reserat: cùm Argi lumina vel centum dulce sopore gravi tumularit modulamen? Tam enim speciosos titulos, magnifica verba, & suaves pollicitationes, captiosis processibus suis appingunt, ut vel consummatos Chymicos in consensum trahant, & erroris consortium. Hujus genii *Vulpecula* nuper prodiit, quæ *Salis viperini noviſſimi* antiquissima (nugaciſſima, profectò) fundamenta, præterito edidit anno; in quibus, præter fastuosa promissa, & temerarias hyperboles, ne micam veritatis reperias. Amice Lector: *fœnum in cornu gestat: niger est: hunc tu, Romane, caveto.*

CAPUT X.

DE

SULPHURE.

Sulphur, singulare & admirandum naturæ productum & minerale est. A priscis naturæ indagatoribus & Sapientibus nomen, τὸ θεῖον, meruit. Tantæ in operando virtutis & energiæ est, ut ejus activitatem nihil remoretur, terra contremiscat, orbique subterraneo dominetur. Docuerunt hoc nos multarum Civitatum, Castellorum, ne dicam, Regionum, funestâ catastrophe actæ tragœdiæ; quæ hoc Vulcano abolitæ, subversæ, &, hiante ad centrum Universitatis quasi terrâ & abysso, absorptæ sunt. Fumant etiamnum Vesuvii ac Ætnæ funesti apices, subjectisque incolis climactericos minitantur annos, periodica incendia, sulphureosque torrentes, latè omnia populantes. Plura, eaque particularia, ac verissima, refert de his R. P. *Athanasius Kircherus*, universalis Ingenii ac Talenti vir, Scriptorum decus, *in Mundo Subterraneo, secundo præfat. suæ cap.* Interim totus terrarum orbis *Sulphure* abundat, plus tamen in hoc, quàm illo, loco conspicuo: quod *Thermæ sulphureæ* ferè innumeræ, quæ omnes, pro maxima sui parte, ex *Sulphure* subterraneo accenso constant, & ortum

ortum ducunt, cujus odorem etiam spirant, & montium ardentium, sulphurearumque fossarum, multitudo demonstrat. A Priscis & Neotericis Philosophis, *Sulphur Terræ pinguedo, Adeps, Resina, & Oleum,*) quibus nimirum homogeneum, & suo modo correspondet,) definitur. Constat illud, ut eidem *Doctissimo Kirchero* placet, ex quatuor *differentibus substantiis, sive* Elementis: *Igne, Aëre, Aquâ, & Terrâ.* Meâ interim sententiâ, *Sulphur*, pro maximâ sui parte, ignis concretus, subterraneus, & terrestris est: ac ita definiendum, cui suas Natura habenas, limites, ac repagula objecit terrestriores partes, ne in actum mox & apertum incendium erumpere possit, nisi ab elementari quodam, aut actuali igne, à vinculis solutum actuetur. Interim sub villoris terræ glebæ forma, igneas virtutes, ac æthereas actiones, producit; utpote, siccando humidiora, & laxa adstringendo; depurando impura, congregando homogenea; glutinando & uniendo, fracedini, & putredini è diametro, tum curativè, tum præservativè, adversando. Quòd autem hæc mea assertio suo nitatur fundamento, constat ex destillatione ejus *spiritûs acidi* per campanam. Nam vix, ac ne vix quidem, ex integrâ libra *Sulphuris* uncia una, vel uncia una semis, dicti *spiritûs*, quacunque artificiosa manu aut industria ejus destillatio instituatur, elici potest: residuum verò, quod remanet, terrestreitatis tàm exiguum est, ut expondere multarum librarum conflagrantis *Sulphuris* vix tantum terræ residuæ à conflagratione ejus restet, ut drachma una vel altera salis elici possit; reliquum verò totum *Sulphuris* in igneum chaos & elementum transferatur, & per aëra dispergatur. Hanc sententiam etiam confirmo ex præfato *Doctiss.* & *profundissimo Philosopho, Kirchero*, qui ipsum *Sulphur* pariter *Ignem naturæ esse invisibilem*, sapientissimè asserit. Quâ ratione verò *sulphur* principium rerum naturalium, præcipuè metallorum & mineralium, dici & esse possit, & quo modo ad generationem rerum omnium sublunarium concurrat; quot modis *sulphur* fiat & generetur; quibus in locis; species ac differentiæ ejus: hæc cuncta idem *Doctissimus Kircherus*, loco suprà citato, *libr. nimirum 9. sect. 3. pag. 146.* item *lib. 11. sect. 2. pag. 252.* egregiè ac doctrinaliter explicat & explanat: quo B. L. ut scriptionis vela contraham, ablegatum velim. Interim adspecialia quædam *medicamenta ex sulphure* dextrè describenda me convertam, & sequentia pauca hîc adstruam.

PURIFICATIO SULPHURIS.

Sulphur crudum diversimodè ab insito, nimioque fœtore, ac impuritate, purificatur. Nonnulli enim per *spiritum vini*: alii *beneficio Cera*, terrestreitatem & fœtorem illi adimunt; alii per *sublimationem*, & *rarefactionem* illud subtilius reddere autumant; item alii cum *urina puerorum*, & *aceto*

refactionem illud subtilius reddere autumant: item alii cum *urina puerorum*, & *aceto destillato*, aut *lixivio*, *sulphur* sæpius coquendo, ad albedinem perducunt: iterum alii cum *aqua calcis vivæ sulphur* tritum sæpius coquendo & despumando, segregata aliquoties calcis vivæ aquâ, aliaque superaffusâ, ad tantam puritatem, albedinem, & liquabilitatem illud perducunt, ut omni fœtore expers, instar ceræ super igne leniſſimo liquetur. Quæ purificatio, ut, ratione *calcis vivæ*, peculiares suas habet causas, de quibus alibi plura differui; ita etiam præ omnibus amplectenda.

Ut autem B. L. modos supradictos, quibus *sulphur* purificare nituntur, clarè perspiciat: ordine omnes hîc sistam. Cum *spiritu vini* taliter procedant:

Sulphur flavum liquefacito in patellâ terreâ, super igne leni, ne accendatur; liquefactum projiciatur in *spiritum vini*, à quo iterum separetur & siccetur: qui labor secundâ, tertiâ, ac quartâ vice repetatur, quousque *sulphur* omnem fœtorem in spiritum vini depoſuerit: quod, à spiritu vini segregatum, ad celebriora medicamenta conficienda asservandum.

Cum *Cera* verò tali modo procedatur: Accipiantur *Cera flava*, & *sulphuris* crudi pulv ana partes æquales: liquefiant in patellâ terreâ leniſſimo igne (cavendo tamen, ne *sulphur* accendatur) & in aquam calidam projiciantur. Sic *sulphur* à *Cera* separatur, & fundum petit, *Cerâ* supernatante, fœtore ac impuritate à sulphure plenâ. Hic tamen labor (si lubet) repetendus secundò, donec *sulphur* omnem suam in *Ceram* depoſuerit immunditiem. Et sic ad ulteriores usûs perfectum habebis.

Tandem *per sublimationem*, & quidem sæpius repetitam, vulgari Chymicorum more, plurimi *sulphur* subtilius ac purius efficere conantur (an benè, vel malè, ex sequentibus patebit) nimirum admiscendo eidem talia, quæ liquefactionem ejus impediant: inter quæ, nonnulli *Colcothar*, seu *Caput mortuum Vitrioli*; alii verò, & quidem prudentiores, *Salem communem*, vel *gemmæ*, *decrepitatum*, *sulphuri* adjungunt, & commiscent, quò minùs in actu sublimationis, levi ignis impulsu, in unam confluat massam, & liquetur, aut igne etiam concepto, *Flores* suos eructare planè recuset. Et verò sciendum, quòd inter illa, quæ sulphuri communiter, pro sublimatione, junguntur, *sal communis*, seu *gemmæ*, decrepitatus præ cœteris præstet; vel etiam *alumen probè ustum & calcinatum*. Et hæc quidem non aliam ob causam addenda veniunt, nisi ad impediendam tum promptam sulphuris liquationem, tum pronam etiam inflammabilitatem; non verò, quòd singulares, ab adjectis, virtutes sibi associare necessum habeat. Quamvis non negarim, plus virtutis ab uno, quàm ab alio, horum admiscendorum *sulphuri* accedere posse: vel saltem, quò feliciùs sublimatio à rebus magis congruis admiscendis succedat, ac major copia florum juxta admiscendorum homogeneitatem accedat. Totus hujus rei, seu sublimatio-

mationis, cardo in eo vertitur, ut tale quid *sulphuri*, pro ejus sublimatione, adjungamus, quod illi de virtutibus suis, ac energia, ne quicquam detrahere, vel etiam ex parte destruere valeat: nec etiam tale subjectum, in quod *sulphur* ipsum, suo nimirum spiritu acido, agere, adeoque vi adjecti dissipari, aud in aliud aliquid transmutari possit; quò minùs consequenter *Flores* eleventur.

Verùm enim verò, quæ de sublimatione *sulphuris* in genere, quibuscunque etiam additamentis, & quàm artificiosè illa fiat; habenda sint, ingenuè aperjam.

Communiter, & juxta opinionem etiam Clarissimorum Virorum, ac Chymicorum, *Flores Sulphuris* plerunque crudo ac vulgari *sulphuri* in Medicina anteponuntur, & pro *sulphure*, à terrestribus suis recrementis purgato, unanimi consensu proclamantur. His tamen non obstantibus, si rem exactiùs pensitemus; negandum non est, quin haud pauca *sulphuri*, in ejus sublimatione, quanta illa sit, decedant, ac in residuo maneant, saleque suo, veluti nativo maximâ ex parte privetur: ut in eam facilè descenderim sententiam (salvo tamen aliorum rectiùs sentientium judicio) *sulphur crudum* & *purum*, &, si in promptu sit, & haberi possit, *nativum*, transparens, & purissimum, majoris fore efficaciæ ac energiæ, pro aliis etiam salubrioribus medicamentis ex eo conficiendis, quàm sint ipsi *Flores*, multoties repetitâ sublimatione elevati. Sic Antiquitas & Primores nostri, ut & nunc Calones aç plebecula, majores, profectò, in *sulphure crudo* experti sunt, & indies experiuntur, virtutes, quàm in ipsis *Floribus* obviæ deprehenduntur: & hoc quidem ob causas jam prædictas, privationem scilicet rerum non inutilium, quæ natura provida *sulphuri* inplantavit; &, citra virium ejus jacturam, omninò separari nequeunt.

Porrò disquirendum est: quòd si *sulphur* omninò sit sublimandum; quænam, pro ejus sublimatione, legitimè addenda, quò minùs *Sulphur* ipsum labefactetur, & ab indole sua deflectat, aut peregrinas ab admixtis induat contrahatque qualitates.

Clarissimus *Quercetanus*, *Schröderus*, ac plures alii, Chymiam professi, *sulphuri*, pro sublimatione, frequenter *Colcothar*, seu *Caput mortuum Vitrioli*, addere consuevêre: an benè, vel perperam, ex fundamento disquirendum est.

Colcothar, seu *Vitriolum calcinatum*, (meritò etiam metallum calcinatum, cujuscunque quoque generis & speciei sit, scoriis quidem maximè refertum, dixeris) si hoc verum, uti verissimum, & mechanicâ ipsâ comprobari potest, reductione nimirum vitrioli, in pristinum Esse & metallum redit. Quidni igitur *sulphur*, in ipsâ sublimatione (ubi, licet non æquè potenter, ac si accendatur, agat; suos tamen quodammodo eructat acidos spiritûs) metalla illa calcinata, & mineralia, quæ occultè in colcothare, seu vitriolo calcinato adhuc latent, aggrediatur & solvat; prout aliàs accensum sulphur metalla quædam rodere, ac dissolvere solet,

ſolet, atque ita agendo patiatur, & ex parte deſtruatur, quò minùs in altum elevari poſſit, & ſublimari? Proinde eò omninò reſpiciendum eſt, ut talia *ſulphuri* pro ſublimatione ejus admiſceamus, in quæ *ſulphur* ipſum non agere, nec reactione admixtorum pati, atque majori ex parte diſſipari & deſtrui poſſit. Et talia erunt *ſal communis*, ſeu *gemmæ*, *decrepitatus*: item *alumen probè calcinatum*, excluſo penitus capite mortuo, ſeu vitriolo calcinato: quorum ſalium nimirum admixtione, aut aluminis calcinati, plus duplo *Florum Sulphuris*, & quidem elegantiorum, nanciſcemur, quàm ſi colcothar, vel etiam ſabulum, pro ſublimatione ſulphuri fuiſſet adjectum. Quapropter ſi *ſulphur* omninò ſublimandum, ea ſtudiosè arceantur, quæ ſulphuri ac ſublimationi ejus refragari, & ne quicquam virtutis contribuere poſſunt, utpote colcothar, ſabulum &c. *Sal* verò *decrepitatus*, à cujus ſpiritibus ſulphur ipſum in viribus ſuis magis intenditur, ei potiùs admiſceatur.

Sublimatio tandem ipſa *ſulphuris* quâ ratione legitimè inſtituenda, ſylvarum accolis, ac inter nemorum receſſûs degentibus, pyrotechnitis gregariis, à quibus utplurimum Pharmacopœi hos ſibi comparant *Flores*, (quamvis conſultius foret, ut quilibet Pharmacopœus non ſolùm hos *Flores*, verùm & alia communiora medicamenta Chymica, propriis elaboraret manibus. Quæ enim peregrinâ fide ad nos deferuntur, utplurimum adulterata ſunt) notiſſima ac trita eſt: nimirum, ut in ſublimatorio, ſeu cucurbita terrea, aut vitrea, luto obducta, appoſito capitello vitreo largo, calore arenæ per gradûs aucto, perficiatur, duas circiter *ſalis decrepitati* partes uni parti *ſulphuris* commiſcendo. Alios, & plures, ſublimandi modos *Clariſſimus Schröderus*, *in ſua Pharmacop. Medico-Chymica, lib. 3. cap. 28. pag. 502. & ſeqq.* exactè deſcribit; quo locorum etiam diverſi, ac varii coloris, *Flores*, utpote *Vitriolati*, *albi*, *ſaccharati*, *benzoinati*, *myrrhati*, & *compoſiti ex variis ſpeciebus*, edocentur. E quibus L. B ſibi eligat, quæ ad ſcopum & rem ſuam eſſe arbitrabitur. Hoc tamen cavendum, ne heterogenea planè ſimplicia *ſulphuri* pro ſublimatione jungantur; à quibus nimirum *ſulphuri*, ejuſque *Floribus*, non, niſi fœtor, & coloris inelegantia, ne quicquam verò virtutis accedere poteſt: ut ſunt *ſaccharum*, *crocus*, *aloë*; quæ, & plura alia, in ſublimatione veluti comburuntur, ac in ſua principia, oleum fœtidum, ac ſpiritum talem aquoſum, tanquam entia peregrina à toto compoſito, reſolvuntur: quorum neutrum proprias rei integræ ſubſiſtentis virtutes æmulatur, ſed peregrinas & inutiles; quia impunè & illegitimè igne torquentur, quorum natura Vulcano non paret, nec ad ſimilem deſtillationem aut ſublimationem, heterogeneo ſubjecto commixta, apta nata ſunt; ſed planè contraria: ita, ut denuò *Axioma* illud tritum verificetur; *non quodlibet cuilibet aptè commiſceri; nec ex quolibet quodlibet fieri poſſe.* Conſultius proinde eſt, & magis probabile, ut,

avitâ

avitâ Majorum simplicitate contenti, *saccharum*, *crocum*, & *alia*, *Floribus sulphuris* simpliciter commiſceamus, è quorum ſimplici unione potiores in *ſulphur* redundant virtutes, quàm ipsâ ſublimatione perperam inſtitutâ. Et hæc de *ſublimatione ſulphuris*, ejusdemque *Floribus*, ut ſcriptionis operam contrahamus, ſat dicta ſunto.

Progredior ad *deſtillationem ſulphuris*, *ejusque ſpiritum*; qui & ipſe peculiarem deſtillandi normam expoſcit, diverſam ab omnibus aliis deſtillandi modis; *per Campanam* nimirum vitream, cui patina larga vitrea eſt ſubſternenda; ſupra illam autem patinam crucibulum, mediam ſuperappenſæ campanæ concavæ partem reſpiciens, collocandum; in quod *ſulphur* partim injiciendum, &, ut conflagret, accendendum; ut ſic, ardendo, ſuos eructet acidos *ſpiritûs*, qui, cùm fumus à ſulphure conflagrante, in prædicta campana, (tempore ut plurimum humido ac pluvioſo) in liquorem, ſeu ſeu ſpiritum ponderoſum, & acerrimum, ſeſe reſolvit, in ſubjectam vitream patinam vel concham, in cujus medio crucibulum, ſed parumper in altum, cum ſulphure flagrante, collocatum, paulatim ſtillat; ſed exigua in copiâ, ita, ut ex libra unâ ſulphuris vix uncia, aut uncia cum dimidia, ut ut artificioſè operatus fueris, reſtet ſpiritûs. Quorſum verò migrarint reliquæ ſulphuris partes inregrantes & ſubſtantificæ, unciâ tantùm unâ ejus ſpiritûs ſuperſtite, (cum paucis & exiguis recrementis vel cineribus; è quibus, ſi magna copia colligatur, parum ſalis ſulphuris eſixiviatur) non ita planum eſt; neque ex aëre, quo neceſſariò translatæ, tanquam igneæ particulæ, revocare eas licet. Tentarunt quidem plurimi ſagaciores ingenii Chymici alios ejusdem *ſpiritûs deſtillandi* modos (quorum nonnullos *Clariſſimus* etiam *Schröderus*, *loco ſuprà citato*, deſcripſit) omnibusque viribus eò laborarunt, quò omnes *ſulphuris* ſpiritûs ſubtiliores, qui in deſtillatione *per Campanam* maxima ex parte in auras volant & abeunt, conſervarent ſtrictiùs: verùm multi fruſtra adhuc ſuam impenderunt operam; cùm & mihi res ſæpe irrita ceſſerit. Poſteritati igitur artium cultura, ac ulterior rerum inventio, relinquenda eſt.

Cæterùm quæ de *naturâ*, *virtutibus*, & *encomiis*, *rectoque utendi modo*, & quæ plura, circa uſum hujus ſpiritûs notatu digna, eſſent afferenda; illa Clariſſimus & Doctiſſimus *Quercetanus*; *in ſua Pharmacop. cap. 16. & 17.* ubi de ſpirituum acidorum præſtantia ex profeſſo tractat, quæſtionibus pro & contra ventilatis juxta ac dilutis, utrum ſpiritûs acidi, è mineralibus profecti, præſtent iis, qui ex vegetabilibus habentur, fundamentaliter ac fideliter explicat. Quò illos, qui ſpiritûs omnes minerales acidos allatrant, & tanquam ſummè corroſivos, ac inſalubres damnant, ut magis erudiantur, amandavero: at è quibus addiſcent, falſum eſſe, quòd ſumpti hi ſpiritûs intra corpus ventriculum & inteſtina, juxta ridiculas eorum aſſertiones, terebrare, ac homines tandem ad Cymbam Acherontis deducere valeant.

Nunc de quibusdam aliis, ex *Sulphure* parandis, medicamentis salubrioribus tractaturo, primum se sistit

BALSAMUM SULPHURIS.

QUod ut debitè conficiatur, *in præfatis n. Animadv.* luculennter edoctum est; nimirum, ut *Sulphur* beneficio *salis tartari*, referetur, & in massam obscurè rubentem, *Hepar Sulphuris* dictum, convertatur: ex quâ massâ postea, quocunque oleo spirituoso destillato, e. g. Terebinthinæ, juniperi, succini, anisi, citri, abietis, vel terebinthinæ flavæ balsamicæ, per retortam stillatæ (pro balsamo Vulnerario) imò etiam unctuoso aliquo expresso, *Sulphuris Essentia, Tinctura*, ac energia tota calore leniissimo elicitur, ac prænominatis oleis quibuscunque imprimitur; tanquam menstruis analogis & homogeneis.

Virtutes Balsami Sulphuris pectus & pulmones utplurimum respiciunt: anhelosis, purulentæ exspuentibus, & phtisicis amicè dicatur; quamvis & vulneribus externis abstergendis, à putredine conservandis, & conglutinandis præsens sit Balsamum. Circumforanei verò, & Agyrtæ, qui uni medicamento sexcentas adscribunt virtutes, turpi saltem lucro inhiantes & dediti, quod uno, non pluribus, instructi sint medicamentis, aut balsamo hoc, ejus virtutes satis decantare, & vel contra omnem morborum sentinam divendere, non erubescunt. Prudens verò Medicus norit, quid de immensis virtutibus, quas suis attribuunt Medicamentis illi, sentiendum sit. Miserrima verò plebs, facilè fidem blateronibus, & agyrtis adhibens, facillimè etiam fallitur, sanitatis & vitæ detrimento. Hujus autem mali aut excessûs origo ampla sunt agyrtarum Privilegia, subreptitio modo à Magistratibus vel Principibus acquisita. Optandum proinde foret, ut se hisce impostoribus severiores ac rigidiores exhiberent impostorum, in largiendis similibus privilegiis, ne tantopere toti mundo, miserrimæ præsertim plebi, imponeretur, cum magnâ fortunarum & æris jacturâ. Eò enim nunc perventum est, ut quævis fæx hominum, miles, anus, Lippus ac Tonsor Medicinam faciat; illisque fas sit, impunè occidere; ac ob id etiam Ars Medica omnium nobilissima ac difficillima, ad quam addiscendam non unius hominis ætas, ac vita sufficit, vulgi ludibrio exponatur, & vel dolosa proclamatur. Obiter hæc dicta sufficiant, ad *Lac Sulphuris* transituro.

LAC SULPHURIS.

LAC appellatur à calore, quem in præparatione & præcipitatione suâ præ se fert, dum solutio *Sulphuris*, cum sale Tartari, vel etiam cum calce vivâ, & aquâ simplici, facta, aceto infuso præcipitatur; in quâ præcipitatione *solutio Sulphuris lactescit*, & pulvis albicans fundum petit, qui *Lac Sulphuris* appellari consuevit. Ejus parandi modum, qui brevitor hîc descriptus extat,

Cla-

Clariſſ. *Schröderus*, *Quercetanus*, & alii diverſimodè depingunt, Tironibus aliàs Pharmacevticis notiſſimus. Verùm quidnam de hoc *Lacte*, aut *Præcipitato Sulphure*, ſentiendum ſit, ex fundamento eruendum eſt.

Neminem nunc latere puto, quemadmodum *in præmiſſis n. Animadverſ.* ſufficienter demonſtratum eſt, quòd vulgaria Chymicorum *Magiſteria*, utpote *Perlarum*, *Coralliorum*, *Oculorum Cancrorum*, *Matris Perlarum*, *aliarumque Gemmarum*; item *Cornu Cervi*, *ungulæ Alcis*, & his ſimilium, contrarietate heterogeneorum liquorum ex ſolutione præcipitata, calces ſint inutiles, mortuæ planæ & effœtæ, nullâ arte, neque etiam fortiſſimo ac corroſivo ſpiritu, ampliùs reſolubiles. Cujus rei veritatem ipſa evincit experientia, & evidentiſſimè in *Magiſteriis Oſſium*, nimirum *Cornu Cervi*, *& Alcis ungulæ* palam fit; quippe quæ adeò uſta ſunt, in ſua nimirum præparatione, ac confuſione contrariorum liquorum ſolventium & præcipitantium, ut uſto *cornu Cervino*, in furno figuli calcinato (quod ipſum etiam cunctis ſuis virtutibus, *ſale* nempe ſuo *volatili*, *Oleo*, & aquâ fœtidâ expulſis, privatum eſt) in omnibus ſimillima ſint, & mortuæ calces; è quibus, neque extremâ ignis torturâ quidquam extorqueri, neque denuò aceto, ſpiritu nitri, aut aliis corroſivis aquis & ſpiritibus, diſſolvi poſſunt. Cùm igitur *Lac Sulphuris*, de quo nobis ex inſtituto nunc ſermo eſt, eandem ſubeat præparationem & præcipitationem: parum aliter de hoc etiam ſentiendum; ſed eidem judicio ſubmittendum eſt. Nam quamvis *ſulphur* per appropriata ſibi, & homogenea veluti, menſtrua, ſalem tartari, aut calcem etiam vivam, beneficio aquæ ſimplicis, legitimè quidem ſolvatur, & ſic ſolutum *ſulphur* haud exiguos effectûs medicinales edere poſſit: contrario tamen liquore idipſum denuò præcipitatum, pro maximâ etiam ſui parte deſtruitur, ut vix tertia ejus pars viribus ſalva conſtet, ac virtutes & operationes *ſulphuris* proprias edere poſſit; reliquæ verò duæ *Lactis ſulphuris* partes *calx* ſint emortua & inutilis, in igne conſtans, indiſſolubilis, omni proprietate *ſulphuris* orbata. Periculum is ipſe faciat, qui fidem laboribus noſtris non adhibere velit. In momento enim veritatem videbit, ſi *Lac* hoc Vulcano ſimpliciter, aut etiam ſublimationi, tradiderit. Non proinde hæc loquor, ac ſi omnes omninò virtutes huic *Lacti* derogare velim. Hoc ſaltem inferre volo, quod vel *crudum Sulphur*, vel ipſius *Flores legitimè ſublimati*, longè majoribus virtutibus polleant, quàm hoc ipſum *Lac Sulphuris*, tanto labore, ac non exiguis expenſis comparatum. E quibus nihilominus palam fit, quàm incauti ſæpè hallucinemur, in nimis artificioſis noſtris medicamentorum præparationibus; quibus ſimplicia in virtutibus ſuis potiùs caſtrantur & diminuuntur, quàm ut ſubtiliora aut efficaciora illa reddantur. Sed infers fortè à poſteriori: nimirum effectu, & experientiâ ipsâ, conſtare, quàm evidenter *Lac ſulphuris*, tuſſientibus ac phthiſicis profuerit, virtutibus *Sulphuris* conſpicuum. Quod oppoſi-

tum ex ſupra dictis partim conceſſerim; partim verò negârim. Nam pro exiguâ *ſulphuris* indeſtructi parte reſiduâ in *Lacte* hoc ſaltem aliquid virtutis poſſidebit: pro maximâ autem ſui parte inefficax, & planè effœtum, eſſe medicamentum, omninò aſſero, ipsâque experientiâ probo. Etenim diuturnâ Praxi edoctus ſum, exiguam huic præcipitato Pulveri, aut *Lacti*, ineſſe vim ac energiam: quam multò efficaciorem vel à *ſulphure crudo*, vel ejusdem *floribus*, quotidiè experimur. Nec mihi, ſpectatori diligenti, & arbitro, conſtat, magnum quid unquam vel ſolo hoc *Lacte* præſtitum, vel quempiam à morbis pectoris gravioribus fuiſſe liberatum. Incredulus ſum, nunquam ſubſcripturus Veterum traditionibus, ſi recta ratio, experientiâ confirmata, aliud ſuadeat, & refragetur. Juret, per me licet, in verba Magiſtri, proſtituto pectore, qui volet: Ego è contra naturæ auſculto, ejusque ductum ſequor. Recordentur tamen hâc occaſione eorum, quæ ſuperiùs paulò, de *purificatione ſulphuris*, cum aqua calcis vivæ peragendâ, indigitavi; & quòd, ſolutionem *ſulphuris*, cum aqua calcis vivæ peragendâ, indigitavi; & quòd, ſolutionem *ſulphuris* non inconſultè cum calce viva inſtituendam fore, ſtatuerim: quatenus nimirum *ſulphur crudum* & *tritum*, vel ejusdem *flores*, additâ duplâ, vel triplâ, quantitate calcis vivæ, coquendo cum aquâ ſimplici, repetitis vicibus affusâ & decantatâ, quousque rubedo in decoctione appareat, legitimè quippe ſolvatur, & ejus eſſentia extrahatur. Ex hoc etenim fundamento Balnea ſulphurea, aquis Thermalibus, ſeu Thermis ſulphureis, virtute & operatione ſimillima, confici poſſunt: ſi ſolutioni huic *ſulphuris*, factæ cum calce vivâ, & aq. ſimpl. ſ. q. affusâ, nullus contrarius liquor præcipitans ac heterogeneus, qui ſulphuris eſſentiam, aut ipſum ſulphur ſolutum, deſtruat, & omnibus ſuis virtutibus privet & præcipitet, ſed aqua ſaltem ſimplex, vel decoctum aliquod ex herbis balſamicis, ac radicibus, aliisvé roborantibus aut reſolventibus ſpeciebus, largiter ſuperinfundatur. *Præſtant* autem *hæc balnea ſulphurea*, uti experientia ipſa teſtatur, ac edocuit, in *Calculo Renum*, *Podagra*, *doloribus Arthriticis* (præſertim ſi ſolutio ſulphuris cum ſale Tartari facta fuerit) *Colicæ paſſione*: (corpore benè purgato) *membra contracta & debilitata roborant*, *ulcera ſordida antiqua mundificant*, *& ſiccant*: *ſcabiem ſædam tollunt*, *aliaque cutis vitia abigunt*: *internis nec non obſtructionibus viſcerum reſerandis emolumento ſunt*; *externo nimirum fotu*. Opportuna balnea hæc inſtituenda erunt in Regionibus, quæ Thermis naturalibus aliàs deſtitutæ: pergrata & proficua inſuper hominibus, quorum res domi anguſta habetur: ne Thermas longè remotas frequentare neceſſum habeant. His igitur, B. L. utere, cum ſucceſſu in multis.

TINCTU-

TINCTURA SULPHURIS TARTARISATA.

PAretur inprimis *Hepar Sulphuris*, ex una parte *Sulphuris crudi*, aut *Florum* ejusdem, & ana, seu duabus partibus, (si lubet) *Salis Tartari puri*, leniter simul liquando in patellâ terreâ, cavendoque, ne flammam sulphur concipiat. Ex hoc *Hepate*, vel massâ in pulverem redactâ, extrahatur, beneficio spiritûs vini rectificati, repetitis vicibus affusi, *Sulphuris rubedo & Essentia*; quæ, peractâ extractione, à copia spiritûs vini per abstractionem in M. B. liberanda, ac usui Medico asservanda est. *Præstat in morbis contagiosis, ac peste ipsâ, à quâ præservat: obstructiones viscerum naturalium reserat, ac morbis etiam pectoris medetur.*

Nota: Clariss. *Agricola*, in suo, de *Sulphure*, *Tractat. pag. 397.* eandem *Essentiam* in *Oleum* tandem, seu *Liquorem rubicundum*, per retortam destillare docet: cui haud exiguas virtutes adscribit, *Pag.* item *361.* aliam ex *Sulphure* cum *spiritu Vitrioli fixato*, *Essentiam* haud spernendam habet. Quæ cuncta, & plura alia, de *Sulphure*, exinde petenda sunt.

OLEUM SULPHURIS RULANDI VERUM.

℞. Olei Rosacei libras duas,
Terebinthinæ still.
Pulv. Sulphuris Citrini pellucidi, ana uncias tres.

Coquantur in arena, vitreoque in vase, ad saturatam rubedinem.

Nota: Commodius & præstantius parabitur *Oleum* hoc, sine fœtore, quem aliàs præ se fert, juxta Authoris mentem. diuturnâ coctura paratum; si *Sulphuri*, in patellâ terreâ leniter liquato (ne flammam concipiat) *Sal Tartari*, pondere competente, vel æquali, prius immiscentur, ac *Hepar*, seu massa obscurè rubens ex ambobus efficiatur; è qua facilè, oleis supradictis affusis, sulphuris rubedo, & *Essentia*, leni calore, sine coctione aut ebullitione, adeoque sine fœtore, elicitur; præstantius, ac si diuturnâ coctura fuisset paratum.

Valet autem, juxta Autographum Authoris, *in cancro*, *fistulis*, *ulceribus antiquis*, *sordidis & incurabilibus*. Ex hoc *Oleo Emplastrum dia Sulphuris* Rulandi *conficitur*: cujus descriptio vera alibi patebit.

Et hæc quoque, de *Sulphure*, perpauca huic Mantissæ inserenda erant: in quibus non tàm varietas processuum, qui alibi ad nauseam usque leguntur, quàm alia, circa sulphurea medicamenta observatu scituque digna & necessaria, descripta sunt, quæ L. B. boni consulat.

CAPUT XI.

DE

SAL-NITRO,

VEL

SALE NITRI.

SAL-Nitrum occultâ proprietate cum Sulphure inimicitiæ dissidia exercet; eorumque vis unita tanta eſt, ut horrendæ tempeſtates, ac Urbium, Montiumque ſubverſiones, iis adſcribi meritò poſſint. Hoc, inquam, *Nitrum* Sal Terræ eſt, ſed φλογιστὸν, ex terris pinguibus exortum. Igni immediatè injectum, in ignem veluti converſum, totum avolat; ſi purum: ſin minùs, & aliquid in reſiduo remanſerit; tantum de ſale communi, aut alumine, participabit. Dicitur autem *ſal Petræ*, propriè autem *ſal Terræ* magis dici meretur, quum ex terrâ immediatè decoquatur. De generatione hujus, & modo fiendi, naturâ & proprietatibus, item præſtantiâ, conſulantur doctiſſimi Viri: Quercetanus, *in ſua Pharmac. Spagyr. pag. 578. & ſeqq.* Schröderus, *in Pharmac. ſua Medico-Chymica, lib. 3. cap. 23. pag. 471.* Doctiſſ. nec non Philoſ. Kircherus, *Tom. 1. Mundi ſui ſubterr. lib. 6. ſect. 2. cap. 3.* de Sal-Nitri generatione, naturâ, viribus præpotentibus, diſertè & fundamentaliter diſcurrit. Quæ cuncta pro majori rerum naturalium intelligentia & ſcrutinio, L. B. revolvere & conſulere poteſt. Mea quantum, de hoc admirabili ſale, exigua fert ſententia, aſſerere audeo, *Sal-Nitrum eſſe* ſalem ſui generis, à principio mundi, vi verbi divini, FIAT, terræ implantatum; medium inter volatilem & fixum: non fixum planè, quoniam, igni immediatè inſperſus, avolat, & cum ſtrepitu veluti diffugit: nec volatilem verè, quia igni, mediante crucibulo; admiſſus, ſat diu, ac incorruptè in illo perſiſtit & liquatur: ſal neque ſalſus totus, neque omninò acidus eſt; ſed acido-ſalſus; neuter inter utrumque. Ex terra quidem elixiviatur, ſed aëreus eſt, igneuſque guſtu, ſi igne in crucibulo crematveris, percipitur: aëreum verè dixeris, quia faciliè auras petit, igni immediatè injectus: & quòd ex aëre ſimilis verè ſal colligatur, rebus nimirum extremè ſiccis ex calcinatione, & ſitibundis, ſeſe inſinuando, easque veluti impræ gnando. Igneum verò appelles, quòd igneas edat operationes, non ſolùm in laboribus Chymicis, & Cerberus appelletur; ſed, teſte Doctiſſimo *Kirchero*, omnium commotionum, meteorologicarumque impreſſionum, igne arrepto, tum in ſubterra-

terraneis, tum supra in aëreæ regionis districtibus, causa sit. Quemadmodum spiritûs nitrosi, uti subtilissimi sunt, & facillimè terræ poros transpirant; ita in aëris subvecti sublimia, ignearum impressionum effectûs causant: vel, si iis, ob firma subterrestrium partium obstacula, penetrare non liceat; tum exitum sibi, ruptis montium repagulis, vi & necessitatis jure, quærunt. In corpore autem humano frigidas ut plurimum edit operationes, calorem scilicet fugando, vel alliciendo. Eruitur ex terra pingui, ab aëre & astris imprægnatâ. Et, licet copiosius ex stabulis jumentorum, ovium præsertim, eliciatur; terra tamen, propriè ejus matrix, salsedinem urinosam jumentorum sibi (scilicet Nitro) similem reddit, vi fermenti sui proprii nitrosi, terræ insiti: quia neque volatilis, neque fixus, sal urinæ Nitro æqualis est, nec, ex utroque mixtus, Nitro correspondet: adeoq; propriè saltem terræ ipsum statuas; cùm etiam ex terra sola; sed adæquatâ, nullis tamen jumentorum urinis imprægnatâ, eliciatur. Quemadmodum, teste prænominato Doctiss. *Kirchero*, quarundam regionum terra, & aqua etiam fluminum, tàm copiosè abundant *Nitro*, ut veluti sponte illud erumpat, & in superficie terræ ac fluminum rivis copiosè veluti efflorescat. Et hæc de *Nitri* Genealogia. Pleniorem verò de illo informationem; & quomodo differat à *sale communi* & *Alumine*; quodnam eorum præstet; ejus probæ; de variis, in arte Pyrobolicâ, usibus; & plura alia, præfatus Rev. *Kircherus*, locis supra citatis eruditissimè explanat. Quò etiam L. B. ablegatum volo. Nunc verò stat firma sententia, quædam etiam salutaria ex *Nitro* conficienda Medicamina proferre, & communicare.

NITRI PURIFICATIO.

PRima *Nitri purificatio* in humido perficitur, repetitâ solutione, filtratione, & crystallisatione. Solvitur in aqua communi, vel pluviali destillatâ, vel etiam in aquâ aliquâ aliâ stillatâ refrigerante, & odore fragrante: utpote, Rosarum, Liliorum convallium, Sambuci, Chelidoniæ, &c. iisque sine additione, n. m. stillatis. Ubi tamen notandum venit, quòd, si cum prædictis aquis stillatis *Nitrum* sit solvendum, per filtrum purificandum, & aliquali aquositatis exhalatione denuò crystallisandum; nec major copia earundem aquarum affundenda sit, quàm ad solam *Nitri* dissolutionem, & quidem in calore leni peragendam, sufficiat; ne fragrantia, & magis spirituosæ aquarum partes, in diuturnâ coctione, aut earum abstractione, exhalent, sed potiùs cum *Nitro* ex parte unitæ maneant, illudque in virtutibus suis nobilitent, & intendant. Altera *Nitri purificatio* in sicco, & igne ipso, perficitur, beneficio *sulphuris*, Nitro in crucibulo super igne liquato, & ebullienti, particulatim & per vices injecti; nimirum: *Nitrum commune*, sed *purum*, immittatur crucibulo terreo, igniq́ue moderato, in fornacula venti, admoveatur, ut per se liquefiat, &, instar aquæ, in crucibulo fluat; cui injiciantur sæpius, ac repetitis vicibus, particulæ, seu frustula

ſtula ſulphuris crudi ſeu vulgaris, ut conflagrent: hinc inde in ſuperficie *Nitri* liquari oberrantes fæces Nitri, partim diſſipantes, partim præcipitantes. Dum verò hæc fiunt, exploretur ſæpius ferreâ rudiculâ, aut cochleari; num *Nitrum* ad perfectam purificationem ſit perductum: quod habito ſigno, effundatur paulatim in tabulas. *Nitrum* hoc *ſicco modo, & igne purificatum, Lapis Prunellæ, ſal Prunellæ, Nitrum Tabulatum, ſeu Præparatum, à Medicis & Chirurgis appellari conſuevit;* Officinis uſitatiſſimum: igneum verò & magis mordax, quàm illud, quod repetitis ſolutionibus & cryſtalliſationibus clarificatum. Et quamvis ignea illa mordacitas, in hoc, tali modo parato, Nitro conſpicua, ipsâ ſaltem præparatione illi ſit impreſſa, & acceſſione aquarum ſolventium pereat & annihiletur: conſultius tamen fore arbitror, ut, ſi ad uſum Medicum, præſertim internum, *Nitrum* deſtinatur; illud potiùs, quod repetitis ſolutionibus & clarificationibus per filtrum purificatum, huic, in igne, & per ignem, in ſiccitate mundato Nitro, aut Lapidi Prunellæ, præferatur.

NITRI ESSENTIFICATIO.

Nitrum Salinæ eſt ſubſtantiæ, in quibuscunque liquoribus, aquoſis, vinoſis, ſuccis expreſſis, & decoctis vegetabilium reſolubile; liquabile porrò in igne: ita ut ſubjectum ſit inſtar ceræ, cui variæ figuræ & aſteriſmi, cùm in ſicca igneâ illa eliquatione, tùm in humidâ ſua ac aqueâ ſolutione, imprimi poſſunt. Ut autem palam fiat, quibus modis utraque *Nitri Eſſentificatio*, cùm in humido, tùm ſicco, inſtituenda; id modi ſubſequentes indigitabunt.

NITRUM cum ACETOSELLA ESSENTIFICATUM.

SOlvatur *Nitri* purificati & Tabulati libra una, in ſucci Acetoſellæ probè depurati libris quinque vel ſex: ſolutio leniter exhalet in vaſe vitreo, ad cuticulam; reſiduum in frigidum locum collocetur ad cryſtalliſandum. Cryſtallis ſeparatis, remanens liquor porrò parumper exhalet & cryſtallizetur. Hoc toties repetendum, donec totum *Nitrum*, cum ſucco Acetoſellæ in cryſtallos redactum, aut ſolâ liquoris exhalatione in ſalinam conſiſtentiam & ſiccitatem converſum ſit. Hoc ſemel *inſuccatum Nitrum*, ſi porrò cum recenti ſucco Acetoſellæ ſolvere, & ſupradicto modo cryſtalliſare, aut ſolâ exhalatione aquoſitatis ad ſalinam ſiccitatem reducere volueris, efficacius illud certò effeceris. *Præſtat in Febribus ardentibus & Tertianis, phlogoſin viſcerum naturalium, tùm & cordis, contemperat, & à putredine præſervat: in morbis quibuscunque calidis opportunè exhibendum.*

NITRUM ROSATUM.

℞. Rosarum rubearum recentium, tempore vernali & æstivo, uncias XII.

vel

Rosar. rubear. siccat. tempore hyberno, uncias quinque vel sex;

quibus incisis, & vasi vitreato, seu stanneo, immissis superaffundatur Aquæ ferventis libræ circiter sex, vel octo,

Succi Citri, seu Limon. recenter expressi, libra semis.

Factâ maceratione, colentur & filtrentur: in colatâ hâc, & filtratâ seu clarificatâ Rosarum tinctura dissolve

Nitri purissimi, cum sulphure in igne purificati, libram unam:

filtrentur denuò; ac per lenem exhalationem, seu repetitam abstractionem aquositatis, in cucurbita vitrea, *Nitrum* crystallizetur, aut, leniter abstrahendo omnem aquositatem, in siccam salinam consistentiam reducatur. Hoc semel *insuccatum Nitrum rosatum*, eâdem operâ, quâ antea (si ita volupe fuerit,) recenti Tinctura Rosarum, pro majori virtutum impressione, insuccari poterit.

Præstat in morbis calidis, viscerum naturalium æstubus, hepatis, faucium, & tonsillarum inflammationibus, & dysenteriæ, seu diarrhœæ, etiam malignæ, opitulatur.

NITRUM cum PAPAVERE ERRATICO INSUCCATUM.

Flat Infusio fortis Florum Papaveris Rhœados, beneficio Aquæ simpl. ferventis, ad libras circiter quinque: quâ solvatur

Nitri purissimi libra una:

ac, uti suprà ostensum, repetitâ & leni exhalatione humiditatis, in alembico vitreo, crystallisetur: &, si lubet, idem labor, recenti Tincturâ solvendo & crystallisando hoc jam semel insuccatum Nitrum, repetatur.

Efficax est hoc Nitrum in compescendis inflammationibus internis, hæmorrhagiis quibuscunque, pleuritide, peripneumonia: medetur & aliis morbis calidis, ab intemperie viscerum naturalium calidâ obortis: in febribus item tertianis, & ardentibus, auxilio est.

NITRUM VIOLATUM.

Paretur ad eandem normam, quâ etiam præcedens Rosatum, vel illud, cum Papavere Erratico insuccatum Nitrum: cum sorti nimirum, & repetitâ Violarum Martialium infusione; additis nonnullis unciis succi Limoniorum.

NITRUM cum SCORDIO INSUCCATUM.

Parabitur ad eandem normam, quâ Sal Nitri, cum Acetosella impræg-natum, & hoc commodè ac dextrè,

cum ſucco Scordii recenter expreſſo & depurato. *Efficax* autem *eſt in morbis ac febribus malignis, Hungaricis: quin & in peſte ipſa haud exiguo eſt emolumento.*

NITRUM ALEXIPHARMACUM COMPOSITUM.

℞. Radic. Scorzoneræ uncias tres,
Imperatoriæ,
Enulæ campanæ,
Contrajervæ,
Zedoariæ, ana uncias duas,
Herb. rec. Galegæ,
Scordii,
Rutæ,
Centaur. min. ana uncias quatuor,
Cortic. Arantiorum,
Citri, ana recent. & extim. unciam unam ſemis.

Ex omnibus inciſis fiat Decoctum forte, cum ſ. q. ſimpl. Aq. repetitis vicibus affuſæ & colatæ, quousque tota virtus & efficacia ſpecierum ſupradictarum, repetitâ coctione, extracta ſit. Colaturæ & decoctiones omnes conjunctæ albuminibus ovorum probè clarificentur. Cum hoc decocto clarificato ſolvatur

Nitri puriſſimi libra una, vel libra una ſemis,

ac per repetitam exhalationem aquoſitatis denuò cryſtallifetur, aut ad priſtinam ſalinam conſiſtentiam & ſiccitatem reducatur, viâ ac modo ſuperiùs oſtenſo; & *valebit in morbis ac febribus malignis exæſtuantibus, vehiculis appropriatis immixtum.*

NITRUM CATHARTICUM.

℞. Fol. Senæ ſine ſtipit. elect.
Rad. Aſari, ana uncias tres,
Hellebori nigri uncias duas ſemis.
Mechocannæ albæ uncias duas,
Cremoris Tartar. unciam unam.

Inciſa, coquantur repetitis vicibus cum ſuff. quantit. Aq. ſimpl. ad totalem virtutum extractionem; colaturæ omnes & junctim cum albumine ovorum optimè clarificentur; quo cum decocto ſolvatur

Nitri puriſſimi libra una:

& denuò, abſtractione repetitâ ſuperfluæ humiditatis, cryſtallifetur, aut in ſalinam planè & ſiccam conſiſtentiam reducatur. *Laxatur alvum, penetrat corpus; vim calidam infringendo.*

NITRUM MARTIALE APERITIVUM.

℞. Nitri puriſſimi Roſati, cum recent. Roſ. parati, uncias ſex,
Vitrioli Martis, legitimè cum ſpiritu vitrioli parati, uncias duas.

Mixta, ſolvantur in
Succi Endiviæ,
Cichorii ſylveſtr. ana depurat. ſ. q.

& vel

& vel abstractione repetitâ denuò crystalliſetur, vel exhalatione totius humiditatis in ſalinam conſiſtentiam ſubdulcem reducatur. *Prodeſt hepati excalefacto, & debilitato; ejusq; obſtructiones reſerat & confortat.*

NITRUM ANTIMONIATUM.

℞. Flor. Antimonii alb. dextrè parat. unciam unam,
Cremor. Tartari uncias duas.

Mixta, coquantur in ollâ terreâ, ſeu etiam ſartagine ferreâ, cum Aqua ſimpl. repetitis vicibus, recenti ſemper aquâ affusâ, & decantatâ, quousque tota virtus & efficacia è floribus extracta ſit: cum decoctionibus depuratis & filtratis ſolvantur

Nitri puriſſimi unciæ quatuor;

& leni abſtractione ſuperfluæ humiditatis in priſtinam ſalinam ſubſtantiam reducantur, aut pedetentim, (ut ſuprà edoctum,) crystalliſentur.

Purgat per ſuperiora & inferiora leniter: quemadmodum præſtantius non eſt Antimonii corrigens, quàm ipſum Nitrum. *Datur à ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis, & drachmam unam, in grato vehiculo diſſolutum.*

NITRUM ANTIMONIATUM ALIUD.

℞. Nitri puriſſimi uncias ſex.

Liquetur in crucibulo ſuper igne leni: cui pedetentim & per vices injiciantur

Vitri Antimonii, ſine addit. parati, ſeu

Flor. Antimonii alb. unciæ duæ:

quæ probè unita, & liquata, ut in unam coëant maſſam, effundantur in mortarium æneum; maſſa refrigerata teratur in pulverem, & cum ſ. q. Aquæ ſimpl. ſolvatur, filtretur, & denuò abſtrahendo aquam, in crystallinam compagem Nitrum elixiviatum reducatur, relicto Antimonio in reſiduo, ſolâ ejus virtute Nitro communicatâ. *Vires ex ſuperiori patebunt.*

NITRUM PERLATUM.

℞. Salis Prunellæ, ſeu Nitri purificati, uncias tres,
Magiſter. ſolubilis Perlar. Orient. unciam unam.

Solvantur ſingula ſeorſim in ſ. q. Aquæ Roſar. fragrantiſſ. binæ ſolutiones jungantur, ac in alembico vitreo ad ſalinam conſiſtentiam abſtrahantur. *Præſtat in morbis calidis, & febribus ardentibus, ubi debilitas virium conjuncta eſt.*

Nota: Eodem planè modo & *Nitrum Corallatum* parari poterit.

ANODINUM MINERALE, ſeu NITRUM FIXUM.

IN præparatione *Antimonii Diaphoretici*, trinâ ejus detonatione (uti Chymici loquuntur) ſeu calcinatione, eluitur tandem in ipſa Antimon. Diaphoret. edulcoratione *ſal Nitrum fixatum*,

tum, quod *Anodinum minerale* vocant. Hoc *efficax* pariter *est in febribus ardentibus atque malignis.*

NITRUM FIXATUM.

EJus præparationem Doctiſſ. P. Kircherus, *in Mundo ſuo ſubterraneo, Tom. 2. lib. 12. ſect. 5. part. 1. cap. 6. experim. 5. pag. 432.* exactè deſcribit: accipiendo nimirum *Nitri* libram unam; illamque liquefaciendo in crucibulo, igne moderato, & paulatim ei *Flores ſulphuris* injiciendo, donec ſulphur non amplius accendatur. Hinc ab igne remotum *Nitrum*, ſolutione, filtratione, & cryſtalliſatione purificandum, uſuique aſſervandum eſt.

FLORES NITRI.

Nitrum in *Flores* cogendi ſingularem deſcribit modum idem Doctiſſ. Kircherus, *Tom. 1. lib. 6. ſect. 2. cap. 3. pag. 309.* quem inde B. L. deſumat.

NITRUM CACHECTICUM CHALYBEATUM.

HOc etiam deſcribit Clariſſ. Schröderus, *loco paulò ſuprà citato, pag. 475.* Melioris autem informationis gratiâ, addo modum ſequentem:

℞. Salis Pruneſſæ, ſeu Nitri, uncias tres ſemis,
Vitrioli Martis uncias duas,
Salis, ſeu Arcani duplicati ſequentis, uncias duas ſemis:

terantur ſubtiliſſimè, & immittantur cucurbitæ vitreæ: hinc in arenâ, calore per gradûs auctо, aliquandiu calcinentur ad rubedinem, dando ignem ultimò paulò fortiorem, ut liquentur in maſſam. Fracto denique vitro, eximatur, cùm refrixerint omnia, *Lapis rubicundus*, & aſſervetur pro uſu Medico. Vires hujus, ac uſus, *ibidem*, patebunt.

ARCANUM DUPLICATUM HOLSAT. ANTIFEBRILE.

HOc medicamentum, ſeu *Sal Antifebrilis*, ex capite mortuo Aquæ fortis extractus, *Salem catholicum, Salem ſapientiæ*; item *Salem duplicatum*, ſeu *de duobus*, appellare conſuevêre. Illum deſcribit Mynſicht. *in ſuo Armament. Medico-Chymico, pag. 10. ſect. 1.* quem B. L. conſulat. Item Clariſſ. Schröder. *in ſua Pharmacop. Medico-Chymica. lib. 3. cap. 23. pag. 474.* talem adducit parandi modum, quem Experientiſſ. Chymiatro, Domino Joël Langelott, Ducis Holſatiæ Archiatro meritiſſimo, acceptum refert: quos L. B. *citatis locis*, videre habet.

Verùm cùm haud exiguæ difficultates circa hoc medicamentum, ejusque parandi modum, ventilandæ reſtent: idcircò illud ſub incudem rationis & judicii revocare, ſtat ſententia.

Pro *Primo* extra controverſiam eſt, quòd medicamentum hoc ex capite mortuo Aquæ fortis, ex Vitrioli & Nitri partibus æqualibus deſtillatæ, cum aquâ

aquâ saltem tepida simplici, eliciatur & elixivietur. Verùm rarò ex solo Vitriolo & Nitro, absque Alumine, aut aliis, Aqua fortis destillatur. Sed transeant hæc levia; cùm ad hoc medicamentum *Aqua* talis studio apparari possit. *Secundò*: posito; ex prædictis duobus ingredientibus tantùm, *Vitriolo* nimirum & *sale Nitri, aqua fortis* destilletur, non tamen tàm violento ignis gradu ultimò urgentur, ut omnes spiritus corrosivi Vitrioli, ejusque radicalis humiditas, cum oleo crasso corrosivo, expellantur, & caput eorum mortuum sapore vitriolato, cuperoso, omnimodè privetur; quin ipsum maximè corrosivum, & vitriolo adhuc plenum, in residuo maneat: ex quo non tantùm salina substantia, & tale medicamentum, quod desideratur, diaphoreticum aut diureticum, eliciendum, sed ipsum vitriolum indestructum, & quidem Salem vitrioli Emeticum elixiviari necessum est. *Tertiò*: sunt, qui negant (falsâ tamen opinione obcœcati) spiritum Vitrioli unà cum spiritu Nitri in destillatione Aquæ fortis prodire; sed solius Nitri spiritum esse & constituere Aquam fortem, eamque omni spiritu Vitrioli esse destitutam. Si hæc sententia firma esset & recto staret talo; prior nostra ex asse confirmaretur. Verùm moderamine opus est: nimirum; transire quidem spiritûs volatiliores Vitrioli, unà cum spiritibus Nitri, tanquam ductoribus levioribus; crassiores verò, & magis ponderosos, ac corrosivos, Vitrioli spiritûs in residuo manere, capiti ejus mortuo, ob defectum ultimò ignis violentissimi, adhuc inclusos. Quapropter cùm Vitriolum, Nitro junctum, utut Aqua fortis igne quodammodo violento destilletur, non multum tamen immutatum, peractâ destillatione, in residuo maneat, spiritibus Vitrioli saltem levioribus expulsis; sequitur infallibiliter, quod ex residuo hoc capite mortuo non pura salledo, nec purus sal, eliciatur; sed salledo vitriolata, vitriolo æmula, emeticâ potius virtute, quàm diaphoreticâ, aut diureticâ, plena & dives. Ex hoc fundamento concludo, omninò consultum esse, ut ex quolibet horum subjecto, *Arcanum* hoc constituente, sal proprius & verus sigillatim & legitimo modo extrahatur; qui tandem debito & proportionato pondere commisceri, & ulteriùs elaborari possent. Sic enim excluderemus omnem Vitrioli cuperosum, ac planè insalubrem, salem, & vitriolatam substantiam, ventriculum potius exiguo pondere & dosi invertentem, quàm febres qualitate specificâ & sudoriferâ excutientem. His igitur præmissis fundamentis, ratione & experientiâ suffultus, suadeo, ut *Arcanum* hoc modo sequenti paretur: nimirum,

Ex capite mortuo Vitrioli extremè calcinato (uti superiùs, in *capite de Vitriolo*, nec non in *præmissis Animadverss.* luculenter edocui) omnique Vitrioli sapore & qualitatibus destituto, aëri verò & astris aliquot septimanis expositio, quo exactè imprægnetur, eliciatur sal aëreus, dulcis, & nitrosus, Vitrioli sapore expers, adeoque Vitrioli Emetica virtute omninò destitutus. Hoc interim sale aëreo asservato,

porrò ex capite mortuo, à deſtillatione ſpiritûs Nitri relicto, ſal pariter elixiviando aquâ communi proliciatur, & crebris ſolutionibus & filtrationibus probè purificetur. Hi duo ſales in ordinem redacti, tandem commiſceantur; accipiendo ſalis Vitrioli aërei uncias duas, ſalis verò Nitri, legitimè etiam extracti, uncias tres. Mixta, immittantur cucurbitæ vitreæ, & in arenâ, aucto igne per gradûs, die unâ vel alterâ leniter calcinentur, ut circa finem fundum cucurbitæ aliquo modo candeſcat: &, poſtquam omnia refrixerunt, vitro fracto, *Sal* eximatur, ſuper porphyrite teratur, & aſſervetur. Ex hujus uſu in Medicina majus emolumentum ſpero, quàm communiter parato arcano: eoque magis, ſi huic jam parato *Sali*, juxta mentem Authoris Mynſichtii, & quidem ejusdem unciis quatuor, *Croci* ſolis legitimè parati uncia ſemis uniretur. Tum enim beneficio ignis arenæ figendo, præſtantius medicamentum efficeretur. Cujus *virtutes* Mynſichtio patent.

CRYSTALLI NITRI, ſeu DRACO FORTIFICATUS.

HOrum deſcriptionem vide apud Clariſſ. Schröderum, *in ſua Pharmacop. Medico-Chymica, lib. 3. cap. 23. pag. 474.* à S. Cloſſæo ipſi communicatam: quam L. B. conſulere velit.

TERRA FOLIATA NITRI S. Cloſſ.

HUjus itidem, *ibidem*, delineationem vide, nim. apud ſæpius citatum Authorem, Clariſſ. Schröder. *loco citato*, quæ talis:

Nitrum in crucibulo ſuper igne moderato liquetur: quo liquato, toties carbones vivi injiciantur, quò inardeſcat, donec flagrare deſinat & fixetur. Quod reſtat Nitrum, in crucibulo cum carbonibus fixum, in aceto deſtillato ſolvatur, filtretur, & in cucurbita vitrea ad ſiccitatem Nitri abſtrahatur: cui poſtmodum recens iterum acetum deſtillatum affundendum, & abſtrahendum eſt; idque toties repetendum, donec acetum ea, quâ affuſum, acrimoniâ deſtillando tranſeat. Quo facto, ſpiritus Vini itidem à nitro dicto, in cucurbita reſiduo fuſili, ſemel atque iterum deſtillando abſtrahatur. Sic in fundo, aucto pauliſper igne, reſidebit terra talcoſa, fuſilis inſtar ceræ; quæ ab impuritatibus omnibus repetitâ ſolutione, filtratione, & coagulatione, ſeparanda, & ad uſum aſſervanda venit. Valet in obſtructionibus tum hypochondriacis, tum meſentericis: calorem viſcerum exæſtuantem reprimit; &, medicamentis aliis admixta, eadem ad loca remota ducit, eorumque operationes promovet.

NITRUM VITRIOLATUM.

QUomodo & hoc, quod *ſpiritus Vitrioli coagulatus* merito dici ac appellari poteſt, parandum ſit; quæque ejus virtutes, uſus, ac doſis: hæc omnia Mynſichtius, *in ſuo Armamentario Chymico, ſect. 1. pag. 24. & ſeqq.* exactè deſcripſit: quem ut ipſe L. B. conſuiat Authorem, hiſce ſuadeo.

SPIRITUS NITRI.

HUjus *Spiritûs*, tum & *Salis*, exactam deſtillationem; & quæ circa hos ſpiritûs neceſſariò admonenda erant, ea jam omnia fideliter, & ad amuſſim, *in prioribus n. Animadverſ. pag. 579.* B. L. deſcripſi & communicavi. Ideoque, cum ſcitu digniſſima juxta, ac neceſſaria ſint, ea Lectori Amico diligenter revolvenda commendavero. Ex iis enim patebit, quodnam ſubjectum Nitro & Sali, etiam vulgari, pro ſpirituum eorum deſtillationibus, adjungendum ſit, ne ſpiritûs eorum acidi & corroſivi, antequam vi ignis elevantur, & in excipulum transeant, ſuum admixtum corpus aggrediantur, ſolvant, & ſolvendo cum eo coagulentur, & in aliud Ens transmutentur, adeoque agendo repatiantur & deſtruantur, eoque minùs eorum ſpiritûs elevari, & in excipulum transire poſſint. Hæc, quàm vera ſint rationi, & experientiæ conſentanea, Mercurii ſublimatio, tum & plures alii labores Chymici, mechanicè demonſtrant. Hæc autem cum à nemine Chymicorum hucusque revelata ſint, *loco citato* omnia explanata patebunt. Idcircò etiam ſcriptionis operâ compendifactâ, ad alia transeo, iisque & capiti de Nitro finem impono. Plura tamen, quæ de Nitro & Alumine inferenda eſſent, ex Clariſſimo Schrödero, *pag. 476. & ſeqq.* peti poſſunt; quo etiam L. B. ablegatum volo.

CAPUT XII.

DE

TARTARO.

NOn infimum in Medicina obtinet locum *Tartarus vini*. Vix enim modernis temporibus, à Medicis cultioris doctrinæ, Medicamentum Laxativum, Purgans, aut Diureticum, ſeu Præparans, præſcribitur, quin *Tartarus*, ſive ſimplex, ſive ut plurimum ejus *Cremor*, vel etiam *Vitriolatus Tartarus* ei adjungatur, & incrementum addat.

Quid autem *Tartarus* ſit, & quid ſub hoc nomine & Medici & Chymici indicent; item quanta Tartari differentia;

tia ; nec non de ejusdem , ex vegetabilibus desumpti , speciebus , ortu & generatione : ea omnia exactè declarat Clarissimus Angelus Sala , Medicus & Chymiater Celeberr. *in sua Tartarologia , sect. 1. cap. 1. & 2. pag. 120. & seqq.* quibus superaddere plura , supervacaneum omninò esset. Idcircò , ne actum agam , ad *Tartarum vini*, missis omnibus ambagibus , me converto, &, (præmissis tamen definitione, differentiis , ac utilitatibus Tartari) quædam salutaria medicamenta, ex eo conficienda, statim annectam : ad quæ, tanquam ad sacram anchoram , Medicus in plurimis morborum monstris confugere tutò possit. Imprimis itaque vulgariter loquendo , *Tartarus vini* illa est residentia, quæ ex quolibet vini musto lateribus doliorum undique sese apponit , & lapillorum crystallinorum duritiem referens , mox obscuro colore , mox candido magis , juxta vinorum differentiam , se fistit & in conspectum venit. Præterhoc, non exigua etiam portio hujus *Tartari* in fæcibus vini latet, quatenus ob copiam & gravedinem fæcum , motu quasi violento, & raptu , à crystallisatione præpeditum , lateribus doliorum apponi, & in solidam ac crystallinam compagem converti , & adhærescere non potuit. Præterea ex quolibet vino vetusto fermentato , abstracto priùs ab eo spiritu vini , Tartarus purus & putus , leni & repetita exhalatione aquositatis ; nec non ex fæcibus aceti destillati vini nigerrimis , talis Tartarus artificiosâ separatione producitur & colligitur : cui Tartarus non , nisi puritate, inter se differt , & pauculis aliis accidentibus ab invicem discrepat. Substantiam *Tartari* durusculam , solidam & crystallinam , *Vini salem* dixeris , aciditate tamen conspicuum & prævalentem, gustum & saporem gratum vinosum referentem : puri verò & simplicis salis, quà salis , naturam excedit ; adeoque meritò non simplex & uniforme , sed compositum corpus , vegetabile dicendum , constans iisdem , quibus & reliqua , principiis , *Spiritu* scilicet, *Oleo*, & *Sale fixo* ; quæ omnia in destillatione , tanquam vera Tartari analysi , in apricum prodeunt & conspiciuntur. Porrò magna est *Tartari* differentia, eaque juxta diversitatem tam Vinorum , quàm Regionum , in quibus vina crescunt & naturaliter producuntur; item etiam ratione puritatis , molis, sive magnitudinis , atque virtutis. Quò enim perfectiora & salubriora vina ; eò præstantiorem etiam Tartarum gignunt atque producunt : adeoque haud parum in electione Tartari , si Medicinam præcipuè spectes , aut usui humano , & Medico , illum adoptare velis, positum esse existimes. Præstantior itaque , & inter reliquos salubrior , & cæteris præferendus *Tartarus* est , qui *ex vino Rhenano* & *Italico* producitur: quippe qui non solùm purior , in majorem molem & crystallinam compagem concretus , sed sapore magis acidulo & grato præditus est ; & gratiorem , fragrantemque veluti reddit spiritum vinosum , viribus seu virtutibus præpotentiorem ipso ex vulgari Tartaro destillato spiritu.

Bonitatem Tartari Clariss. Angelus Sala,

Sala, *in præfato suo Tractatu, Tartarol. cap. 4. pag. 124.* sequentibus describit, ubi ait: *Optimum autem Tartarum ab omnibus tam Medicis, quàm Chymicis, unanimi consensu habetur illud, quod continuâ serie coagulatum dolii lateribus, aut fundo ejusdem, in longitudinem protensum adhæresçit: maximè est ponderosum; duritieq; suâ non cedit lapidi; ab eaq;, quâ vinum tangit, parte plurimis apicibus, adamantis instar, acuminatum splendet; quodq; contractum, non apparet, instar spongiæ, porosum, aut terrâ refertum, sed substantia suâ est solidissimum: contrita etiam minutissima ejusdem particula ex tempore, cretæ similis, candescit. Has notas habent omnia illa, quæ à vinis Rhenanis colliguntur, Tartara: quæ etiam cæteris, quando crudis uti voluerimus, longè præferenda.*

De *Tartari* crudi utilitate, ac qualitatibus, in Medicina, idem supradictus Doctiss. Sala; *cap. 5.* ita disserit:

Tartaro hoc non solum Aurifabri, Vitriarii Veneti, sive Crystallopœæ, serici item Tinctores, aliiq; Artifices Mechanici, pro cujusq; artificio diversimodè utuntur: verùm etiam maxima ejusdem est in Medicina utilitas; unumq; est ex illis medicaminibus, quæ diversis donata sunt qualitatibus, contrariosq; habent effectûs. Nam quoad subtilem, acidiusculam, & penetrativam, quæ in ipso latet, substantiam, non multum dissimile est frigida & siccæ qualitati, ut & subtilitati optimi ac purissimi aceti; quâ linguam aridam recreat, sitim à causa calida excitatam restinguit, fervorem ac ebullitionem bilis reprimit, appetitum revocat, dolores ventriculi sedat, viscidos, tenaces, ac mucilaginosos humores attenuat ac resolvit, interiorum viscerum obstructiones reserat, aliosq; producit effectûs aceto familiares. Deinde ratione qualitatum calidarum, ac incisoriæ salis, quæ in aciditate tartari latitat, acrimoniæ, obseratos in corpore, à materia frigida exortos flatûs non solùm meliùs discutit; verùm etiam omnis generis crudos tartareosvè humores incidit, & alio quovis medicamine feliciùs ac commodiùs blandissimè educit. Hæcq; est causa, cur plurimi è Dogmaticis Medicis hoc tartarum ita extollant, idq; lenientibus, ad acuendam eorundem energiam, stimuli loco, felicissimo successu admisceant. Cujus rei exempla habemus in Pharmacopœia Augustana; ubi longo usu ac experientiâ comprobatus reperitur Pulvis Senæ præparatus Montagnanæ, inibiq; à Medicis Augustanis descriptum, ac multis nominibus recommendatum Tartarum. Tartarum verò hoc excellens etiam, ac utile esse purgans medicamentum, præter alia exempla, meo id ipsum proprio sanctè attestari ac affirmare possum. Cùm enim in juventute mea per quinquennium passione Colicâ multoties miserrimè discruciarer, nullisq; medicamentis, aliàs maximè juvantibus, ab eadem liberari ac curari possem: singulari cujusdam magnarum qualitatum, patriâ Lucensis, in Italia, Senis consilio 3vj. subtilissimè pul-

pulverisati crudi Tartari assumebam; cujus effectûs aliorum omnium, antè assumptorum, purgantium longè erant excellentiores. Hoc enim assumpto, in longum, & quidem inconsuetũ, tempus cessabant acerrimi cruciatûs; redeuntibus verò iisdem, reiterando hujus usum, immunem à tantis ærumnis, per biennium, vivebam vitam. Ast aliquando ad Perstrenuum vocatus virum, Dn. Zachariam Geitz-Köfflern / Equitem auratum, & S. R. I. ab Ærario, p. m. podagrâ, in arce suâ Hannßheim / laborantem, multò atrociùs, quàm hactenus unquã, cùm prædictis doloribus torquerer, tentatis aliquot, quæ ad manûs erant, tam internè, quàm externè, sed frustra, remediis; recordabar usûs mei Tartari: ac tum temporis offerebatur quippiam tartari à vino Ungarico, separati, cujus, nox consideratâ ejusdem impuritate, nec, quam habet cum vino Rhenano longâ disparitate, ex tempore prædictam dosim cum brodio carnis, absq; ullo alio additamento, assumebam: quo satis benignè aliquot vicibus sum motus, materiaq; peccans exoptatè expulsa; ita quidem, ut ab acutissimis hisce doloribus plenariè liberatus, nihil ampliùs de tantis cruciatibus viginti nunc sex annis perceperim, &, divinâ gratiâ, ab eo tempore satis placidè vixerim. Quam mihi factam alleviationem, meo quidem judicio, adscribo remotioni causæ per tartarum factæ: quia tantas passiones à viscosa, tartarea ac frigidâ, in intestinis collectâ, ac iis tenacissimè adhærente materiâ progenitas certò credebam: quam materiam tartarum præmemoratâ suâ qualitate resolutam, ac attenuatam eliminavit; quod aliis medicamentis fuerat impossibile. Ut ita remotâ ex fundamento causa materiali, remotum etiam sit exinde natum accidens. In hisce & aliis morbis, à prædictis causis ac flatibus ortis, plurimis ejusdem usum consului ægrotis, laudandosq; semper, quos præstitit, sum expertus effectûs: nihilq;, quod remorari usum ejusdem possit, invenio; nisi quòd fortè delicatulis, ac nauseabundis, molesta sit nimia ejus dosis. Assumendum enim, quando, absq; ullo alio additamento ac stimulo, verè purgantis munere fungi debet, ab ʒß ad ʒvj. & ʒj.

Optandum itaq; esset, ut purgans ejusdem facultas in minorem reduci posset quantitatem. Hactenus autem exoptatam adire non licitum fuit Corinthum: aliis etiam præclusum invenio aditum. Hucusque Clariss. Angelus Sala.

PURIFICATIO TARTARI,

id est:

CREMORIS & CRYSTALLORUM TARTARI PRÆPARATIO.

QUòd Chymici (qui rerum Medicinalium utilem quærunt nucle-

nucleum, & medicamenta simplicia ab impuritatibus, quibus referta prostant, studiosâ sedulitate, utile nimirum ab inutili segregando, liberant) purificationem Tartari, & Cremoris, ac Crystallorum, præparationem variis modis moliantur: id ex prædicto *Clariss. Ang. Sala*, & aliis quamplurimis, patet. Cùm autem studiosus Lector meritò non gaudeat pluralitate Processuum, qui ad unum eundemque finem conspirant, sed uno, eoque vero, modo parandi hoc vel illud medicamentum contentus esse possit; idcircò dexterrimam *Tartari purificationem*, *Cremoris & crystallorum Tartari præparationem*, quam, *in præmissis nostris Animadvers. pag. 632.* adunguem usque, cum omnibus suis manipulationibus, & annexis insuper necessariis & scitu dignis notis, descripsi, L. B. commendare volui. Namque si bene perpenderit, manumque operi ipsi applicuerit; haud meliorem, brevioremque invenerit modum, hanc Cremoris & Crystallor. Tartari purificationem, & præparationem, instituendi. Proinde, ne actum agam, aut cramben bis coctam apponam; ad alia transeo. Et quidem, cùm, *in præmissis n. Animadvers. loco citato, pag. 633.* docuerim, Tartarum crystallisatum, seu Cremorem Tartari, peregrinis virtutibus imbuere; ac eidem vim vel cathartícam, vel magis diureticam, imprimi posse, mediantibus Decoctis rerum catharticarum & diureticarum, vel succis etiam expressis, cum iisdem Tartarum dissolvendo, coquendo, ac iterum crystallisando, vel ad siccitatem abstrahendo: idcirco quomodo hoc effectui dandum, sequentes demonstrabunt formulæ. Et licet nonnunquam colore alieno Tartarum, hoc vel illo succo, aut decocto, solutum, tingatur; nihilo tamen minùs, si in porphyrite teratur, iterum albescit, aut quandoque nonnihil rubescit; & haud ineleganti nonnunquam colore, majoribusque etiam virtutibus, imbutum prostabit.

TARTARUM DIURETICUM,

cum

FRAGIS.

℞. Tartari albi Rhenani, aut Veneti, seu Italici, libram unam:

crassiusculè contusus coquatur fortiter in vase fictili, seu terreo cooperto, cum

Succi Fragorum recenter expressi libris sex,

horâ unâ circiter; & statim per colatorium purum transmittatur & coletur, quantum dissolutum fuerit. Percolatum Tartarum in alio vasculo, vitreo nimirum, vel terreo, factâ prius unicâ ebullitione, sensim refrigescere finito. Frigefactis omnibus, eximatur Tartarum percolatum, & asservetur: succus verò residuus, unà

cum Tartaro residuo nondum dissoluto, denuò coquatur, & transcoletur quidquid dissolutum fuerit, & in calore etiam sensim crystallisetur: quod tamdiu continuandum, donec Tartarus totaliter dissolutus & transcolatus fuerit. Deficiente verò succo, vel mucilaginoso reddito, propter repetitam coctionem & exhalationem aquositatis; diluatur is aquæ communis s. q. Et tali modo optimè succedet operatio: & etiam habebis *Tartarum* insuccatum & *diureticum*: quod asserva.

Hacque eadem methodo, cum diversis aliis *succis*, utpote *Ribium*, *de Rubo Idæo*, *Citri*, seu etiam *Limon*. *Cichorii Sylvestr*. *Endiviæ*, *Acetosellæ*, *Tartarum* insuccare, alienis virtutibus imbuere; vel illum ipsum in virtutibus suis diureticis efficaciorem reddere possumus.

Et quod de *succis expressis* dictum; pariter ad *Decocta* referendum. Sic *decocto* forti *Rosarum rubearum*, ex recentibus Rosis parato; vel earum *Infusione* clarificatâ: aut infusione etiam forti *Violarum Martialium*, *spiritu Vitrioli* nonnihil acuatâ, *Tartari* solutionem, & crystallisationem eâdem operâ perficere; eique nomen *Tartarum Rosatum*, & *Tartarum Violatum*, imponere possumus: quæ haud exiguis virtutibus diureticis, hepar insuper, & reliqua viscera, roborandi, alvumque potiùs solvendi, dotata erunt.

Sin *Tartarum* magis *solutivum*, & *purgantē*, reddere animus sit, hoc assequemur præfatâ pariter methodo ac via; *decoctionibus* nimirum, aut *infusionibus*, rerum quarundam cathartica-rum, vel unius, vel plurium simul: exempli gratiâ: Accipiamus *Radic*. *Mechoacæ albæ* libr. semis: hæ in frustula consciſſæ coquantur, repetitis vicibus, cum s. q. *Aq. simpl.* additâ *Tartari puri Veneti*, seu *Italici*, crassiusculè contusi libra unâ; & per colatorium linteum, vel pannum transcolentur, decoctionem sæpius repetendo, donec totum tartarum dissolutum & transcolatum fuerit: deficiente verò aquâ, recentem substituendo, verùm in, quàm paucâ fieri potest, quantitate aut copia, ad majorem virtutem *laxativam Tartaro* imprimendam. Idem etiam sermo sit de *Radicibus Asari recentibus*, *Hellebor. nigri recent.* & quæ de illarum censu sunt; *Rhabarbaro*, *Rhapontico*, *Ebuli Radic. succis* item *expressis Gratiolæ* & *Mercurialis*.

Notā: Observetur tamen, quòd, si portio Tartari coctione forti soluta, & in frigore ab aquâ illâ denuò separata fuerit, uti naturaliter contingit, & de natura Tartari est; illa aqua remanens, pro residuâ Tartari dissolutione adaptanda, & ultimò tandem Tartaro, ex integro soluto, vel totaliter, aut saltem pro majori parte, evaporare sinenda sit; quò majores virtutes in Tartarum commigrent.

TARTARUM CHALYBEATUM.

℞. Vitrioli Martis, cum spiritu vitrio-

trioli, vel cum ſulphure, parati unciam ſemis:
ſolvatur in
Succi Endiviæ recenter expreſſi & depurati, ſeu
Acetoſellæ, ſ. q.
Solutionem hanc incorpora cum
Cremoris ſeu acidi Tartari unciis tribus,
ac leniter, in vitreo vaſe, calore leniſſimo, exſicca & aſſerva. *Præſtans eſt in obſtructionibus hypochondriorum, & ſuppreſſione menſium: aperit, & alvum laxat.*

TARTARUM ANTIMONIATUM.

℞. Tartari Cremoris, ſeu
Veneti albi, libram unam,
Flor. Antimonii alb. uncias duas.
Coquantur in ſ. q. aq. ſimplic. repetitis vicibus, ſemper recentem aquam affundendo, donec totus Cremor ſolutus, & per chartam emporeticam transcolatus ſit. Hinc aqua tota leniter à transcolato tartaro exhalet, aut abſtrahatur ad ſiccitatem *Tartari*: qui ſuper porphyrite levigandus, ac uſui aſſervandus eſt. *Purgat leniter per ſuperiora & inferiora; præſtat in febribus diuturnis, & tertianis intermittentibus, aliisque morbis chronicis & radicatis: à ſcrupulo ſemis, ad grana xv. & ſcrupul. unum.*

SPIRITUS TARTARI.

QUomodo is deſtillandus, omnibus Pharmacopœis notiſſimum eſt: nimirum, ut Tartarum, craſſiuſculè confractum, retortæ vitreæ, luto obductæ, immittatur, &, agglutinato largo recipiente, igne aperto, primò leniſſimo, per gradûs deinde ſenſim adaucto, deſtilletur; prodeuntibus *Spiritibus* volatilioribus, & non admodum fœtidis: qui, antequam oleum craſſum, cum nebulis obſcuris, prorumpat, mutato protinus recipiente, ſeorſim aſſervandi; deſtillatio verò, alio recipiente illicò præmiſſo & agglutinato, igne magis aucto & violento, continuanda, donec & *Oleum Tartari* craſſum, ac *Spiritûs* fœtidi, nebulis craſſiſſimis in recipiente apparentibus & conſpicuis, tranſierint totaliter. Abſolutâ deſtillatione, omnibusq; frigefactis, ſeparetur *Oleum* fœtidum ac craſſum à ſuo *Spiritu*, per tritorium, vel chartam emporeticam aut filtrum; ut alibi oſtendi: ac per retortam, ex ſabulo, ſeu arena, admixtis Oleo priùs cineribus, ad exſiccationem ejus ferè totalem, dextrè, rectificetur: *quod præſtat in obſtructionibus Lienis & Hepatis, externè inungendo; Emplaſtris item & Unguentis ſpleneticis ac hepaticis admiſcendo.* Ejus porrò virtutes Clariſſimus Sala ita deſcribit:

Sunt nonnulli, qui hujus Olei guttas aliquot exhibitas, ad dolores colicos, ſtrangluriam, dyſuriam, aliaq; è flatibus orta ſymptomata, ut etiam uteri ſtrangulatum, maximè dicunt utile. Eo hactenus nunquam ſum uſus, nec aliis utendum præſcripſi: attamen quia aliàs Oleum ſuccini, ut & alia ex Gummatibus elicita balſama, quæ non minùs, quàm hoc, calidæ ni-

mium ac penetrantis qualitatis ſunt participia, graviſſimoq́, ac maximè ingrato nares ferunt odore, ſummo judicio ritè exhibita, nihil nocent: ſimiliter etiam Oleum hoc tartari, quod tamen ex nullo deleterio ſubjecto deſtillatum fuit, tutò probari poſſe, exiſtimo.

Oleum hoc Tartari quia, cutis poros efficaciſſimè aperiendo, ſudores promovet; ejus itaq́ uſus maximè eſt commodus externè: ſi ſcilicet unguentis ad ſcabiem, aut luem Veneream, admiſceatur. Non minori etiam cum fructu adjungitur emplaſtris, duros callofoſq́ tumores diſſolventibus. Ex eodem etiam ipſo egregium paratur unguentem contra chiragram & podagram tumoroſam: ſi ſcilicet nodoſi tumores, à materia pituitoſa coagulatâ frigidâ, articulis impacti hæreant.

NB. Sunt, qui rectificationem hujus *Olei* in veſica cupreâ, affusâ quantitate largâ aq. ſimpl. præcipiunt & perficiunt. Verùm hæc rectificatio amethodica planè eſt; quemadmodum olea, per retortam primitus deſtillata, ponderoſa nimis & craſſa, vix ac ne vix quidem hâc humida deſtillatione tranſeunt, quin major eorum copia, picis inſtar, in reſiduo maneat, prodeunte pauculo oleo flavo rubicundo, ſed potioribus etiam virtutibus ſuis orbato, tanquam ab aqua alluente, quæ eodem odore & ſapore imbuta proſtabit. Et quamvis graviori odore prædita ſint olea per retortam deſtillata & rectificata, & empyrevma ſpirent, minùs verò fœteant olea cum aqua rectificata: nihilo tamen minùs, non tam ad pulchritudinem & odorem magis gratum, quàm ad virtutes & efficaciam ſalubriorum medicamentorum, proſpiciendum eſſe, omnino judico; ne medicamina habeamus virtutibus ſuis orbata, ſed efficaciâ & virtutibus integris adhuc gaudentia. Verùm enim verò, quæ in deſtillatione *ſpiritûs* & *olei Tartari*, ne tantoperè fœteant, aut empyrevma ſpirent, obſervanda ſint, *in præmiſſis n. Animadv. pag. 582.* fideliter detexi: nimirum, ut pro eorum deſtillatione *Tartarum* accipiamus aut ſeligamus, vel purum putum *Italicum*, aut *Rhenanum*, multis recrementis heterogeneis non refertum & inquinatum: vel *Cremorem* ipſum ex *Italico*, *Veneto*, aut *Rhenano Tartaro* unicâ ſolutione confectum & purificatum. Hic enim defæcatus, & ab adhærentibus heterogeneis impuritatibus purificatus *Cremor* & *Cryſtallus Tartari*, deſtillationi commiſſus, non graveolentem, ſed fragrantem, & vinoſum præbet *ſpiritum*, ac *oleum* minùs fœtens. Quæ ambo nativis & majoribus viribus prædita erunt, quàm ſi ex crudo & inquinato Tartaro forent deſtillata. Etenim quàm purum etiam ſeligas Tartarum, haud exiguis tamen recrementis, & heterogeneis rebus, permixtum deprehendes; à quibus demum in deſtillatione inſignis ille fœtor ortum habet. Propterea, ut hoc evitemus; præſtat *Tartarum Italicum*, unicâ ſolutione & cryſtalliſatione purificatum, deſtillationi adaptaſſe.

ſe. Quemadmodum, ut denuò repetam, ipsâ experientiâ, & propriô Marte, comprobavi, quòd *Cremor & Cryſtallus Tartari*, qui ex *Italico Tartaro* (tanquam præ omnibus aliis magis puro, albicante, cryſtallino, inque majorem molem concreto) præparatur, majoribus non ſolùm polleat virtutibus; verùm etiam *Spiritus*, ex tali cremore ſtillatus, verè fragrantem & vinoſum ſpiret odorem amabilem, longè diverſum ab illo, qui ex vulgari quovis Tartaro, aut ejus Cremore, fuerit deſtillatus. Et hæc digna ſunt obſervatu.

Si de *rectificatione ſpiritûs Tartari* ſermo ſit, illa tantoperè neceſſaria non eſt, ſi juxta noſtram ſuperiorem admonitionnem non ſolùm ex purificato Tartaro Spiritus fuerit deſtillatus; ſed & fœtidus ac fœculentus ſpiritus ſeparatim ultimò, unà cum oleo, exceptus: qui ipſe autem, ultimò nimirum prolectus ſpiritus, rectificatione ſummoperè eget; ſive is per ſe, in alembico vitreo, ex arena; ſive à ſuo capite mortuo reſiduo; ſeu potiùs à ſale Tartari purificato, ſemel atque iterum rectificetur: quò non ſolùm fœtorem empyrevmaticum deponat; verùm etiam potiores virtutes penetrantes & reſolventes, à proprio ſuo ſale, illum veluti volatilem reddendo, mutuet, iisque nobilitetur.

Aliam hujus ſpiritûs rectificationem ponit Clariſſ. Schröderus, *in ſua Pharmacop. Medico-Chymica, lib. 4. pag. 220* quæ ita ſe habet: *Ex capite mortuo Tartari, à deſtillatione ſpiritûs & olei relicto, extrahatur ſal, quod, ſolutionibus ac coagulationibus purificatum, conjungatur cum ſpiritu ſuo proprio Tartari, ac Oleo: digerendo in B. M. vaſe clauſo, donec ſal totus ſolutus ſit. Cum hoc liquore impaſta argillam ſiccam, formaq; globulos, & illicò deſtilla ex retorta, igne nudo. (uti ſpiritus Nitri) Prodibit, cum ſpiritu & oleo, ſalſerè totus ſpiritualiter, impoſterum à ſpiritu Tartari inſeparabilis: oleum fœtens ſepara à ſpiritu, ut moris.* Hæc ille.

Vires quod ſpectat ſpiritûs Tartari, de illis Clariſſ. Sala talia habet: *Prædictus Tartari ſpiritus habet in ſe egregias qualitates, ſalinas, incidit quibus, penetrat, attenuat, aperit, reſolvit, diſcutit & purificat, nec ſibi ex hydroticis par habet. Permeat enim ſpiritualiter univerſum corpus, membrorumq; internorum principalium, ut & venarum, obſtructiones aperit, totiusq; corporis habitum ab omni immunditie, ac ſubtilibus ſuperfluitatibus, per ſudorem & urinam reddit immunem. Ideoq; pro curandis hydrope, tympanitide, arthritide, paralyſi, ictero, ſcorbuto, lue Venereâ, impetigine, ſcabie, aliisq; cutis impuritatibus, ut etiam in contracturâ artuum, ex materiâ flatulenta, humorali ac fluidâ, non verò tartarea coagulatâ, & in articulis fixâ, ortâ, præter uſualia purgantia, & alia, quæ methodus medendi in curandis hiſce morbis requirit, tam interna, quàm externa, medicamina, eſt ex optimis, certiſſimis, & in qualitatibus ſuis maximè inna-*

innocuis, quæ in rerum natura huic ſcopo utilia inveniri, vel arte præparari poſſunt, Spiritus hic primaria medicina, reliquisq; omnibus prævalet.

Doſis: Propinatur in aquis deſtillatis appropriatis, vel brodiis carnium, vino, decoctis, aut infuſis, pro judicio Medici, à ℈j. ad ʒj. plus minus; pro ratione circumſtantiarum: reiteraturq; toties, quoties ejusdem repetierit neceſſitas.

SPIRITUS TARTARI ALEXIPHARMACUS.

℞. Spiritus Tartari ritè deſtillati libram unam ſemis;
cui adde
Rad. Zedoariæ,
Angelicæ,
Baccar. juniperi, ana unciam unam,
Cortic. Citri recent. extim.
Arantior. recent. ana drach. ſex,
Macis drachmas tres.

Factâ maceratione brevi, in cucurbita vitrea, fiat deſtillatio in arenâ leniter, ad ſiccitatem ſpecierum; cavendo, ne ultimò comburantur ſpecies, & empyrevma ſpiritus ſpiret: proboſcidi tamen capitelli immittendo ſequentia, in petiâ ligata

Cortic. Citri recent. extim. drach. duas,
Croci opt. Auſtr. drachmam ſemis,
Camphoræ ſcrupulum unum.

Spiritus prolectus aſſervetur. *Utiliſſimus eſt pro curandis febribus malignis, contagioſis & peſtilentialibus. Totum corpus penetrat, malignitatem à corde removet, & per commoda emunctoria expellit. Doſis à drachma ſemis, ad drachmam unam, & unam ſemis.*

SAL TARTARI.

IN reſiduo capite mortuo, à deſtillatione ſpiritûs & Olei Tartari, latitat ejus *Sal* in quantitate, & larga copia: qui, præmiſsâ aliquali adhuc calcinatione, ſeu reverberatione dicti capitis mortui, aquâ ſimplici repetitis vicibus affuſa, elixiviandus, probè filtrandus, & tandem, in ſartagine ferreâ leniter coquendo & evaporare ſinendo aquoſitatem, ad ſalinam ſiccam ſubſtantiam reducendus eſt.

OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM.

QUòd ſi caput hoc mortuum, à deſtillatione ſpiritûs Tartari reſiduum, ſeu aliud Tartarum calcinatum, anguſto acuminato ſacculo lineo incluſum, & in cella, ſuppoſito vitro, ſuſpenſum, aliquandiu relinquatur; in albicantem & clarum liquorem, qui ſub digitis, pinguedinis inſtar, tactu percipitur, diſſolvetur & diffluet: qui liquor reverâ *Oleum* non eſt, ſed, propter ſuam unctuoſitatem, hoc nomen ſaltem adeptus: in ſe ipſo autem nihil aliud eſt, quàm *ſal Tartari*, humiditate aëris in cella impræ-gnatum, ac in liquorem ſolutum, valdè abſterſivum. De cujus uſu, virtu-

tibus,

tibus, ac utendi modo, & pluribus, quæ circa illud observatu digna sunt, eruditè discurrit præfatus Angelus Sala, *in sua Tartarologia, pag. 133.* sequenti modo:

Crebrior ejus usus est externus, quàm internus, in absumendis scilicet spongiosis carnis, aliisq;, in ulceribus inveteratis, excrescentiis, sive hypersarcosibus, tisdemq; mundificandis ac firmandis. Sammè etiam est utile, admixtum epithematibus vel emplastris, tam in forma liquida, quàm solida, tumoribus aquosis adhibitis. Hoc siquidem sal validissimè siccat, dissolvit ac discutit. Cuti exoptabilem conciliat nitorem, eandemq; levigat & purificat. Quamobrem sexui muliebri in extirpandâ præcipuè faciei, colli, ac manuum impetigine, maximo est in usu: maximo etiam cum fructu permiscetur aquis ac unguentis, ad scabiem à crasso phlegmate ortam. Ubi verò salsi, serosi, ac subtiles, ut in ulceribus diu manantibus ac serpentibus videre licet, humores dominantur, in illis omnimodè est ab hoc abstinendum, quia eosdem reddit acriores, ac hujusmodi in ulceribus calorem maximè detrimentosum adauget, doloremq; subministrat acerbiorem. Plus etiam damni, quàm utilitatis, ejusdem ferre usus potest, dum mulierum constitutionis plethoricæ, tenerrimæq; cutis, facies faciunt excandescere, & rubras excitant pustulas. Pro universali itaque præparativo uti eo non possumus.

Maximus aliàs hujus liquoris, ut & ipsius salis, antequam in formam liquoris fuerit dissolutum, in multis operationibus Chymicis, præsertim verò ubi aliqua metalla, cum suis corrosivis priùs dissoluta, veniunt præcipitanda, ut commodius de hins, quando sub formâ pulveris fundum petierunt, à liquore separari possint: ut in auro & chalybe præsertim videre licet, usus est. Hoc etiam sale quidam corallia & perlas, destillato aceto priùs dissolutas, præcipitare solent. Sal enim Tartari, sive siccum, sive dissolutum, perlis & coralliis additum, illa candidissima, instar pulveris, ad fundum præcipitare facit; quem multa aquâ postea edulcoratum, ratione suæ subtilitatis, magnificiunt. Quando verò, mea quidem opinione, hæc ita consequendæ inprimis subtilitatis gratiâ peraguntur; existimo ego, melius fore, si corallia & perlæ, aqua aliqua destillatâ super lapide porphyrio (ut Pharmacopœi hactenus sunt soliti) optimè trita, in ejusmodi subtilis pulveris formam redigerentur, quàm si, pro subtilisandis his ipsis, aceto destillato & sale tartari uteremur; de quibus in coralliis & perlis semper aliquid hærere solet: ut ita, mutato illorum naturali temperamento, conformem cum nudè tritis operationem edere haud possint: quod in aphorismis meis Chymiatricis sedulò monui. Quòd si Magisteria hæc, pro acquisitarum, in solutione &

præcipitatione suâ, qualitatum ratione aliis scopis quispiam destinaverit; liberum id esto Medico, qui iisdem pro discretione ac judicio uti scit ac didicit. Tandem deniq; sal tartari ingreditur etiam mixturam vasorum vitreorum crystallinorum; eodemq; utuntur tinctores, aliiq; artifices Mechanici: de quibus hic ulterior dicendi locus non est. Hæc ille.

TARTARUS VITRIOLATUS,

seu

SAL TARTARI VITRIOLATUS.

DE hoc medicamento ubivis decantato, & familiari in omnibus Officinis, plurima præfatus sum *in Animadvers. n. in Pharmacop. August. pag. 615.* sub tit. *Magist. Tartari*, D. D. *Augustan.* quæ, cùm lectu digna sint, & scitu necessaria, B. L. revolvere poterit. Hoc tamen Pharmacopœos ingenuos etiamnum advertere velim; quòd feliciori successu hoc medicamentum paretur ex *sale sicco Tartari*, quàm ex *oleo* ejus, seu *liquore*: sicut in prioribus etiam innui. Etenim ex *liquore Tartari* si illud conficitur, facillimè in aëre liquescit, & plurimas parit, in parandis ex eo medicamentis siccis, incommoditates: quemadmodum omnia talia medicamenta, vel paucis horis in aprico & aëre relicta, humiditatem contrahunt inelegantem, nec in charta coërceri possunt, quin in liquamen mox diffluant. Quapropter ut hæc evitentur, & Tartarum paremus vitriolatum crystallinum, suis virtutibus resolventibus constantem; en! modum sequentem:

℞. Salis Tartari probè purificati & sicci uncias sex, vel octo; cui, vitro largo immisso, superaffundatur pedetentim & successivè, ne nimium incalescat,

Spiritûs Vitrioli, vel Sulphuris opt. q. s. quousque nulla ampliùs ebullitio, seu strepitus, ex affusione spiritûs advertatur, ac *sal Tartari* à *spiritu* sufficienter saturatus sit. Quo facto, siccetur saturatus sal in leniissimo calore, qui denuo, s. q. aq. simplicis superaffusâ, solvatur, filtretur, & leni exhalatione aquositatis crystallizetur.

Virtutes hujus salis Tartari vitriolati notissimæ sunt: *Generale digestivum* illud proclamant D. D. Augustani: & *ad omnes obstructiones solvendas, in calculo, nephritide, ictero, mensium retentionibus, febribus, hydrope, splenis duritie, multò cum fructu* exhiberi, asserunt. *Medicamentis purgantibus aliis admixtum, ea in operationibus suis multùm intendit. Dosis scrupulus semis, ad scrupulum unum.*

TARTARUS VITRIOLATUS EMETICUS PURGANS.

℞. Salis Tartari libram unam: liquc-

liquefiat in crucibulo ſuper igne: cui ſtatim pedetentim injiciantur

Vitri Antimonii ſine additione parati unciæ duæ:

& poſtquam liquefacta & benè mixta fuerint, bacillo ferreo ea commovendo, illicò effundantur. Hinc maſſa refrigerata teratur, in aquâ ſimplici ſolvatur, filtretur, &, quando exhalavit leniter aquoſitas, ad priſtinam ſalis ſiccitatem reducatur. Cui ſali pedetentim & ſucceſſivè inſtilletur

Spiritûs Vitrioli, vel Sulphuris q. ſ. donec nulla ampliùs ebullitio ſeu effervescentia ex affuſione ſpiritûs advertatur. Hoc ſigno apparente, exſiccetur maſſa ſalina Vitriolata: quæ denuò ſolvatur aquâ communi, filtretur, & leniter ac ſucceſſivè, dum aquoſitas exhalarit, cryſtallizetur, aut in ſalinam ſtatim ſiccitatem reducatur, uſuique aſſervetur. *Purgabit leniter;* maximè *per inferiora:* quemadmodum Antimonium tali modo dupliciter correctum eſt; per ſalem nimirum Tartari, & ſpiritum Vitrioli. Hinc *præſtabit in morbis chronicis, diuturnis, melancholiâ hypochondriacâ, febribus quartanis, & tertianis intermittentibus diuturnis. Doſis ſcrupulus ſemis, ad ſcrupulum unum.*

TARTARUS VITRIOLATUS ANTIMONIALIS ALIUS.

℞. Flor. Antimon. alb. uncias duas,

Cremor. Tartari uncias quatuor,

coquantur in ſ. q. aq. ſimpl. repetitis vicibus, ad omnem virtutis prolectionem. Colaturæ omnes calidæ filtrentur per chartam emporeticam. Cum hoc verò decocto ſolvatur,

Salis Tartari libra una,

& ad priſtinam ſalis conſiſtentiam & ſiccitatem, leni exhalatione aquoſitatis, reducatur. Huic porrò ſali, *Eſſentiâ Antimonii* imprægnato inſtilletur pedetentim & guttatim

Spiritus Vitrioli, vel Sulphuris q. ſ. pro ſufficienti ſaturatione ſalis (uti ſuprà dictum.) Hinc exſiccetur maſſa ſalina, ac denuò ſolvatur aquâ ſimplici, filtretur, & leni evaporatione aquoſitatis, vitreo in vaſe, ad ſalinam ſiccitatem, reducatur, ac uſui aſſervetur. *In virtutibus & doſi, ſuperiori non abſimilis erit.*

TARTARUS VITRIOLATUS SOLUTIVUS.

℞. Radic. Mechoacæ albæ unciam unam,

Aſari drachmas ſex,
Hermodactyl.
Rhabarb. ana drachmas quinque,

Cremoris Tartari drachm. ſex.

Inciſa & contuſa craſſiusculè coquantur in ſ. q. aquæ ſimplic. repetitis vicibus affuſæ, quousque omnes virtutes extractæ ſint. Decoctiones & colaturæ collectæ, ac junctim, cum albuminibus ovorum probè clarificentur

& filtrentur. Hoc cum Decocto clarificato & filtrato solvantur

Tartari Vitriolati unciæ quatuor:

& leniter, humiditatis, seu aquositatis evaporatione, vitreo in vase, ad pristinam salis siccitatem & consistentiam reducatur, usuique asservetur. *Operatur resolvendo, & educendo per inferiora feliciter.*

TARTARUS VITRIOLATUS,

cum

SUCCO MERCURIALI.

℞. Tartari Vitriolati, seu salis Tartari, cum spiritu Vitrioli suffic. imprægnati & saturati, uncias sex:

solvatur cum

Succi herb. Mercurialis recenter express. optimè depurati & clarificati, libris duabus:

ac leni calore, & exhalatione aquositatis, ad siccitatem salis reducatur. Servetur usui. *Laxat alvum leniter.*

Nota: Plures modi, quâ ratione *Tartarus Vitriolatus* in virtutibus suis solutivis, diureticis, ac resolventibus, sit augendus, hâc adduci possent. Verum quia ex præmissis omnia clarè patent; &, juxta eorum ductum, quilibet peculiarem Tartarum Vitriolatum sibi apparare poterit; idcircò pluribus supersedeo, & ad alia pragredior.

BALSAMUM TARTARI.

℞. Olei Tartari per deliquium facti libram unam, uncias duas:

hoc fundatur super

Cremoris Tartari, seu Tartari crudi Veneti albi, subtiliss. triti, libram unam:

factâ maceratione per biduum, loco calido, totaliter iterum in Massam salinam, exsiccando, convertantur. Ex hac massa, in pulverem redactâ, extrahatur *Tinctura*, vel cum *spiritu vini*, pro *usu interno*; vel cum *aceto destillato*, aut etiam cum *aquâ* aliquâ *destillatâ*, præ *usu externo*; quousque rubedo aliqua in menstruo affuso appareat. Tincturæ postea omnes, seu tincti spiritûs, aut aqua, seu acetum tinctum, quôcunque demum illorum extraxeris, ad *mellaginem*, seu *syrupi*, aut *liquoris crassioris*, consistentiam abstrahantur; qui usui asservandus. *Est medicamentum anti-Podagricum, anti-Nephriticum, & laxativum, medicamenta purgantia violenta reddit benigna, & lenit, quo mitiùs operentur.* Hinc *in morbis diuturnis, chronicis, sive per se; sive aliis medicamentis admixtum, eximias obtinet vires; tum internè propinatum, à scrupulo uno, ad drachmam semis; tum externè membris dolentibus podagricis, & tumoribus duris*

duris œdematosis, dextrè applicatum.

TINCTURA TARTARI.

COmmodissimè illa extrahitur ex *Tartaro* simpliciter, in furno figuli, & fortiter deinceps etiam calcinato, donec variegatis coloribus appareat; & quidem cum *spiritu vini*; repetitâ extractione, & affusione recentis spiritûs, quousque rubedo in extrahente spiritu appareat. Spiritûs postea tincti omnes in B. M. ad justam *Tincturæ suæ* consistentiam abstrahantur; quæ studiosè asservetur. *Confert in ciendâ urinâ, melancholia hypochondriaca, obstructionibus hypochondriorum & mesenterii. Hydropi & Scorbuto medetur. Dosis à scrupulo semis, ad scrupulum unum.*

SAL ESSENTIALIS VINI.

HUnc Tibi, A. L. candidissimè revelo, *in Apologiam* adversus quendam *Ottonem Tackenium*, qui se *Hippocratem Chymicum* seditiosè & arroganter, alienis spoliis, fuco ac pennis, inauguravit. Hanc ut legas exeursionem nostram, forsan huic *Pharmacopœiæ* annectendam, amicè hortor. Plurimis enim cùm Philosophicis, tum Medicis rationibus & argutiis abundat, nec non clavis est perfectissima, quâ Animadversionum, & reliquorum nostrorum operum, abdita penetres, & felicissimè reseres. Non dubito, quin te delectatura sit rerum varietas & delectus: quanquam forsan justis parentabis gemitibus Zwölfero Tuo, quem pro tot officiis, Reipublicæ Medicæ positis, innocuè & crudelissimè vides ab ingratissimo Thrasone arietari. Sed reperit suum hæc fera domitorem, ne ultrò præsumat nocere, & innocuos laniare.

SAL TARTARI VOLATILIS.

QUid de hoc *volatilisato Sale Tartari*, de quo Doctiss. ac Celeberrimus, re & famâ Philosophus & Medicus, Helmontius, in suis operibus multum gloriatur, illumque nobis studiosè commendare videtur: adeò quidem, ut nobis vice dissolventis ipsius universalis esse possit; licet ejus præparationem nullibi indigitârit, sed, more solito, duro & novercali in posteritatem animo, occultarit, & ancipites nos dereliquerit: dè hoc, inquam, quid sentiendum & tenendum sit, & quâ viâ ac methodo is apparandus, fideliter communicavi *in præmissæ Pharm. n Regiæ Classe XV. p. 246. & seqq.* quam L. B. haud gravatim revolvere dignetur.

Plura alia, necessaria simul ac utilia, ex arte Chymica parata medicamenta, invenies in *n. Appendice ad Pharm. Augustan.* & *Mantissa Spagyrica.* Ea igitur cum cœteris hoc n. in

opere hinc inde citata & allegata loca relegere & hûc referre, Te rogatum volo.

Hiſce, Amice Lector, Coronidem ac ultimam imponimus manum Lucubrationibus noſtris; quas indeſeſſo hactenus conatu ac vigiliis, velut totidem temporis ſpoliis, continuavimus. Nondum, fateor, abrupiſſem filum, quin Miſcellaneorum & rariſſimorum Medicaminum ſeriem ac claſſem ultimam attexuiſſem, magno, non dubito, Philiatrorum emolumento; niſi me irrequieta Praxis, & negotiorum moles, tantùm non opprimeret; vel potiùs, niſi inglorii Thraſones & Zoili, malevolorum & petulanter inſanientium turba velut totidem ſapientiæ probra & ſpurii fœtûs, omnem everterent genium, ac deluderent conatum; dum propria ſolùm adorant, quæ verò alieno Marte præclarè geſta, emiſſitiis ac faſcino plenis oculis ſuis & ſupercilio contumeliosè deſpiciunt. Quos ut impoſterum cautè devitem, laſſatos repono artûs, ac pennam pro nunc recondo, deinceps in pacis umbra, & ſapienti otio, reſpiraturus. Dabit interim DEUS his monſtris, & Hydræ, Herculem: quibus triumphatis, uberiora pandam arcana, nec non victorias lætumque Pæana decantabo. Tu interim, Amice Lector, noſtris lætus gaudeto manipulis & laboribus; quos inter lachrymas, & nunquam deterſis ſudoribus, ſeminavimus. Vale, & vive benignus tuo, qui pro te has tulit excubias, Zwölfero. Dixi.

INDEX

INDEX GENERALIS.

Classis I.

Syruporum Alterantium, Mellium, Julcporum, Mivarum, & Rob, veram componendi rationem explanans. 1

Classis II.

Syruporum Purgantium structuram complectens. 44

Classis III.

Electuariorum Lenientium parandi normam exponens. 61

Classis IV.

Electuariorum Solutivorum mollium structuram comprehendens. 70

Classis V.

Confectionum Solutivarum solida in forma parandi modum proponens. 79

Classis VI.

Pilularum Compositiones exhibens. 89

Classis VII.

Extractorum genuinum conficiendi modum tradens. 103

Classis VIII.

Decoctorum structuram explicans. 119

Classis IX.

Pulverem Medicatorum Compositiones edocens. 133

Classis X.

Eclegmatum, Diacodiorum, & Lohoch, formulas describens. 151

Classis XI.

Specierum seu Pulverum Aromaticorum dextram conficiendi normam demonstrans. 158

Classis XII.

Trochiscorum ritè parandorum rationem veram indicans. 179

Classis XIII.

Pastarum Odoratarum, & Suffituum, parandi modos recensens. 188

Classis XIV.

Confectionum Antidotalium, Narcoticarum, seu Opiatarum, Cordialium, & consimilium, dexterrimas Compositiones, studiosè descriptas, denotans. 202

Classis XV.

Aquarum compositarum, Infusionum, & Essentiarum, absolutissimam præparationem tradens. 266

Classis XVI.

Oleorum Coctorum & Expressorum seriem dilucidans. 363

Classis XVII.

Unguentorum structuram studiosè definiens. 384

Classis XVIII.

Emplastrorum debitè parandorum formulas indigitans. 408

Classis XIX.

Ceratorum ac Cataplasmatum parandorum modum significans. 429

INDEX

INDEX CAPITUM IN MANTISSA.

Cap. I.

De Auro Metallo, seu Sole. 444

Cap. II.

De Argento Metallo, seu Luna. 469

Cap. III.

De Chalybe, seu Ferro. 472

Cap. IV.

De Ære, seu Cupro. 481

Cap. V.

De Stanno. 488

Cap. VI.

De Plumbo, seu Saturno. 490

Cap. VII.

De Mercurio, seu Argento vivo. 496

Cap. VIII.

De Antimonio. 511

Cap. IX.

De Vitriolo. 533

Cap. X.

De Sulphure. 548

Cap. XI.

De Sal-Nitro, seu Sale Nitri. 558

Cap. XII.

De Tartaro. 567

INDEX SPECIALIS.

A.

Absinthii Essentia liquida. pag. 306
Absinthii Essentia vera. 305
Absinthii Extractum essentiale. ibid. 306
Acaciæ Succus concretus sub censuram venit. 323
Acetorum Medicinalium vera præparatio. 299
Acetum anti-Pestilentiale. 298
Acetum Scilliticum Scillæ virtutes destillando non fundit. 311
Acida, ac Syrupi & Liquores acidi, ac vinosi, non in cupreis, vel aurichalcinis, instrumentis, sed fictilibus debitè vitreatis, sunt coquenda. 4
de Acidorum Spirituum præstantia quid Quercetanus. 553
Acidulæ Aquæ, & Fontes, unde originem suam habeant. 536
Acidulæ sunt Tincturæ quædam, & impræg-natus Liquor, è quo mineralium ac metallorum virtus, natura, & crasis, resplendet. ibid.
Adstringentes virtutes florum & herbarum inter destillandum in fundo & residuo manent, 316
Agaricus Trochiscatus ventilatur. 321
Agaricus ventriculo inimica qualitate hostilis, indignus, qui Theriacæ adnumeretur. 222
Agaricus vim habet exurendi, ibid.

de Aga-

de Agarici natura & indole, variæ diversorum Authorum sententiæ. 220. seqq.
Agyrtarum, super abacos & theatra, fraus & dolus, in assumendis venenis. 200
Agyrtarum ampla privilegia multorum malorum causa sunt. 554
Agyrtæ, turpi lucro inhiantes, uni medicamento sexcentas adscribūt virtutes. ibid.
Agyrtis miserrima plebs facilè fidem adhibet, sanitatis & vitæ suæ detrimento. ibid.
Albumen ovi in corpus album & solidum à calore protinus coagulatur; nullâ arte ad pristinum esse reducibile: nec in destillatione simplici sublime petit. 358
Alexiteria altioris ordinis sunt, quàm puræ qualitates, & accidentia purè materialia. 212
Alexiteria Germaniæ quoque sua innascuntur. 209
in Alexiteriis appropriatis hallucinamur, & in sicco navigamus. 200
Alexiteriorum simplicium exacta resolutio; quantum de quolibet unciam dimidiam Theriacæ correctæ intret. 239
Alexiteriorum simplicium quantum unam dosin Theriacæ Veterum intret. 241
Aloës corpus & basis est Pilularum purgantium. 89
Alumen plumosum minerale est, naturâ suâ fixissimum, omnem etiam ignem reverberii eludens: hoc si vel per mensem continuo agitatu destillaretur, ne vel minimæ virtutis vestigium funderet. 359
Amuleta anti-Pestilentialia qualia esse debeant 191
Amuleta contra Pestem. 194
Amuleta ex Arsenico & Mercurio, additis cordialibus & alexipharmacis, reprobantur. 198. 199
Amuleta quâ ratione venenis adversentur. 195. 197
Amuleta ratione symboli venenum allicere debent. 200
Amuleta talibus constare debent, quæ veneno sint veluti analoga & homogenea, vel antipathia quadam venena propellant, 201
de Amuletis anti-Pestilentialibus, D. D. Joan. Chrysost. Irmbler. Stat. Morav. Proto-Medicus. 195
Amuletis Antiquitas multum tribuit: & quid Celeberrimi Viri de iis senserint. ibid.
Amuletum unum omnibus venenis indiscriminatim adversari nequit. 198
Animalia, eorumque partes, in veros cineres nunquam abeunt: adeoque eorum præcepta antiquitus incineratio amethodica est. Sal enim fixus ex iis elici nequit. 309
Animalia in universum nihil in se fixi concludunt, quàm terram mortuam, sterilem & exsuccam. 318
Animalia occisa, eorumque carnes, æstivo tempore putredinem protinus, & vermiculos, concipiunt; pestilens venenum, & Mephitim, exhalant. 319
Animalia putrida, eorumque carnes, semina Pestis putridæ exhalant, & morbos Epidemios suscitant, idque ratione symboli. ibid.
Animalia singularem destillandi rationem & dexteritatem exposcunt, si quis eorum vires & substantiam elicere velit. 434
Animalium decoctio prævia, ante eorum destillationem absurdissima est. 333
Animalium tota crasis & energia in ipso sale volatili delitescit. 280
Animalium vera analysis per destillationem, & principiorum separationem. ibid.
Animalium vera analysis Veteribus non fuit nota. 318
Animalium vivificus spiritus, tanquam prima eorum virtus & efficacia, coctione protinus exhalat: nutritiva verò substantia, ac radicalis eorum humiditas, residua in decocto manet. ibid.
Anisum solutivum solidum. 83
Anodynum minerale seu Nitrum fixum. 563
Antidotus Theriacalis prima. 247
secunda. 248
Antimonii Balsamum. 527
Butyrum. 521
Cinnabaris. ibid.
Antimonii definitio. 511
Essentiæ. 527. seqq.

Antimonii Essentia emetica. 530
Mercurius. ibid.
Oleum corrosivum, quod Butyrum vocant. 521
Regulus sine additione. 518
sine Marte. 517
Stellatus. 516
ex Antimonii Regulo, & proprio ejus Mercurio, Agricola Essentiam haud inelegantem parare docet. 517
Antimonii Sal. 525
Sal ex vitro. 526
Sulphur. 527
vid. plura in Sulphur. Antimon.
Tinctura, seu Essentia. 527
Vitrum sine additione, & quæ circa ejus præparationem observanda. 514
Antimonii Vitrum summis extollit laudibus Basil. Valentinus, ac lapidem suum ignis ex eo confiecre docet. 516
ab Antimonii vitrificatione ferrea instrumenta abarcenda. 514. 515
Antimonii proscriptionis, & querelarum super illud, malè feriatorum hominum temeritas & audacia unica causa est. 513
varia nomina. 512
virtutes. ibid.
Antimonio diaphoretico vita tolli potest, & prorogari, solo artificum discrimine. 443
Antimonium cuncta Metalla devorat. 515
diaphoreticum, & quæ circa ejus præparationem & exhibitionē observanda. 519. 520
diaphoreticum, nisi constet, legitimè elaboratum fuisse, repudiandum potiùs, quàm ordinandum. 443
de Antimonio diaphoretico cautela. 136
ex Antimonio, & ejus butyro, Panacea. 524
Antimonium diaphoreticum non ad longum tempus asservandum. 136
diaphoreticum Solare, seu Auratum. 519. 520
ex iisdem, quibus metalla, principiis conflatum. 511
Antimonium indigestum corpus est; quod natura ad latera perfectorum metallorum collocavit. 512
Hungaricum præ omnibus amplectendum, quod ex Aurifodinis eruitur, nativum. ibid.
pro haud exigua sui parte, in perfecta tandem metalla transire potest. ibid.
qui Authores commendarint. ibid.
ut & vulgaria quædam ex eo parata medicamenta, s. pharmaca, tanquam culter in manu pusionis, aut ensis bifidus in dextra stulti sunt. 513
utrum tàm exitiale venenum, uti inexperti osores illud allatrant, doctissimus Quercetanus declarat. 512
de Apum natura & regimine. 32. 33
Aquæ animalium Essentiales quomodo parandæ. 280, 281
ex animalibus vivis quomodo destillandæ, eorumque spiritus vivificus conservandus. 280
è vivis animalibus destillatæ spiritu vivifico gaudent, & magnæ sunt efficaciæ. 208
in Aquarum destillandarum compositionibus non solùm, sed etiam in aliis, alterius formæ ac consistentiæ, medicamentis diversorum Authorum, infiniti reperiuntur errores, qui eadem limâ ac spongiâ opus habent. 359
Aquarum destillandarum compositionem vix ullam repereris, quæ ob ingentes errores non sit abominabilis. 312
Aquas compositas dextrè dispensare & concinnare, duce Philosophia & exacta rerum cognitione opus est. 266
Aquæ destillatæ, pro extrahendo chalybe, spiritu Sulphuris priùs acidulæ reddendæ. 8
Aquæ compositæ Quercetani, quæ ob decumanos errores sunt abominabiles, enumerantur. 311

in Aquis deſtillandis compoſitis quantopere Authores hallucinentur. 281
Aquarum compoſitarum genuina deſtillatio prægrandes patitur difficultates. 267
Aquæ ex herbis ipſis deſtillatæ longè antecedunt illas, quæ ex ſuccis earum expreſſis eliciuntur. 323
Aqua è Carnibus deſtillata propriè aquæ elementari æquiparari poteſt. 332
Aqua ex mica panis, ex mente Mynſichtii, Phthiſicos curare debet, quos nec panis indies comeſtus, aut in panatellas & alia fercula converſus, à phthiſi liberare valet. 329. 330
Aquas deſtillatas ſpirituoſas decoctionibus deſtinare, abſurdiſſimum eſt. 302. 310
Aqua Alexipharmaca. 273
Aqua Aloëtica Mercurialis. 285
Aqua ex Abietis ſummitatibus ſummo Vere deſtillanda. 29
Aqua Anodyna. 289
Aqua antApoplectica. 271
antApoplectica alia. ibid.
antApoplectica Mineralis. 272
Arthritica. ibid.
Aſthmatica. 274
ad Auditum. 273
Embryonum. 275
Aqua Carbunculi Schröderi. 351
Aqua Carminativa. 278
Cephalica & antEpileptica. ibid.
Aqua Cinamomi, per noctem poculo aurichalcino vel argenteo infuſa, vim Emeticam contrahit. 4
Aqua Cordialis Calida. 276
Frigida. 277
Frigida alia. ibid.
Aqua Coſmetica Mynſichtii. 341
Aqua Coſmetica Schröderi. 352
Coſmet. pretioſa Schröderi. ibid.
Dyſenterica Quercetani; ejusque examen. 312
Aquæ Dyſentericæ Quercetani compoſitio Muſica videtur, ex diſſonis & ingratiſſimis vocibus accumulata. 320
Aqua antEpileptica & Cephalica. 278
antEpileptica alia, ſeu Hirundinum compoſita. 279
Aqua antEpileptica alia, è volucrum ſpecie differentium pullis. 282
antEpileptica & antiPodagrica. 283
Aqua pro Epithemate cordis. 278
ex Helleboro deſtillata ſapore acri gaudet. 49
Hirundinum antEpilepticæ Quercetani binæ, earumque Cenſuræ. 307. 308
Hirundinum Compoſita. 279
Hypnotica, ſeu Anodyna, aut ſomnifera. 289
Hyſterica. 285
Laxativa efficacior. 59
Ordinaria Viennenſis. 44
Laxativa pro uſu quotidiano. 59
Maſtichina ſtomachica. 284
Mercurialis Aloëtica. 285
Mercurialis ſ. Mercurii. 506
pro Aqua Mercuriali Inſtrumentum deſtillatorium, æri inciſum. 509
Mercurii alia. 506
Mercurii Rudolpho Imperatori S. M. adſcripta. 507
Nephritica. 286
Nitri, & quomodo dexterè paranda. 344. 345
Nitri ſimplex, ſeu aqua Regia Ferdinandi, non niſi aquæ ſimplitis deſtillatæ vires æmulatur. 345
Odorifera. 287
Odorifera pro Epithemate Cordis. 287
Pulſuum. ib.
Opthalmica, ſeu ad Oculorum inflammationes. 286
Perlarum Conforsativa. 290
Aquæ anti Phthiſic. deſcriptio vera. 327
pauca, vel nulla, ingredientia in ea numerabis, quæ liquorem deſtillatū fœcūdent. 328
Aquæ anti Phthiſicæ Mynſichtii compoſitio uti mendoſa; ita & aliæ binæ ipſius Aquæ, Caponis, & Pulmonum Vituli, unum producunt monſtrum. 334
pro Aqua anti-Phthiſica Mynſicht. Limaces & Gallinarum jecora cenſuræ ſubjiciuntur. 335

Aqua anti-Phthisica Mynsichtii præclaros sæpe viros, Magnalia de ea sperantes, spe & effectu frustravit. 336
ex Aquæ anti-Phthisicæ Mynsichtii ingredientibus quæ remedia salutaria conficienda. ibid.
Aqua anti-Pht. nil, præter speciosa verba & promissa, continet. ibid.
Aquæ ex Populi Oculis summo Vere destillandæ. 28
Aqua anti-Podagrica. 283
Aqua Physogona. 288
Pulmonum Viruli, & Caponis, non citra magnorum errorum ludibrium Armamentario suo à Mynsichtio inserta. 332
Purgans. 289
Aqua Regia Ferdinandi non nisi aquæ simplicis destillatæ vires æmulatur. 345
anti-Scorbutica. 274
Somnifera. 289
Aqua Theriacalis Mynsichtii. 341
contra Vermes Mynsichtii. 340
Vitæ Carminativa. 288
Vitæ Cephalica & Stomachica. 291
Vitæ anti-Pestilentialis. 292
Vitæ Stomachica, & Cephalica. 291
Aquis Medicatis metalla & mineralia corpora naturâ suâ, seu entitativè, non insunt. 537
Arantiorum Essentia Saccharina. 167
Arantiorum Oleum destillatum essential. in Baln. n. vaporos. dexterrimè confici potest. 269
Arantiorum Ol. destill. essential. prægressâ fermentatione destillatum, Terebinthinam spirat, & successu temporis incrassatur. ibid.
Arcana Naturæ Ruricolæ & Venatores sæpe possident. 200
Arcani duplicati anti-Febtilis legitima præparatio. 565
Arcanum duplicatum Holsatiense anti-Febrile examinatur. 564
Arcanum corallinum est Mercurius sublimatus dulcis rubeus. 499
s. Præcipitatus aureus. 466
Archei fadaivum Sulphur Vitrioli anodynum. 478. & seqq.
Argenti singulare Vitriolum, ad hydropem Anasarcam, Agricolæ. 471
Argenti vivi definitio & Genealogia. 496
Argentum à Chymicis Luna dicitur, & æquiparatur Lunæ Cœlesti, 469
in Macrocosmo Lunam, in Microcosmo Cerebrum, sympatheticè & analogicè repræsentat. ibid.
in Morbis Capitis curandis, peculiaris efficaciæ perhibetur. ibid.
nobile metallum, ignobilius tamen ac imperfectius Auro. ibid.
vivum corporum, vulgari magis est coctum. 531
vivum est liquor Mineralis & Metallicus: aquanon madefaciens manûs. 496
vivum vulgare temperamenti est præter modum frigidi & humidi. 531
Argenti vivi proficiendi methodum è corporibus consultò Veteres silentio præteriverunt. 532
Aromatici Pulveres compositi quale medicamenti genus, & quæ sub eo contineantur. 158.
Aroph Paracelsi, Aroma Philosophorum sonat. 477
Ars destillatoria abdita hactenus fuit. 266
Aurati Pulveris descriptio. 447
Auri Amalgamatio an vera & Philosophica, radicalisque sit ejus solutio, aut principium solutionis. 451
Amalgamatio, ejusdemq; præcipitatio. ib.
Calx, seu Crocus, quoruplicitèr fieri soleat. 449
crudi, in Pulverem saltem redacti, encomia, & virtutum testimonia. 446. 447
Auri definitio. 444
de Auri Essentia, seu Auro potabili. 452
Auri Essentiæ alia descriptio. 456
Minera rubicunda, vulgò Roth gulden ärtz dicta, Argenti potiùs minera est, sublimatum præbet albissimum, haud spernendum. 468
Auri Philosophica solutio quæ. 455
Tincturæ augmentatio. ibid.

ex Auro

ex Auro naturali, ignem nondum experto, albicans, siccusque sublimatur spiritus. 467
Aurum analogia quadam vitalia nostra, Cor, Magnetismo quodam, ac insita occulta activitate, tutatur. 447
Essentificatum cum Antimonii tinctura. 452
Foliatum an destillationibus debitè subjiciatur? aut, utrum destillatæ aquæ, ad mentem Schröderi, dextrè admisceatur? 353
Foliatum cur Veteres multis immiscuerint medicamentis. 445
Fulminans, seu Sclopeticum, inflammabile. 451
hieroglyphico ac mystico sensu sub Solis schemate à Majoribus nostris figurabatur. 445
in Medicina magnæ est notæ. ibid.
Sclopeticum inflammabile. 451
Sol mineralium, & metallorum Princeps. 444
Author falsò & imprudenter arguitur contrariis judiciis. 405
Authoris institutum. 7. 157. 233. 405
de Authoris Operibus varia & iniqua judicia. 405

B.

Balnearum Sulphurearum virtutes. 556
Balnea Sulphurea artificialia quâ ratione paranda. ibid.
Balneum Thermarum succedaneum. ibid.
Balnei sudores exantlare non possunt, quæ ignem reverberii & furnos reperta ac pertæsa. 348
Balneum vaporosum ad deficcationes animalium, & aliarum rerum, pro pulveribus conficiendis Viperarum, Serpentum, Typhorum Cervi, &c. aptum. 270
vaporosum non levissimum destillandi genus. 269. 270
de Balneo vaporoso Objectio, ibid.
Balneum parcis sumptibus, exiguo labore, plurimis destillationibus subservit. ibid.
vaporosum typo expressum. 267
Baln. vaporos. utilitas. 269. 270
Balsamum Antimonii. 527
Embryonum. 275
Balsamus Martialis. 480
Saturni. 493
Solis seu Auri. 466
Stomachicus. 444
Sulphuris. 554
Tartari. 580
Balsamum Vulnerarium. 372
Vulner. aliud Martiale. 373
Vulner. aliud ex Sulphure. 374
Bezoardicum Joviale. 489
Lunare. 469
Minerale. 525
Solare, ejusque exacta analysis. 448
Borax Veneta aquis destillandis quid conferat? examinatur. 347
Borac. Venet. esse salem Alkali, ad destillationes simplices, impertinentem, demonstratur. 358
Botanicorum hæreses, in assignandis qualitatibus herbarum ex sapore, & aliis accidentibus. 213
Bufones ad Amuleta quomodo præparandi. 194

C.

Cæsar ter Felix Ferdinandus III. S. m. Chrysopœiæ tributum ad Aram Apollinis suspendit. 463
Calx Auri seu Solis, quotupliciter fieri soleat. 449
Candelæ pro fumo, seu pro suffitu, pretiosæ. 189
viliores aliæ. ibid.
Canes majori appetitu feruntur ad Ossa comminuenda, quàm carnes devorandas: & cur. 207
Capellæ probatoriæ ex quibus rebus parentur. 318
Capones, serpentibus æquè saginari possunt, ac viperis. 209
Caprinum lac: vid. Lac Caprinum.

Caput mortuum Vitrioli pervestigatur. 541
Carnes, an fructûs horarii, num putredini magis obnoxii. 319
Carnes & Animalia putrida pestis semina exhalant. ibid.
Carnium esum liberè indulgere, & horariorum fructuum usum interdicere ægrotantibus, reprobatur. ibid.
Caro sine Ossibus elixata insipida præbet jusculà. 207
Caryophylli pro Aqua Hirundinum inconsultè priùs decoquuntur. 310
Cassiæ Pulpa. 62
Cassia extracta Laxativa. 64
pro Clysteribus. ibid.
Laxativa secunda. 63
Solutiva prima. 62
dia Cassia Anodyna. 64
cum Manna. 63
refrigerans. 64
Castoreum cur Author Laudanis non associarit. 92
Cataplasma Cephalicum in Deliriis. 437
ad Contusiones & Livorem Faciei. ibid.
Cordiale. 438
ad Enterocelen, insigne, & ad alias Rupturas. ibid.
ad Tumores duros Artuum, vulgò wider den Gliedschwamm. 439
Cataplasma s. Ceratum ad Tumores œdematosos & duros. 436
Catapotia s. Pilulæ, quale medicamenti genus. 89
Catharticum unum idemque, morbos re & specie differentes extirpare potest. 228
ex Catulo castrato saginato pingvedo antiPhthisica. 340
Cerata inter & Emplastra exigua est differentia. 429
paulò molliora sunt Emplastris. 408
Ceratum de Betonica Cephalicum. 429
Cephalicum aliud de Betonica, hyberno etiam tempore parabile. 431
ad Hernias. ibid.
ad Hernias aliud. 432
Matricale. ibid.
Ceratum ex Pelle Arietina. 433
dia Quercinum. ibid.
ad Rupturas. 431
Santalinum. 433
Santalinum nostra Methodo dispensatum decuplo plus efficaciæ ac virium compromittit, quam Ceratum illud Veterum stylo præparatum. 434
de Cerati Santalini legitima præparatione discursus. ibid.
Cerussa alba, Plumbi soboles, neque ab Aquis destillatis extrahitur, neque cum iis per destillationem in sublime fertur. 356
de Chalcitide quæ Authores Classici ad nos transcripserint 225
Chalcitis deleteriâ indole & qualitate scatet: digna ut è Theriaca proscribatur: Ejusdem varia nomina, & quid in vicem ejus substituendum. ibid. 226. 227
Chalcitis species Vitrioli nativi, ejusque anatome. 224
Chalcitid. vis & efficacia. ibid.
Chalybis fusio cum Sulphure, ejusque præparatio, secundum Crollium. 9
Chalybs purius ferrum. 472
Chrysopœiæ tributum Ferdinand. III. Imperator, ad Aram Apollinis suspendit. 463
Chrysopopœjam probat Helmontius. 462
Chymia non est illa, quæ violentissimis saltem emeticis, malignis, Mercurialibus, ac infidis Antimoniatis medicamentis toti orbi exitium minitatur, sed quæ Agyrtas & impostores fugat, noxia & infida remedia emendat; individua comes Pharmaciæ: item salutiferas Panaceas procreat. 443. 444
quo loco nobis sit deinceps habenda, ne generico quodam & universali anathemate illam feriamus, aut communi odio aversemur. ibid.
Chymia strorum & impostorum facinora, funestæ tragœdiæ, & spectata homicidia, novercalia odia, & totius orbis publicas subsannationes, in veros & peritos Chymicos causant. 442

Chymica remedia, præsertim quæ ex Antimonio & Mercurio trahunt originem, ad calculum & rigorosum examen vocantur. 443
Chymicè, h. e. dextrè, assiduè & convenienter, elaborata reperiuntur omnia fere medicamenta hujus Pharmacopœiæ Regiæ. 444
in Chymicis medicamentis vulgariter elaboratis ordinandis, cautelâ opus est. 442. 443
de Chymicis processibus: vid. Processus Chymic.
in Chymicis laboribus etiam levissimis magna circumspectione & prudentia opus est. 515
Chymicorum triste illud & lugubre verbum ubi insonat, nemo non totis artubus contremiscit: & cur. 442
Chymicum ratio præveniat, & comitetur pedissequa, quâ duce & comite naturæ arcana est percepturus. 357
Chinæ Radicem totus Medicorum populus coqui, recoqui jubet & ordinat: non igitur destillando virtutes ejus adipiscemur. 330
Citeres, esculenti fructûs, difficilioris coctionis & concoctionis, nihil fructuosi in destillatione humida exhalant. 359
Cinamomum Coctum. 176
Coctum aliud. ibid.
Cinnabaris Antimonii. 521
Factitia. 511
Nativa. 510
Citri caro condita suis viribus castrata est. 264
Essentia saccharina. 167
Citr. Oleum sine ulla additione aquæ stillandum. 169
ex recentibus, non fermentatis, corticibus destillandum. 169
essentiale in Baln. n. vaporoso dexterrimè destillari potest. 269
essentiale prægressâ fermentatione destillat. Terebinthinam spirat, & successu temporis incrustatur. ibid.
Citri succi concentratio inanis. 4
Clareta purgantia. 132
Claretum Hydragogum. 57
Laxativum. ibid.
S. Vinum Hippocraticum aliud. 131
Cloacæ acutissimi Salis volatilis urinæ spirant odorem. 191
Clyssus Vitrioli, seu Spiritus Vitrioli Essentificatus. 544
Colcothar, seu caput mortuum Vitrioli, quid. 541
Colocynthis difficulter in pulverem redigitur: & quomodo id fiat. 106
Colocynthis in Extractione Resinam præbet. ibid.
Collyria, sive Sieff, Arabibus dicta, quale medicamenti genus. 188
Composita, ad unitatem & simplicitatem magis redacta, majoris sunt efficaciæ. 233
Composita medicamenta: Vid. Medicamenta composita.
Composita compositis cumulare, vitiosus circulus, & decumanus error est. 320
Composita quædam dari medicamenta, in pluribus affectibus magni usûs, non negatur. 228
ad Compositionem quamcunque talia uniendа, quæ homogeneâ ac symbolicâ virtute ad unum eundemque scopum ac indicationem collimant. 133
in Compositionibus vulgatis Authorum Aquarum destillandarum tot utplurimum numerabis errores, quot partes totam Compositionem ingrediuntur. 307
Compositiones Emplastrorum congruas construere qui satagit, necessum est, ut rerum Medicarum immaniter variantium exactam habeat notitiam. 409
in Compositionibus dextrè construendis, non tàm ad pondus, quàm ad vires & crasin, simplicium respiciendum. 231
in Compositionibus medicamentorum consona consonis sociare, nec dissonis harmoniam medicamenti conturbare decet. 7
in Compositorum medicamentorum præparationibus Authoris mens quo collimet. 4. 5. 165

Compositionum quarundam exactam censuram gravibus de causis ac summè necessariis instituit Author. 361
de Conditis, & Conservis. 263
Condita quâ ratione & dexteritate paranda sint, ne effœta in viribus suis reddantur. ibid.
Confectio Alexipharmaca Regia. 249
Alkermes. 251
Anacardina Cephalica. 253
Anisi solutiva Emetica. 82
solutiv. solida. 81
Citrata Emetica. 83
Cordialis Regia. 254
Cordialis alia. 255
Hepatica Calida. 257
Refrigerans. 258
adversus Lumbricos. 84
S. Condit. Pectorale anti-Phthisicum. 259
Confectio Solida quid, & quotuplex. 79
Confectiones solutivæ in forma solida quæ, & cur inventæ. ibid.
Confectiones, cum Saccharo paratæ, cur brevi sua sponte incrustentur, & indurescant. 250
Confectiones saccharatæ cur inventæ. 80
Confectio splenetica. 261
Confectionum Saccharatarum exacta descriptio. 80. 81
in Confectionibus Saccharinis unionis, & glutinis instar se habet Saccharum. 174
Confectiones variæ Medicatæ quomodo parandæ. 82
Conficiendi modus vulgaris ad amussim describitur. 80
de Conservis. 263
Conservæ non sacchari, sed florum & herbarum retentium, causâ dispensantur. 264
Conservæ, propter sacchari admixtionem, ad destillationes ineptissimè substituuntur. 329
Conserva Radicum Consolid. majoris, ac ipsa radix, nihil efficaciæ beneficio destillationis fundit. 328
Conserv. Rosarum à Mynsicht, frustra destilandis additur. 334
Conserva Rosarum iteratò phthisicis exhibita plurimum conducit. 329
quid inter destillandum communiter. ibid.
Cornu Citri Rasura pro Aquis destillandis perperam adapratur. 241. 342
Spagyricè calcinatum quomodo paretur: & quid de eo inferendum sit, clarè describitur. 342
Ustum præparatū examinatur. 317
Cortices Citri recentes aptiores sunt siccis, pro destillatione. 314
Cranium humanum in cineres velle redigere, ac exinde salia elicere, est absurdum. 310
Croci Essentia efficacissima. 327
Extractum an eundem, cum Croco, in sua substantia, usum habeat. 326
in multis ejusdem virtutibus deficit. ibid.
Crocus Auri quotupliciter fieri soleat. 449
Auri, seu Solis, purpureus. ibid.
Solis alius. 449
in sua substantia remedium Dysentericum insigne. 326
in forma Extracti ubique in Officinis prostat, in Liquore verò destillatus nullibi locorum reperitur, 325
num juxta artis & naturæ Leges, magis in forma Extracti, an sub destillationis & liquoris eliciti forma emolumento sit. ibid.
Martis adstringens. 475
Martis adstringens ab aëre humido & frigido in vitro probè clauso est præservandus. 541
Martis adstringens est etiam Caput mortuum, à destillatione spiritûs Vitrioli Martis residuum. ibid.
Martis adstringens, ex natura sua insigne anti-Dysentericum, citra manifestum errorem destillationi nunquam committitur. 324
Martis Cachecticus. 475
Metallorum. 474
ex Vitriolo Veneris. 484. 541
Orientalis aroma pretiosum, à nonnullis Aroma Philosophorum dictus, & quo ductu Querceranus cum Aquæ

Aquæ suæ Dysentericæ inseruerit. 325
Cuprum Metallum insalubre, 481
comparatur Veneri cœlesti, à qua & nomen in Chymia adeptum est. ibid.

D.

Decocta in Pharmacopolis quid, & quale medicamenti genus. 119. 120
quâ ratione dextrè paranda. ibid.
quotuplicia: & quare locum in Officinis invenerint. ibid.
Decoctio prævia animalium, eorumque partium, ante eorum destillationem, est absurdissima. 332
Decoctiones, & Destillationes, ex natura rei sibi contrariantur, & cur. 314
Decoctiones specierum Carminativarum non in aperto vase, sed in Alembico suo capitello munito instituendæ. 123
in Decoctionibus non crassiores, sed rariores & subtiliores, partes rerum decoquendarum inprimis vaporetenus exhalant. 333
Decoctionibus quæ simplicia destinanda. 119
in Decoctis Radicum & Fructuum potiores earum virtutes & dotes latitant. 263
Decoctum Aperitivum tempore verno, & æstivo. 121
contra calculum Nephriticum. 123
Decocti contra Calculum species. 124
Decoctum, s. Galreda, aut Gelatina, Caponis, pro Phthisicis, & Marasmo consumptis. 121
Carminativum, contra flatûs. 123
Decoct. Carminat. species. 122
contra Dysenteriam. 124
ad Erysipelata. 129
florum & fructuum species. 126
Foresti species correctæ. 125
Hepaticum. ibid.
aliud quocunque tempore parabile. ibid.
pro Decocto Hepatico & Splenetico aperitivo species tempore hyemali. 123
Decoctum Hydragogum. 125
ad Inflammationes. 129
ad Mensium muliebr. obstruct. 127
anti-Phthisicum. ibid.
aliud. 128
Spleneticum. ibid.
anti-Scorbuticum. ibid.
contra Sputum sanguinis. 129
Decoquendi modus è diametro opponitur modo destillandi vegetabilia. 301
Dentifricia qualiter debeant esse constituta. 143
Destillandi modo è diametro opponitur modus decoquendi vegetabilia. 301
Destillationi uni & eidem methodo planè præposterâ fixa pariter & volatilia, mineralia, cum vegetabilibus & animalibus, ipsisq; metallis committuntur. 267
Destillationes, & Decoctiones ex natura rei sibi contrariantur, & cur. 314
error Quercetani in hac re. ibid.
ad Destillandum species diamarg. fr. semin. 4. frig. maj. Mica panis, & conserv. Rosar. frustra a Mynsicht. decreta. 334
nihil virium conferunt Conservæ & Radices pleræque. 328
C. C. rasura. 341
Crocus Martis adstringens. 324
in Destillatoria arte Antiquorum simplicitas patet. 359
Destillatorium Instrumentum inventionis Authoris. 267
aliud pro Aqua Mercuriali. 510
Destillationibus humidis minùs dextrè committuntur myrrha, thus, & masticha. 358. 359
Destillationibus quæ non sint applicanda. 313
Diacitrum solidum solutivum. 83
Diacodion quid, & quale medicamenti genus. 150
Actuarii correctum. 153
Asthmaticum. 153
Dysentericum. 153
Simplex Galeni. 152
Bapt. Montani. ibid.
Pectorale Papaverinum. 151
Solidum. 153

Diacodion contra Sputum sanguinis. 154
Tussim diuturnam. 149
Diacorum Stomachicum. 250
Diacydonites Aromaticum. 262
Pellucidum. ibid.
Pellucid. purgans. ibid.
Simplex. 261
Diacydonium solutivum. 85
Diaphoreticum ex sulphure Antimon. 523
Diasatyrium conditum. 260
Draco fortificatus. 566

E.

Ebur ustum per omnia cornu Cervi ustum æmulatur: in quo, peractâ ejus calcinatione, reliquum nihil est, quod destillationi deserviat. 350
Eclegma quid, & quale medicamenti genus. 151
Electrum minerale immaturum Paracelsi quid. 468
Electuarium quid, ac quotuplex, & cur inventum. 61. 62
Electuaria, cum saccharo parata, cur brevi, suâ sponte, incrustentur, aut crystallisentur & indurescant. 250
Electuariorum farrago, eorumque inconcinnæ Compositiones, reprobantur. 70
Electuarium Anodynum. 259
Carminativ. de Baccis Lauri. 254
Chalybeatum. ibid.
Commune. 77
contra Dysenteriam. 256
Hydragogum primum. 72
secundum, de Spina Cervina. 73
Lenitivum pro Clysteribus Anodynis, & Carminativis. 65
Lenitivum & Mitigativ. 74
Magistrale purgans. 71
Mitigativum. 259
Panchymagogum. 74
Passulatum. 69
anti-Phthisicum. 338
Rosatum purgans. 75
de Spinâ Cervinâ. 73
Elixir Allii rum anti-Pestilentiale. 292
Elixir, s. Aqua vitæ anti-Pestilentialis. ibid.
Elixir Vitæ Cephalicum. 291
Stomachicum. ibid.
Emplastra inter & Cerata, exigua est differentia. 429
Emplastra paulò solidiora sunt Ceratis. 408
Emplastrorum compositiones congruas qui construere satagit, necessum est, ut rerum Medicarum, immaniter variantium, exactam habeat notitiam. 409
Emplastrorum dextræ præparationes Pharmacopœos non leviter erudire possunt. ibid.
Emplastrorum præscriptæ nostræ præparationes non Lippis & Tonsoribus, & cuivis Circulatori, obviæ sunt. 427
in Emplastrorum Veterum descriptionibus, quantum à recto tramite deviatum sit, & quàm conspicui errores undique oberrent, ex serie nostrarum præscriptionum eluceseet. ibid.
Emplastrum Album coctum. 409
Anodynum s. anti-Podagricum. 419
de Baccis Lauri Stomachale. 410
Basilicum Vulnerarium. ibid.
de Lapide Calaminari, ad ulcera fluida antiqua. 411
Catagmaticum, seu ad Fracturas Ossium. 412
Cephalicum Regium. 411
Citrinum vulgare. 412
Defensivum. ibid.
Diachylon simplex. 413
cum Gummis. ibid.
Diaphoreticum. ibid.
ad Fracturas Ossium. 412
Hepaticum. 414
aliud. ibid.
ad Hernias. 421. 424
ad Hydropem. 416
Ischiadicum. ibid.
Magneticum Anti-Pestilentiale Angeli Salæ. ibid.
Emplastrum de Meliloto. ibid.
Mercuriale anti-Vener. 425
de Minio. 416
Nervinum. ibid.
aliud anti-Podagr. 417

Emplastrum Oppodeldoch. 417
Oxycroceum. 418
dia-Palmæ. ibid.
Pectorale. 425
de Plumbo, 420
anti-Podagricum. 417. 419
aliud Anodynum. 419
de Ranis cum Mercurio. 420
ad Rupturas s. Hernias. 421
de spermate Ranarum. 420
Splenecticum. 422
Stomachicum. ibid.
aliud. 423
Regium. ibid.
de Symphyto ad Hernias. 424
Triapharmacum. ibid.
anti-Venereum, s. Mercuriale. 425
Vesicatorium. ibid.
Vulnerarium. ibid.
aliud ad Renes exulceratos. 426
verum. ibid.
Emulsio anti-Phthisica. 339
in Epidemicis morbis DEUS unicuique regioni prævisum voluit. 209
Epithema ad Erysipelata, & Inflammationes alias. 129
Hepaticum aperiens. 299
Splenecticum aperiens. 300
Epithemata ex Lapidibus & Gemmis, Corallis & Margaritis, in Pulverem tritis, ridiculè, & præposterè, regioni Cordis & Pulsibus applicantur. 145. 146
Esculenta quævis, Vegetabilia & Animalia, simplici & uni destillationi committere, indignum est. 336
Essentia Absinthii liquida, 306
vera. 304. 305
Essentia, seu Liquor Alexipharmacus. 293
Antidotalis. ibid.
Croci efficacissima. 327
Opii liquida Anodyna. 118
Saccharina Aurantior. 167
Citri. ibid.
Rosarum. ibid.
Vitrioli, seu Oleum, aut Liquor, Vitrioli dulcis. 545
Essentiæ Alexipharmacæ. 293
Essentia quomodo ab Extracto distinguatur. 103. 104
Essentiæ Vegetabilium exemplo absinthii edocentur. 304. & seqq.
Extracta ex Aromatibus, & Sulphureis naturâ suâ Vegetabilibus, parare velle, absurdissimum est. 304
Extracta Essentialia quomodo paranda, exemplo Absinthii demonstratur. 305. 306
pro Extractione subjecto cuique suum homogeneum adaptandum. 104
Extractum quid, & quale medicamenti genus, & cur inventum. 103
quomodo ab Essentia distinguatur. ibid.
Extractum Absinthii Essentiale 304. & seqq
Agarici. 105
Aloës suâ Essentiâ subtili privatur. 104
Asari radic. 105
Castorei. 108
Chinæ. 109
Colocynthidos. 106
Croci. 108
Dysentericum citra propositum pro Aqua Dysenterica Quercetani designatur. 324
ant-Epilepticum. 113
anti-Febrile. 109
Hellebori nigri mitissimum Cathar-ticum. 108
Hydragogum. 109
Magistrale Lenitivum. 113
pro Pilulis. ibid.
ad Potiones. 112
Mechoacæ. 111
Panchymagogum s. Magistrale pro Pilulis. 113
Panchymagog. s. Magistrale ad Potiones. 112
anti-Pestilentiale. 115
Rhabarbari. 112
Sennæ folior. ibid.

F.

Fabæ, esculenti fructûs, difficilioris coctionis & concoctionis, nihil fructuosi in destillatione humidâ exhalant. 359

Fermentatio secundum Doctiss. Riplæum, quid. 220
Fermentatio genuina non est in Theriaca. 219
Fermentatio in Theriaca quâ ratione verè fiat. 220
Fermentatio Theriacæ unde. 218
Fermentatio Theriacæ an ex omnibus partibus constitutivis formam mixti unam, seu tertiam quandam, diversam à quovis ingrediente, seorsim producat. 217
Fermentatio Theriacæ non ab Opio oritur, & unde. 218
Fermentationis in Theriaca primaria causa quæ. 220
Fermentatio vera non est omnium partium constitutivarum Theriacæ. 219
ex Fermentatione nihil virium accedit toti Composito, seu Theriacæ. 218
Fermenti actio est corruptio prioris Compositi, & generatio novi, viribus & accidentibus utplurimum à priori distinctis. 220
Ferrea Instrumenta à Vitrificatione Antimonii abarcenda. 514
Ferri solutio Calcinatoria cum sulphure crudo perinde est, ac si cum spiritu Vitrioli solveretur. 473
Ferri solutionem facilem in salem metallorum sui generis, quo præ reliquis abundat, conjicimus. ibid.
Ferri Virtutes. 472. 473
ex Ferro multa pharmaca paucis expensis parari possunt 472.
Ferrum Aceto perfectè non solvitur, sed saltem roditur. 473
crudum ac limatum Galenus & Majores nostri exhibuêre. 472.
Ferrum inter ac Ferrum differentia. ibid.
Metallorum omnium saluberrimum. 481
nullo alio Menstruo quàm Vitrioli & Sulphuris spiritu, in genuinum vertitur Vitriolum. 473
præ reliquis metallis, tàm Medicinis, quàm reliquis humanis necessitatibus; maximè destinatur. 472.
Sales purè salsi non facilè attingunt. 472
Fixa virtute suâ leges fixorum tenent, & Volatilia volatilium. 324
Fixa volatilisare, & volatilia fixare, arduum est negotium: quæ non Rhetorem, sed Chymicum consummatum, exigunt. 325
Flores, eorumque Essentia, & vigor, sunt causa principalis, cur Conservas dispensamus: non verò Saccharum. 264
Flores Æris. 485
Flor. Hepaticæ albæ, & Rorismarini, plùs virium dabunt in substantia, reliquis Conservis, assumpti, quàm ex destillata earum aqua anti-Phthisica sensuri sunt Phthisici tabescentes. 330. 331
Flores, s. Lilium Antimonii Paracelsi. 518
Antimonii ex crudo & Regulo Antimonii. 519
Antimonii sublimandi, per singulare Instrumentum. 494. 495
Flores Salis Armeniaci, chalybeati flavi. 478
Saturni. 494
Stanni. 495
Vitrioli Veneris. 487
Flos, seu Pulpa, Cassiæ. 62
Fontes Medicati ac salubres unde originem ducant. 536
Fructûs horarii utrum putredini magis obnoxii, quàm carnes. 319
licet, à stirpe suâ avulsi, ad corruptionem inclinent: multo tamen tempore perdurant. ibid.
Fructuum horariorum usum interdicere, & carnium esum indulgere ægrotantibus, reprobatur. ibid.
Fructuum succi non depurati mucilagineam in coctione cum saccharo præbent consistentiam. 253

G.

Galappam verus extrahendi modus. 111
Galeni seculum Medicum inexultum fuit. 206
Gallinarum jecinora pro Aq. anti-Phthisicâ Mynsicht. censuræ subjiciuntur. 335

Gelatina Caponis majores obtinet virtutes, quàm Aqua Caponis, & Pulmonum Vituli. 122
Gelatina Caponis pro Phthisicis. 121
Gelatina anti-Phthisica ad omnes exulcerationes & læsiones internas. 336. 337
Gilla Theophrasti quid. 542
Gleba naturalis, species est Vitrioli nativi. 224
Granorum Kermes Magisterium. 251
Gummi Arabicum, ut mucilaginosum, destillationibus humidis planè inutile. 359

H.

Hellebori correctio & cicuratio. 49
Extractum mitissimum medicamentum Catharticum. 108
nigri Radix, Aconito in forma est simillima, si folia sint detracta. 107
radix differt, ratione loci. 108
virtutes in dementia & Melancholia hypochondriaca. ibid.
usum & virtutes qui Authores deprædicent. 48
Helmontius notatur. 213. 349. 364
Helmontii Sulphur Glaure Augurelli quid. 468
Hepar Sulphuris. 554
Herbas propter Conservæ dispensantur: non propter Saccharum. 264
Hippocratis seculum Medicum inexultum fuit. 206
Hirundines in cineres velle redigere, ac exinde salia elicere propriâ aquâ Hirundinum stillat. non est exercitati Philosophi & Spagyri. 310
Hydromel Purgans. 131
Hydromel quid destillatis aquis conferat. 345
Hyoscyamus violentissimum Narcoticum. 116

I.

Igne impunè & illegitimè torquentur, quorum natura Vulcano non paret. 552
Infusio Rosarum, s. Mucharum. 55
Rosarum rubrar. ibid.
Infusum Purgans, seu Aqua Laxativa ordinaria Viennensis. 44
Infusum aliud Purgans, priori efficacius. 59
Julapium Rosarum. 39
Julapium ex Vino. ibid.
è Juniperi ligno Nodulus tornatilis quibus replendus. 192
Juscula carminativa non multum coquenda. 123
Juscula insipida præbet caro sine ossibus elixata. 207

K.

Kermes granorum Magisterium. 251

L.

Lac Caprinum recenter mulctum, & Phthisi emaciatis propinatum, multas in se continet prærogativas, destillatum verò aquam reddit elementarem. 335
Lac Sulphuris, & quæ circa illud notanda. 554. 555
Lac Sulphuris pro majore sui parte Calx mortua est, & effœtum medicamentum. 555
Lactis serum laxativum. 130
Lapides Percarum omnem destillationem, affuso illis liquore, excludunt. 355. 356
Lapidem Aurificum possedisse Paracelsum, probatur. 462
Lapis Hæmatitis aptum est medicamentum ad curandas dysenterias, & fluxûs alvi cruentos, in substantiâ suâ exhibitus: aquis verò destillandis ineptissimus. 322
Lapidis, s. Tincturæ Philosophorum Confectionem possibilem esse, arte purè naturali probatur. 458
Lapis, s. Tinctura Philosophorum quare non revelanda; nec Charitatis Lex eam communis juris facere nos obligeri ibid.
Lapis Philosophorum variis nominibus, & omnium penè rerum similitudine, sensu Tropologico, & allegoriis, ab Authoribus descriptus est. 457
Lapis Prunellæ Nitrum est tabulatum, & in igne purificatum. 560

Laudanum Cæsareum sine Opio. 116
Opiatum. ibid.
Laudanis Castoreum cur non associatum. 92
Laudanis & Opiatis proportionato pondere ingredientia sunt adjungenda, habito respectu ad Opii violentiam. 92
Lignum Aloës, balsamicæ naturæ, an destillationibus subserviat. 315
Lilii convallium florum, pro Aquâ Hirundinum, examen. 310
Lilium Antimonii Paracelsi. 518
Limaces, insecta viscosa, & terrestria, nihil inter elixandum exhalant, præter aquam elementarem; adeoque nec balnei destillatione vires ejus eliciemus. 357
Limaces pro Aqua anti-Phthisica Mynsichtii Censuræ subjiciuntur. 335
Limoniorum succus quid destillando præbeat, sociatus præsertim Mineralibus. 357
de Liquore Alcahest, conceptûs speculativi, ad Praxin nondum redacti. 508
Liquor Alexipharmacus. 292
Cordialis refrigerans extemporaneus. 295
Cordialis alius, temperatus. 294
ad Gonorrhœam virulentam & diuturnam. 298
Liquor s. Epithema Hepaticum aperiens. 299
Liquor Hepaticus & Splenecticus aperitivus & anti-Scorboticus. 297
Lithontripticus. 295
Liquor s. Essentia Nephritica alia, 296
s. Epithema Splenecticum. 300
Liquores acidi & Vinosi in fictilibus debitè vitreatis sunt coquendi. 4
Liquor Saturni simplex. 492
Liquor Vitrioli dulcis. 545
Lohoch Pectorale. 155
de Pulmone Vulpis. 156
Sanum & expertum. ibid.
de Scilla. 157
Lunæ, seu Argenti, singulare Vitriolum, ad hydropem Anasarcam, Agricolæ. 470. 471
Luna potabilis Clariss. Agricolæ. ibid.
Luna potabilis paratu difficilis. 470
Lupini, esculenti fructûs, difficilioris coctionis & concoctionis, nihil fructuosè in destillatione humidâ exhalant. 359

M.

Macis ad condienda ferculà potiùs, quàm ad destillationes, expetenda. 331. 332
Macis pro Aqua Hirundinum inconsulte priùs decoquitur. 309
Magisteria ex Ossibus & Cornubus, communi modo in Officinis confici solita, nullius sunt valoris, sed calces mortuæ. 356
Magisteria resinosa purgantia cur Amygdalis subigenda. 77
Magisteria vulgaria Chymicorum calces sunt inutiles, mortuæ & effœtæ. 555
Magisteria Saturni & Stanni parvi ponderis sunt. 493
de Magisteriis communioribus Chymicorum Clariss. Ang. Salæ sententia. 577
Magisterium Granorum Kermes. 251
Manna Mercurii, seu Manna Metallorum, quid. 499
Manûs Christi perlatæ Confortantes. 170
Marcasita aurea destillando per retortam vitream menstruum præbet auro solvendo aptum. 467
Margaritæ in mortario æneo non conterendæ: & cur. 4
Margaritæ perperam, & contra leges artis & naturæ, destillationibus subjiciuntur. 354
Martis Tinctura ex Croco. 476
vera. ibid.
Mastiche minùs dextrè humidis destillationibus committitur. 359
Materia Metallorum proxima quæ. 224
Mechoacæ verus extrahendi modus. 110. 111
Meconium opio deterius. 214
Medica ars omnium nobilissima & difficillima, vulgi ludibrio nunc exponitur: & cur. 554
Medica Respublica, suppressis & detectis erroribus, brevi nitidior furura, & incrementum indies captura est. 361
Medicamenta Composita quædam ex accidenti quandoque multis medentur morbis, etsi non specifica. 228
Medicamenta Medici exercitati non numero, sed delectu appretiant. 178

Medicamenta non cujuslibet consistentiæ, aut formæ, nec ex quibuslibet quælibet ad morbos sunt parabilia. 359
Paracelsica cur à Galenicis damnentur meritò. 48. 49
Spagyrica plurima cur promissis non respondeant, in artis ludibrium. 535
Universalia an dentur. 228
Medicamentis simplicissimis Pestim profligavit Hippocrates. 233
Medicamentorum ordinationes, vulgò Receptas dictas, qui leve quid autumant, à veritate longè aberrant. 368
Medicamentorum hæc magis dædala præparatio, penes peritos & doctiores Pharmacopœos imposterum erit mansura. 405
Medicamentorum dextra hæc componendi & præparandi methodus quid utilitatis afferat. 406. 407
ad Medicamentorum salubriorum virtutes potius respiciendum, quàm ad pulchritudinem. 574
in Medicamentorum nimis artificiosis præparationibus sæpius hallucinamur, simplicium virtutes castrando & diminuendo. 555
Medici sensati character & nota distinctiva sunt congruæ medicamentorum ordinationes, Receptæ dictæ. 368
Medicus, naturæ Minister, illam per omnia sequi debet, & non violentâ manu raptare. 356
Medicus superciliosus remedia genuina & simplicia contemnit, ac, quod non capit, carpit. 200
Medulla Nuc. Indic. ad aquam anti-Phthisicam Mynsichtii expetita, ventilatur. 331
Melampodii virtutes in dementiâ & melancholiâ hypochondriacâ. 108
Mel durabilem largitur Electuariis & Confectionibus seu Antidotis constantiam. 250
fermentatione degenerat in acerrimum stagma, aceti symbolum. 218
gaudet partibus volatilibus aëreis, quæ in coctione auras petunt. ibid.
Mel optimorum Florum & Vegetabilium quinta essentia, succus perdulcis, & durabilis consistentiæ. 33
quâ ratione de Cera, aliisque partibus terrestrioribus heterogeneis, dextrè sit separandum. 33. 34
quomodo ab Apibus colligatur & elaboretur. 33
simplex & debitè ex alveolis suis extractum, præstat Melle vel decies despumato. 34
totum longa & repetita despumatione ac coctione in spumam abit, & cur. ibid.
Mella parandi Antiquâ Methodo partes ingredientium spirituosas fugamus. 32
Mellium præparationes Renodæi, Rondeletii, & aliorum simplicitate gaudentium Authorum commendantur. ibid.
Mellis heterogenea natura, & Apis ipsa, segregat. 34
Mellis natura, encomia, & quæ circa ejus præparationem & extractionem observanda. 32
Mellis violenta coctio & despumatio reprobatur. 34
Mellis virtutes & prærogativas cur non deprehendamus; antiquitus tamen illi attributas. 33
Mellis virtutes & proprietates. 33. 34
Mel Anthosatum, seu Rorismarini. 35
Menthæ. 36
Mercuriale. ibid.
Rosatum, s. ibid.
Rosatum citratum. 37
Violatum. 38
Menstrua sint homogenea unicuique extrahendo subjecto. 104
Menstruum suum homogeneum cuique subjecto pro extractione adaptandum. ibid.
Menstruum solvens & extrahens non habet infinitam solvendi & extrahendi latitudinem, sed limitatam. 37
pro Menstruis retentis remedium. 518
Mercurii, seu Argenti vivi, definitio & genealogia. 496
Mercurii Manna quid. 499
de Mercurio, opinio Mynsicht. 343

ex Mer-

ex Mercurio Panacea. 503
Mercurius aqua est non madefaciens manûs, fallax illusor, & impostor Chymicorum. 343
aquæformis est, non verò aqua madefaciens manûs, quæ per simplicem destillationem efferatur. ibid.
aqua Mineralis frigida & sicca est extrinsecus, calida verò & humida intrinsecus; habet in se omnia, omnes colores in illo latent, proprii interitûs faber, quin & resuscitationis author & artifex. 502
ignis nec urens nec consumens est, & simplicissima substantia. 343
semper sibi constans, indivisibilis in ignis tormento, vel totus in sublime evolat, vel totus perseverat. 343
vivus, sale & aceto mundatus, ineptissimè & portentosè à Mynsichtio M. B. incarceratur ad destillandum. ibid.
est Magnes, ex salibus sibi similem salem Mercurialem adsciscens, & secum in altum elevans. 453
Mercurii libræ duæ cum dimidia, beneficio unius grani Tincturæ Philosophor. in aurum purum transmutatæ sunt. 463
Mercurius Philosophorum ex quo fonte hauriendus. 452
Mercurius duplicans R E B I S Philosophorum. 467
Mercurii summa purificatio & animatio. 510
Mercurius sublimatus rubeus dulcis, quem Arcanum Corallinum vocant. 499
Mercurius sublimat. pro Aqua Mercuriali. 508
Mercurii sublimationes diversæ. 497
Mercurius dulcis Solaris. 504
Mercurii præcipitatio. 500
pro Mercurii præcipitatione, Phialæ idea. 501
Mercurius Præcipitatus albus. 502
luteus in momento. ib.
Præcipitatus Solaris. 501
Saturni. 495
Vitæ simplex & correctus. 522
Mercurii Vitæ genesis ab Antimonio. 522
Mercurius Vitæ ex Butyro Antimonii, ipsoq. Antimonio, non verò ex Mercurio, constat. ibid.
Metalla destillationibus aqueis simplicibus committere, est absurdum. 357
Metalla quare spissa fiant in suâ fusione. 515
Metallorum Manna quid. 499
materia proxima quæ. 224
subtiles Essentias in Liquorem redigere vere potabilem. 536
transmutatio est possibilis. 464
Metallis magna virtutum opulentia implantata est. 536
Metallus primus, sive Masculus Paracelsi, quid. 468
Mica Panis à Mynsicht. malè ad destillandum decernitur. 334
Mineralia semi-Metalla sunt. 511
Mineralia destillationibus aqueis simplicibus committere, irrita sunt tentamina, & insulsæ cantilenæ, risum pro plausu apud Posteros reportantes. 357
Mineralia omnia corruptionis inscia sunt, si cum Animalibus & Vegetabilibus comparentur. 319
Miva Cydoniorum. 40
Cydoniorum aromatica. 41
Mixtura Aloëtica Mercurialis. 285
Morborum monstra nova nunc exsurgere cernimus. 48
Morboso generi cuilibet suus ex metallo spiritus Vitrioli appropriatus adaptandus. 535
in Morsellis, & consimilibus Confectionibus, apparandis à communi stylo ac methodo declinavit Author, & quare. 174
in Morsellorum, & similium Confectionum, præparatione quid observandum. ibid. & seqq.
Morselli Cephalici Regii. 171
alii. ibid.
Confortantes Viriles. 172
alii pretiosi. ibid.
Hepatici. 173
alii. ibid.
Pectorales. 175
de Rhabarbaro. 88

Morſelli Stomachici. 175
Moſchus quâ ratione aquis deſtillandis dextrè uniatur. 356
Mucharum Roſatum. 55
Mulſarii, Apibus ſtupidiores, ea, quæ natura ſegregata & diſtincta vult, confundunt, & confuſum Chaos ex melle, cera, & propoli, efficiunt, 33
Myrobalanorum deſtillandarum in limo & profundo hæſitat vis, nihilque per alembicum transmittunt. 315
Myrrha minus dextrè humidis deſtillationibus committitur. 358. 359
Myſteria per ſignaturas, & umbroſis verbis, Filiis doctrinæ tantùm pandere velle, turpis philavtia, &, ſub humilitatis palliaſtro, immanis faſtus eſt. 449

N.

de Nitro varia & notatu digna. 558
Nitrum Sal Terræ eſt, ſed φλογιζὸν, ex terris pinguibus exortum. ibid.
Nitrum Sal Petræ etiam nuncupatur, propriè etiam Sal Terræ dici meretur. ibid.
Nitro copioſo abundant quarundam Regionum terræ & aquæ Fluminum, in quorum rivis efflorescit. 559
Nitrum ex ſtabulis jumentorum copiosè elicitur, & quare. ibid.
Nitrum in igne purificatum, ſeu Lapis prunellæ, magis mordax eſt, quàm illud, quod repetitis ſolutionibus & cryſtalliſationibus clarificatum. 560
Nitrum frigidas in corpore humano edit operationes. 559
Nitri & Sulphuris vix unita horrenda eſt. 558
Nitrum aliam ſibi deſtillationis ſpeciem vendicat, quàm per M. B. affuſo liquore. 344
Nitrum Alexipharmacum Compoſitum. 562
Antimoniatum. 563
Cachecticum chalybeatum. 564
Catharticum. 562
Eſſentificatum cum Acetoſella. 560
Fixatum. 564
Fixum ſ. anodynum Minerale. 563
Nitri Flores. 564
Liquor volatilis reſolvens. 344
Nitrum Martiale aperitivum. 562
cum Papavere inſuccatum. 561
Perlatum. 563
Nitri purificatio ſicca & humida. 559
Nitrum Roſatum. 561
Nitrum cum Scordio inſuccatum. ibid.
Nitri Terra Foliata. 566
Nitrum Violatum. 561
Vitriolatum. 567
Norma, ac Regula, juxta quam Authorum Compoſitiones, tanquam ad Lydium Lapidem, probare licet. 326. 327
Nuces juglandes conditæ, ſuis virtutibus caſtratæ ſunt. 264
Nucis Moſchatæ virtus adſtrictiva deſtillando non elevatur, ſed imum petit, & in reſiduo depoſitatur. 317
Numiſma ex Auro Philoſophico, Cæſaris Ferdinandi III. S. M. 463

O.

Olea balſamica ex reſiduis Aquæ Maſtichinæ ſpeciebus. 284. 285
Olea Cocta & Expreſſa quid ſint, & ex quibus parentur. 363. 364
ferè cuncta juxta adumbratum in Oleo Abſinthii ideam decoqui & parari poſſunt. 368
in viribus exaltanda ſunt ſuis oleis deſtillatis. 366. 367
facilè rancorem & ſitum contrahunt, à quibus omnis humiditas non ſit ſegregata. 366
Olea deſtillata Balſamica ſymbolizatione ac amicitia feruntur ad ſulphura ſimplicia & metallorum. 466
Olea Eſſentialia Citri & Arantior. prægreſſa fermentatione deſtillata, Terebinthinam ſpirant, & ſucceſſu temporis incraſſantur. 269
Olea Expreſſa varia. 380
alienæ fidei inſtitoribus, & mercimoniis intentis, non concredantur. 364
Oleis aqueum elementum, ſeu quæcunque aquea humiditas, aut vinum, nunquam verè permiſcetur. 367. 368

Oleis nullum cum aqua commercium, neque vera miſtio aut unio intercedit. 401
de Oleis coctis & decoquendis vera Theoria & illuſtratio. 364
Olea quomodo ab humiditate dextrè ſeparanda. 365. 366.
Oleis decoquendis liberalior vini, aut ſuccorum, additio quid efficiat. 366. 367
Oleorum deſtillatorum rectificatio, affuſâ aquâ, an præſtet. 574
Oleorum inſolatio quid efficiat. 367
Oleum Abſinthii coctum. 365
Anethi. 369
Anodynum. 376
aut Apoplecticum Cephalic. 372
Chamæmeli. 369
ad Calculum expreſſum. 381
de Capparibus, Hepaticum & Splenericum. 374
Carminativum anti-Colicum. 375
expreſſum. 382
de Caſtoreo. 375
Cheyrinum. 369
Citri ex recentibus Corticibus deſtillandum ſine prægreſſa fermentatione; & alia notatu digna. 168
aut Epilepticum expreſſum. 382
de Euphorbio. 371
Hypnoticum. 376
Lacertarum contra Hernias, ejusque Theoria & obſervationes. ibid.
Liliorum alborum. 369
Lumbricorum. 372
Majoranæ. 369
Maſtichinum. 371
Menthæ. 369
Mercuriale. 504
aliud. 505
dulce. ibid.
Moſchelinum. 377
Nervinum. 378
Nucum Moſchatar. expreſſum quomodo Dyſentericis opituletur, & quæ ulteriùs ex eo conficienda. 317
Oleum Nucum Moſchatarum coctum & lotum aptiſſimum corpus eſt pro conficiendis omnis generis Balſamis Eſſentialibus. 317
Populinum. 370
Purgans, & contra Vermes expreſſum. 382
Purgans ſimplex. 379
aliud. ibid.
Ranarum. 372
Roſarum. 370
Rutæ. ibid.
Sambucinum. ibid.
Oleum ſ. Liquor Saturni ſimplex. 492
Scorpionum Alexipharmac. 379
Scorpionum. 372
Oleum ſ. Spiritus Salis Martialis. 480
Stomachale expreſſum. 382
Stomachicum. 380
ex Styrace. 371
Sulphuris Rulandi. 557
Tartari fœtidi deſtillati virtutes. 573
Tartari per deliquium, ejusque virtutes & uſus, ſecundum Ang. Salam. 575
contra Vermes expreſſ. 382
de Oleo Vitrioli dulci. 542
Vulpinum. 372
de Operibus Autheris varia & iniqua Judicia. 405
Opii anatome viva analyticâ methodo traditur. 211
Opiatis medicamentis, & Laudanis, proportionato pondere ingredientia ſunt adjungenda, habito reſpectu ad Opii violentiam. 92
Opii comparatio cum Venenis, quoad modum operandi. 216
qualitates, & an calidum vel frigidum. 211
de Opii qualitatibus Pereira, & Petr. Mich. de Heredia, diſſentiunt. 211. 212
de Opio, ejusque parva doſi in Theriaca, erronea opinio Schröderi. 214. 215
Opii quantum unciæ uni Theriacæ accedat. 218

de Opii virtute & virulentia, variæ diversorum Author. sententiæ. 213. 214
Opii vis manifesta in una saltem drachma Theriacæ resplendet. 218
vis narcotica est actio à tota substantia emanans, à formis resultatoriè determinata. 212
vis narcotica, neque calori neque frigori, nec etiam secundis qualitatibus, adscribenda, sed seminali virtuti. ibid.
Opio Meconium deterius. 214
Opium num, inter reliquas suas specificas dotes, prædictum sit virtute alexiteria. 213
Opium Typum habet romphææ, aut ensis bisidi. 217
inter prima Theriaces constitutiva collocatum. 216
profusâ & largâ quantitate Theriacæ adjectum est. 231
nullas habet à natura qualitates venenis resistendi. 216
in morbis malignis Hungaricis lethale venenum. 216. 217
in quibus morbis eximias habeat dotes & prærogativas. 217
pro Aqua Dysenterica Quercetani sub censuram venit. 323
Opii Essentia liquida Anodyna. 118
Opii exacta Præparatio in Essentiam. ibid.
Ordinationes medicamentorum: vid. Medicamentorum ordinationes
Ordinationes medicamentorum congruæ sunt Medici sensati character, & nota distinctiva. 368
Ossa calcinata aliud nihil sunt, quàm exsucca terra, inutilis gleba, & opprobrium Medentium. 317. 318
Ossa de Corde Cervi Aquis destillatis non sunt permiscibilia. 355. 356
in Magisteria solubilia reduci nequeunt. 356
destillationi simpl. commissa, eandem cum Perlis olent prosapiam. 355
Ossa majorem salis volatilis ac olei copiam in destillatione exhalant, quàm in ipsa caro, sanguis, aut aliæ animalium partes. 207
sunt partes similares & spermaticæ, ex pinguiori feminis parte, & substantifico primigenio humido constantes. ibid.
Ovum tanquam simulacrum Universi. 358
Oxymel Diureticum. 38
Scilliticum. 39
Simplex. ibid.
Oxysaccharum simplex. ibid.

P.

Panacea ex Antimonio, & ejus Butyro. 524
alia ex Butyro Antimonii. ibid.
ex Mercurio. 503
Panis mica examinatur, quid destillando præbeat. 329. 330
Panis per integram diem coctus nihil deperdit de partibus suis nutritivis. 330
Panis uncia una, in substantia assumpta, plus nutriet, quàm decem libræ aquæ antiPhthisicæ Mynsichti. ibid.
Paracelsica medicamenta: vid. Medicamenta Paracelsica.
Paracelsi scripta quædam tanris scatent absurditatibus, ut fidem excedat, hæc à Theophrasto potuisse derivari. 483
Paracelsi Mysteria explanare, Oedipo & Theseo opus habet. ibid.
Passulæ laxativæ. 67
Passulæ majores, seu Zibebæ, vel Prunelli, purgantes. 87
Passulæ purgantes siccæ. 68
aliæ. ibid.
Pasta odorata anti-Loimica vilior. 191
tempore Pestis. 190
vilior, pro sexu fœmineo, sine Ambra & Mosch. ibid.
pro Placentulis Stomachalibus. 175
Pastilli pectorales anti-Phthisici. 183
pretiosi ad Suffitum. 189
Perlæ, seu Margaritæ, in mortario æneo non conterendæ; & cur. 4

Perlæ nequaquam vaporetenus cum aquis deſtillandis in ſublime feruntur, ſed, inſtar ſolutionis, aut ſalis, in fundo reſident. 355
Peſſaria ad hæmorrhagiam Uteri. 194
Peſſi Uterini ad cienda menſtrua. ibid.
Peſtilens contagium quomodo inſpiratione hauriatur & intret. 191
Peſtilens miaſma & contagium inſtar minimarum atomorum infinito propemodum numero undique oberrat. ibid.
Peſtilens contagium ac virus ipſi Moſcho, Ambræ, & aliis multum fragrantibus, adhæret, ibid.
Peſtilentes & pernicioſi morbi qualem nobiscum ludant Tragœdiam. 216
anti-Peſtilentialia remedia præſervativa. 192 & ſeqq.
Pharmacopœum ſedulum & peritum, Latini idiomatis gnarum, requirunt Authoris præſcriptiones. 401
Pharmacopœia hæc cur inſigniatur Regiæ Titulo. 406
de Pharmacopœorum, eorumque miniſtrorum, ignorantiâ & ſegnitie querelæ Authoris. 405. 406. 442. 443
in Pharmacopœos admonitio, ratione vaſorum, ex cupro aut aurichalco paratorum. 481
Pharmacopœorum Inſtrumenta ſint potiùs ferrea. ibid.
Phialæ idea pro Præcipitatione Mercurii. 500
Pilulæ quale Medicamenti genus, & cur inventæ. 89
Pilulæ Aloephanginæ Capitales & Stomachales. 90
de Aloë Roſata. ibid.
Aloë violata. 91
Anodinæ: de Cynogloſſa. ibid.
Cordiales & Cephalicæ. ibid.
de Cynogloſſo Anodinæ. ibid.
de Eupatorio, ſeu Hepaticæ. 93
Hydragogæ. ibid.
anti-Hypochondriacæ familiares. 94
Hyſtericæ, ſeu Martiales. 93
Magiſtrales ſ. Panchymagog. 95
Maſtichinæ. ibid.
Matricales. 93
Pilulæ Odontalgicæ. 95
anti-Peſtilentiales. 96
de Rhabarbaro. ibid.
Splenericæ. 97
Perlæ, ſeu Margaritæ, in mortario æneo non conterendæ; & cur. 4
nequaquam vaporetenus cum aquis deſtillandis in ſublime feruntur, ſed inſtar ſolutionis, aut ſalis, in fundo reſident. 355
Peſſaria ad hæmorrhagiam Uteri. 194
Peſſi Uterini ad cienda menſtrua. ibid.
Peſtilens contagium quomodo inſpiratione hauriatur & intret. 191
miaſma & contagium inſtar minimarum atomorum infinito propemodum numero undiq; oberrat. ibid.
contagium ac virus ipſi Moſcho, Ambræ, & aliis multum fragrantibus, adhæret. ibid.
Peſtilentes & pernicioſi morbi qualem nobiscum ludant Tragœdiam. 216
anti-Peſtilentialia remedia præſervativa. 192
Pharmacopœia hæc cur inſigniatur Regiæ Titulo. 406
de Pharmacopœorum, eorumque miniſtrorum, ignorantiâ & ſegnitie, querelæ Authoris. 405. 506. 442. 443
Pilulæ Stomachicæ. 98
Stomachicæ balſamicæ. ibid.
aliæ Regiæ. ibid.
de Terebinthina, ad Gonorrhœam virulentam. 99
Pilularum purgantium corpus & baſis eſt Aloë. 89
faſtuoſa & inconcinna Compoſitio, Authore Anonymo indigna. 89. 90
Pineæ viridis bellaria ſunt, fructûs nutritivi, culinis & quadris magis, quàm Officinis noſtris, pro deſtillatione aptiores. 330
in alimentum natæ ſunt; vel, ut Emulſiones ex iis conficiantur: nihil verò in deſtillatione virium dabunt. ibid.
Pingvedo anti-Phthiſica ex Porcello, aut ex Catulo, ſaginato & caſtrato. 339

Piper calidiſſimum & exurens Theriacæ ingrediens. 210
longum, tertium Theriacæ ingrediens, eventilatur. 209
longum virtute Cardiaca & alexiteria eminere, nemo hactenus dixerit. ib.
Piperum qualitas, quâ, veluti baſis, Theriacam conſtituunt, ſtupenda eſt: & quare. 210
tria genera in ſuperabundanti nimis doſi & pondere Theriacæ adjecta ſunt. 211
Piſtachiæ viridis idem quod: vid. Pineæ.
Plumbum, Metallum omnium ferè viliſſimum, comparatur Saturno Macrocoſmico, propterea etiam microcoſmico, Lieni, prodeſſe creditur. 490
Plumbi virtutes. ibid.
Pomum Ambræ pretioſum. 189
Ambræ aliud. ibid.
Porcelli ſanguis ejusdem naturæ & craſis ac Hirci eſt; cujus liquor in deſiccatione exhalans, inutilis, & à Medicis non curatur. 335
ſanguis etſi ad ſiccitatem usque deſtilletur, nil niſi aquam elementarem, profundit. ibid.
ex Porcello caſtrato ſaginato Pingvedo anti-Phthiſica. 339
Potûs Hippocratici Purgantes. 59
Præcipitatus aureus, ſeu Arcanum Corallinum. 466
Præcipitatus Solaris. 501
Præparationes medicamentorum Compoſitorum qualiter ab Authore inſtituantur. 7. 42
Proceſſibus Chymicis ab Authoribus copioſe delineatis minimè fidendum, & quare. 532
Proceſſuum Chymicorum quisquiliæ ſine numero & myriades reperiuntur, nugæ & neniæ ſunt utplurimum, ſubſtantias diſſipare natæ. 449
Propolis quid. 33
Prunelli Purgantes. 87
Pulpa Caſſiæ. 62
Prunorum. 66
Pulpa Tamarindorum. 66
alia. ibid.
Pulveres aromatici Compoſiti quale Medicamenti genus, & quæ ſub eo contineantur. 158
Pulvis contra abortum. 138
Alexipharmacus, ſeu anti-Peſtilentialis. ibid.
Alexipharmacus II. & III. ibid.
ant-Apoplecticus. 141
Aſthmaticus. 139
Pulveris Aurati deſcriptio. 446. 447
Pulvis Bezoardicus primus. 139
ſecundus Solaris & Cordialis. ibid.
Aureus. 140
Pulvis Cachecticus. ibid.
contra Calculum. 141
ad Calculum alius. ibid.
Calculum alius. ibid.
Caſum. 142
Catarrhalis anti-Phthiſicus. 149
Catharticus Antimonialis. 136
ſecundus. 137
Cephalicus, ſ. ant-Apoplecticus. 141
alius pretioſus contra Vertiginem. 142
Comitis de Warwich, ſeu Cornachinus. 136
Cyprius pretioſus. 142
ad Dentifricia. 143
Dyſentericus. 144
alius. ibid.
ant-Epilepticus. ibid.
alius. ibid.
Epilepticus alius aureus. 145
Groſſus pro Epithemate Cordis & Pulſuum, ad Sacculos. ibid.
contra Hæmorrhagiam, & Sputum cruentum. 146
Hepaticus rubeus. ibid.
alius ſimplex. 147
Hydragogus. 135
alius. ibid.
Hyſtericus. 147
ad Lac generandum. ibid.
contra Lumbricos. 137

Pulvis ad Nasalia. 148
partum provocans. ibid.
Pleuriticus. ibid.
Senæ Solutivus grossus. 134
Solutivus Magistralis. 135
Tartarisatus. 134
de Tribus. ibid.
alius. 135
contra Sputum cruentum. 146
Sternutatorius Cephalicus. 148
Stomachalis. 149
ad Strumas. 150
Suppositoria. 137
alius, sine Aloë. ibid.
Sympatheticus ex Vitriolo Veneris. 487
contra Tussim, seu Catarrhalis. 149
Vermes, seu Lumbricos. 137
alius. ibid.
contra Vertigin. Cephalicus. 142
Viperarum simplex & Compos. 150
Vulnerarius. ibid.
Pulverum Compositorum Theoria. 133
Purgans nec cuivis morbo, neque cuilibet membro aut visceri, peculiare destinatur. 62
Purgantes resinæ, s. Magisteria, cur Amygdalis subigenda. 77
post Purgantia sumpta unde Hypercatharses, Tormina, Passiones Colicæ, & Diarrhœæ. ibid.
Putredo & Corruptela omnis ab humiditate & calore oritur. 269

Q.

Qualitates occultæ quid: & qui Authores de iis scripserint. 212
de Qualitatibus occultis, à rota substantiâ promanantibus, Galenus variis in locis disserit. ibid.
de Qualitatum occultarum actione variæ Clarissimorum Virorum sententiæ. 196. 197
Helmontii. ibid.
Kircheri. ibid.
Fortunat. Plempii. ibid.
Sennerti. ibid.
ex doctrina de Qualitatib. primis mille errores, sophismata & fraudes, pullularunt. ibid.
Qualitatum primarum nudus aspectus nos avocavit, quo minùs specifica morborum alexiteria investigaremus. 213
Quercetanus non est assecutus Authorum mentem, qui Trochiscorum de Spodio, de Terra sigillata, & spec. Diatrag. frigidi Compositiones evulgarunt. 320, 321
Quodvis è quolibet non fit, nec quolibet cuilibet aptè commiscetur. 336. 552
non Quodvis è quolibet, citra rationis & genuinæ Philosophiæ leges, in actum ducitur. 301

R.

Rhabarbarum præpostera methodo Theriacæ admiscetur. 224
Rhabarbar. citra rationem Theriacæ superingestum esse, probatur ratione, & Authoritatibus plurimis. 223
Rhabarbaro vis nulla alexipharmaca tribuitur. ibid.
Rasura Cornu Cervi, cum aquis affusis destillata, aliam non reddit aquam, quàm quæ affusa fuit, nullis viribus Cornu Cervi dotatam. 342
Receptæ congruæ sunt Medici sensati character, & nota distinctiva. 368
Receptas scribere qui leve quid autumant, à veritate longè aberrant. ibid.
Recipiens omne recipit saltem ad modum suæ receptivitatis, non imprimentis. 37. 55
Regio titulo cur insigniatur hæc Pharmacopœia. 406
Regula, ac norma, juxta quam Authorum Compositiones, tanquam ad Lydium Lapidem, probare possumus. 327
Regulus Antimonii sine Marte. 517
per se sine additione. 518
Stellatus. 516
Resinæ purgantes, seu Magisteria resinosa, cur Amygdalis subigenda. 77
Resinosa, utpote Gialappa, ab Aqua extrahi nequeunt. 45
Rhodium lignum, balsamicæ naturæ, destillationibus subserviat. 315

Rob de Berberibus. Ceraſorum. de Cornis. Cydoniorum. Cynosbati. de Ribibus. Diamoron. Ebulinum. Juniperinum. Nucum. Sambucinum. 41
de Spina Cervina. 42
Rob purgans Ceraſorum. 76
Ribium. ibid.
Robotantia talia ſint, quæ ſpiritûs non accendant, nec inflammationem augeant. 210
Roſarum infuſio, ſeu Muccharum. 55
Roſar. rubrarum infuſio. ibid.
Roſar. Tinctura. 130. 290
Rotulæ Citratæ. 168
Emeticæ. 85
contra Lumbricos. 84
aliæ. ibid.
ex Mercurio Vitæ correcto. 85
Pectorales. 175
Perlatæ. 170
Purgantes. 85
contra Vermes. 84
Rubi Idæi Succus, protinus prælo expreſſus, ad quod conducat. 72.

S.

Saccharum Citratum, ſi Eſſentia Citri Saccharina. 167
Citratum Tabulatum. 168
Gemmatum, ſ. Perlarum. 171
Roſatum. 167
Roſatum Tabulatum. 170
Saccharum Saturni ex quibus eliciatur 491
Sacchar. Saturninum ſit ſal ex plumbo extractum, aut plumbum ipſum ſolutum. ibid.
Sacchar. Saturni plumbi Vitriolum eſt. 534
Saccharum unionis & glutinis inſtar ſe habet in Confectionibus Sacchari-nis. 174
impertinenter ad Aquarum deſtillandarum negotium evocatur. 359
ex Saccharo nihil deſtillando elicitur; quod pridem tot torturis & coctionibus ad debitam ſuam conſiſtentiam redactum eſt. 329
Sacculi Cordiales, & pro Pulſibus pretioſi. 194
contra Peſtem. ibid.
Sacculorum Cordialium & pro Pulſibus præſtantia. 195
Sal aëreus nitroſus, ex aëre attractus, beneficio Vitrioli ſummè calcinati. 485
Sal in copia ex nonnullis Vegetabilibus elici nequit. 325
Sales fixi Alcalini intenſum flammæ impulſum, citra virium jacturam, velut Salamandra, diu ſuſtinent. 311
Sal fixus, è cineribus extractus, leni Balnei Vaporoſi impulſu, in ſublime non fertur. ibid.
Salem nitroſum perpauca Vegetabilia reddunt. 303
Sal Antimonii. 525
ex Vitro. 526
Vini Eſſentialis. 581
de Sal-Nitro, ſ. Sale Nitri. 558
Sal Nitri definitio. ibid.
Nitrum occultâ proprietate cum Sulphure inimicitiæ diſſidia exercet. ibid.
ſive Saccharum Stanni, ſ. Jovis. 488
Tartari. 576
Volatilis. 581
pro Aquis deſtillandis examinatur. 348
Salis Tartari volatiliſatio. 348. 349
Sal ex Vitriolo Veneris. 484. 541
Sal Tartari Vitriolatus. 578
an Sal aliquis Volatilis inſit Vegetabilibus terreſtrioribus. 303
Sal Volatile exiſtens, ſubſtantiale nullum ex Vegetabilibus, uti ex Animalibus, arte elici poteſt. ibid.
Sanguis Porcelli, etſi ad ſiccitatem usque deſtilletur, nil niſi aquam elementarem profundit. 335
Sapo Odoratus. 192
Saturni, ſeu Plumbi, Virtutes. 490
Saturni Magiſteria parvi ponderis ſunt. 493
Tinctura. ibid.
Scammoneata & Reſinoſa medicamenta, ſi frigida ſuperbibatur, Tormina, Paſſion. Colicas & Hypercatharſim excitant. 77
Schmuzii probroſa licentia & petulantia vivis coloribus depingitur. 538

Scillæ crudæ & præparatæ virtutes, 203, 204
Scilla venenato suo succo ensem aut cultrum inficit. 204
Scillæ virtutes nullas Cardiacas & Alexiterias Botanici unquam tribuêre. 203
Scilla montana mitioris naturæ & indolis est. 204
veluti basis & fundamentum, antiquæ Theriacæ perperam additur. ibid.
Scillæ Trochisci non revera ex Scilla, sed rebus additis, constant. ibid.
Scilla à speciosa Theriacæ compositione arcenda. 205
nullas Theriacæ virtutes communicat. ibid.
Sedativum Archei, & Sulphur Vitrioli anodynum. 478. & seqq.
Semina frigida, terrestrioris naturæ, quid destilando præbeant. 315
Semina 4. frig. maj. à Mynsicht. perfunctoriè ad destillandum decreta sunt. 334
an Serpentes etiam, in montanis, locis maximè, ad Orientalem plagam enutriti & nati, pari effectu, ac Viperæ, Theriacam, aut Trochiscos, constituere valeant. 205
Serpentes, quos Italiæ, Germaniæ, & Pannoniæ, montes alunt, salubriores, æquè ad dispensandam Theriacam confluere possunt. 208
Serum Lactis Laxativum. 130
Sief, Arabibus dicta, quale medicamenti genus. 188
Simplicia, quæ Theriacam plus dedecorant, quàm exornant. 232
in competenti dosi sumpta, per se, haud parum in determinatis morbis præstare possunt. 233
quæ Simplicia, & arte etiam facta, simplici destillationi non auscultant. 312. & seqq.
Simplicium, rerumque pretiosarum, magna olim fuit facta inutilis profusio. 406
Simplicibus qui tollere novit morbos, felix. 228
Sotirella, seu Massa ad dentes. 261
Spagyrica medicamenta : vid. Medicamenta Spagyrica.
Species, seu Pulveres Aromatici Compositi, quale medicamenti genus, quæ sub eo comprehendantur. 158
Alexipharmacæ. 162
contra Apoplexiam. 160
aliæ simpliciores. ibid.
Carminativæ. ibid.
Cephalicæ. 161
Cordiales Solares & Alexipharm. 162
Cordiales temperatæ pretiosæ. 161
Decocti Carminativi. 122
contra Calculum. 124
ad Dysenteriam. ibid.
Flor. & Fructuum. 116
Foresti correctæ. 125
Hepatici aperitivi & Splenetic. tempore hyemali. 121
ad mensium muliebrium Obstructiones. 127
ant. Epilepticæ. 161
aliæ. ibid.
de Gemmis calidæ Alexipharmacæ. 163
frigidæ usuales Alexipharmacæ. ibid.
Alexipharm. viliores. ibid.
Grossæ pro Sacculis, contra Pestem. 193
Hepaticæ. 164
Imperatoris grossæ. 165
dia Ireos. ibid.
anti-Pestilentiales. ibid.
pro Sacculis grossæ, contra Pestem. 193
Splenecticæ deoppilativæ, 166
Stomachicæ. ibid.
Species diamargar. frigid. perfunctoriè ac malè ad destillandum à Mynsichtio decretæ sunt. 334
diatragacanth. frigid. pro Aqua Dysentericâ Quercetan. examinantur. 320
Spiritûs acidi è Mineralibus utrum præstent iis, qui ex Vegetabilibus habentur. 553
de Spirituum acidorum præstantia quid Quercetan. ibid.
Spiritus Metallicus in Ens, aut totum, è quo migravit, substantificè ac perfectè coalescere nequit. 538
Spirit. Nitri destillatio. 567
volatiliores multò sunt, spiritibus Vitrioli, 544
Salis

Spirit. Salis Armeniaci acidus chalybeatus. 478
Martialis. 480
ex Sale æreo Vitrioli. 485
Saturni ardens. 492
Tartari. 573
Alexipharmacus. 576
rectificatio an necessaria. 575
virtutes juxta Angel. Salam. ib.
Veneris ant-Epilepticus. 485
Vini odor vapposus quid causet. 86. 87
Viridis è Venere vel Cupro. 486
de Spiritu Vitrioli viridi. 543
Spiritus ex Vitriolo quodam metallico, arte facto, singulariter destillatus, neque abstractione phlegmatis, nec rectificatione opus habet. 540
Spiritus ex Vitriolo cujusdam Metalli arte facto, virtutes, Ideam, ac signaturas Metalli, non materialiter, sed virtualiter, æmulatur. 538
Spiritui Vitrioli subtilores metalli partes non corporaliter, sed virtualiter imprimuntur. 536
Spiritus Vitrioli destillatio legitima. 539
ant-Epilepticus ex Luna & Venere. 538
Antimonialis purgans. 526
Coagulatus. 543
Essentificatus. 544
Martis. 542
Martis non rectificandus. 475
Philosophicus. 522
Veneris. 484
Stanni Vitriolum. 488
Stanni Magisteria parvi ponderis sunt. 493
Stannum, metallum molle, frangibile tamen sub malleo, & veluti aridum. 488
non multum differt à plumbo: ideoque facilè inter se coëunt. ibid.
à tota Substantia actio quid sit. 197. 198
de Substantiæ totius actione, variæ Clarissimorum Virorum sententiæ ibid.
Succus Acaciæ inspissatus sub censuram venit. 322
Succi Citri concentratio inanis. 4
Fructuum succi depurati mucilagineam in coctione cum sacharo præbent consistentiam. 253
Succus de Rubo Idæo protinùs prælo expressus ad quod conducat. 72
Sufficiens quantitas, seu s. q. si à Medicis scribatur, quid Pharmacopœis observandum. 37
Suffitus Cephalicus. 192
alius communis. ibid.
anti-Pestilentialis. ibid.
Sulphur crudum, & purum, majoris efficaciæ ac energiæ censetur, quàm sunt ipsi Flores. 558
Sulphure abundat totus terrarum orbis; plus tamen in uno, quàm in alio loco. 548
Sulphuris purificationes diversæ. 549. seq.
de Sulphuris sublimatione notatu digna & varia. 550
Sulphur peculiarem destillandi normam exposcit, & quomodo instituenda. 558
Sulphuri quid, pro sublimatione ejus legitimâ, adjungendum. 550. 551
Sulphuris virtutes & energiæ. 548
Sulphuris & Nitri vis unita horrenda est. 558
Sulphur, sententiâ Authoris, ignis est concretus, subterraneus & terrestris; cui natura suas habenas objecit, terrestriores partes, ne in actum mox, & apertum incendium, erumpere possit. 549
Sulphur, sententiâ profundissimè Docti Phil. Kircheri, ignis naturæ est invisibilis. ibid.
singulare & admirandum naturæ productum est; cujus activitatem nil remoratur. 448
Terræ Pingvedo, Adeps, Resina, & Oleum, à priscis & Neotericis Philosophis definitur. 549
sub vilioris terræ glebæ forma, igneas virtutes, ac æthereas actiones, producit. ibid.
quâ ratione principium rerum naturalium, præcipuè verò metallorum & mineralium, dici & esse possit. ibid.
Sulphur Antimonii. 526 527
Sulphuris Antimonii fixatio. 527
Sulphur Antimonii ex ejus Cinnabari. 523
Auratum Diaphoreticum. 518

Sulphuris Hepar. 554
Lac, & quæ circa illud notanda. ib.
vid. Lac Sulphuris.
Oleum Rulandi. 557
Tinctura Tartarisata. ibid.
Vitrioli Anodynum. 478. 547
Martiale. 480
Inflammabile. 547
Syruporum elegantes præparationes, Essentiæ nomine insigniendæ. 11
Syrupos parandi antiquâ methodo simplicium spirituosas partes fugamus. 32
Syrupus de Absinthio Stomachalis & Hepaticus. 2
de Absinthio Stomachalis, cum vino Cydonior. pro Abstemiis. 3
Acetosus Compositus. 5
Simplex. 4
ex succo Acetosæ. ibid.
Acetosellæ. ibid.
Acetositatis Citri cum Corticibus. 3
de Agresta. 4
de Cortic. Arantiorum. 9
de Flor. Arantiorum. ibid.
ant- Asthmaticus. 10
ex succo Berberum. 30
de Betonica. 11
de Betonica Compositus, seu Cephalicus calidus. ibid.
contra Calculum. 24
ex Succo Cardui Benedicti. 13
de Centaurio minore anti-Febrilis. 15
Cephalicus calidus. 11
alter temperatus. 12
Ceraforum acidorum. 14
pro conficiendo vino Ceraforum gratissimo ex tempore. ibid.
Chalybeatus aperitivus, pro Mulieribus & Cachecticis. 6
alter Aperitivus. 8
Magistralis anti-Cachecticus. 53
de Cichorio simplex. 15
Cinamomo. ibid.
Syrupus de Corallis rubris. 16
alius. 17
Corallinus Calidus. 16
Refrigeratus. ibid.
de Corticibus Citri. 18
Domesticus, s. de Spina Cervina. 45
46
contra Dysenteriam. 19
Emeticus correctus. 46
alius. ibid.
pro Abstemiis. 47
Purgans ex Vegetabil. ibid.
de Endivia. 20
Farfara. ibid.
Fragis. ibid.
Fumaria. ibid.
Gemmatus Cordialis calefaciens. 17
refrigerans. 18
de Glycyrrhiza pectoralis. 20
Granatorum. ibid.
de Hedera terrestri. 21
ex Helleboro. 48
efficacior. 49
Hydragogus. 22
alius Hepaticus. ibid.
Purgans. 50
de Hyssopo simplex. 21
Magistralis chalybeatus anti-Cachecticus. 53
Magistralis primus. 51
secundus. ibid.
pro Infantibus & Pueris, Vermibusque expellendis. 52
Mastichinus Stomachalis. 23
de Melissa. ibid.
Mentha Stomachalis. ibid.
Mercurialis purgans. 53
alius. 54
Nephriticus primus. 24
secundus. ibid.
tertius. 25
de Papavere erratico. 26
simplex. ibid.
ex Perlis, & aliis Gemmis, quomodo parandus. 17. 18
flor. Persicorum. 54
anti-Phthisicus & Vulnerarius. 27

Syrupus de Pœoniæ. 26
Pomis Cordialis. 27
Rhabarbaro. 54
Ribibus. 28
Rosatus simplex. ibid.
solutivus ex Mucharo. 55
de Rosis siccis. 29
Rubo Idæo. ibid.
anti-Scorbuticus. ibid.
de Scordio simplex. ibid.
compositus anti-pestilentialis. 30
de Senæ foliis. 56
Spinâ Cervinâ. 45
Spleneticus. 30
Spleneticus aperitivus & Hepaticus. 5
de Tribus solutivis. 56
Florum Tunicæ. 31
ex succo Tussilaginis. ibid.
Violarum Martialium. ibid.
Vulnerarius. 27

T.

Tabulæ Citratæ. 168
Perlatæ. 170
Tarandulæ morsûs remedium harmonicus sonus. 196
Tartari Balsamum. 580
Tartari Cremor & Crystalli, ex Italico Tartaro parati, præ cœteris majoribus pollent virtutibus. 574
Tartari magna est differentia, juxta diversitatem tàm Vinorum, quàm Regionum. 568
Tartari notæ bonitatis. ibid.
Tartari purificatio, seu Cremoris & Crystallorum Tartari præparatio. 570. 571
Tartari vini utilitas in Medicina. ibid.
de Tartaro historia Angeli Salæ. 569
Tartaro Vini. 567
Tartarus Antimoniatus. 573
diutissimè coctus in sublime non fertur, multò minùs in simplici destillatione cum liquore per Alembicum transcendet. 344
qualis, pro destillatione sui spiritûs, eligendus. 574
Tartarus quâ ratione peregrinis virtutibus imbuatur. 572
Salis simplicis naturam excedit, & compositum corpus est vegetabile. 568
Vini quid sit, & quid sub hoc nomine & Medici & Chymici indicent. 567. & seq.
qui ex Vino Rhenano & Italico producitur, cœteris præferendus. 568
præsens remedium in Colica passione, largiter assumptus. 569
Solutivus magis, & purgans. 572
Chalybeatus. ibid.
Tartarum Diureticum cum Fragis. 571
Tartari Olei fœtidi virtutes, & quid de ejus rectificatione sentiendum. 574
Salis volatilisatio. 349
Spiritus. 573
Spiritus ex Cremore destillandus. 574
Tinctura. 581
Tartarus vitriolatus Antimonialis alius. 579
Emeticus. 578
cum succo Mercuriali. 580
seu Sal Tartari vitriolatus. 578
Solutivus. 579
Theophrasti Paracelsi Epitaphium, & publica monumenta, apud S. Sebastianum Salzburgi. 461
doctrina nimis obscura. 483
Theophrastum Paracelsum vindicat subtilis ille Philosophus, Helmontius. 460. 461
possedisse Lapidem Aurificum, orbis clamitat, & ad nos vocem reflectunt Magni Rudolphi Austriaci tempora. 462
Theriaca correcta cum Opio. 242
Andromachi magis restricta & correcta. 241
quàm inconsultè & insulsè compositionibus Aquarum assuatur. 345. 346
correcta sine Opio, ejusque vera præparatio. 234
Simplex præstans. 246

Theriacam medicamentorum Reginam dixerunt. 202
plus dedecorantia, qua exornantia, simplicia quæ. 232
Theriaca Veterum in quibus morbis eximias habeat dotes & prærogativas, 217
quibus in morbis emolumento sit. 228
nil minus agit, quàm ut cor roboret, deleterias qualitates oppugnet, & venena propellat. 203
Theriacæ Veteris ingredientia quædam inutilia cur priorem tamen stationem & pondus suum obtinuerint in Theriaca correcta. 239
Theriaca Vetus æquè anodynas & somniferas habet vires, ac recentissima. 217
à vetustate & annis perperam commendatur. 218
debitâ dosi in quibusdam affectionib. exhiberi nequit, ob multorum, quæ perperam congesta sunt, repugnantiam, & violentam operationem. 229
Theriaca multò efficacior & expetibilis esset, si saltem Cathartica & Chalcitis deessent. ibid.
Theriacæ resolutio in doses & principia sua constitutiva, contra peculiares quosdam morbos. ibid.
à Theriacæ compositione cur ingredientia simplicia plura eliminentur; & quæ eorum loco substituenda. 239
Theriacæ Cathartica citra artem sunt adscripta. 219
Theriaca cur à Chalcitide nigricet. 227
Theriacæ effectûs diversi, unde. 218. 219
Fermentatio unde. 218
longævitas & incorruptio à fermentatione non dimanat. ibid.
in Theriacâ fermentatio genuina non est. 220
Theriac. fermentatio quomodo verè fiat. ibid.
an formam mixti peculiarem producat. 217
in Theriacâ primaria fermentationis causa quæ. 219. 220
fermentatio quarum sit partium. 219
non est ab Opio. 218
Theriaca ex quot dissitis sibi repugnantibus rebus conflata sit. 228
præ reliquis Compositis & Electuariis nullam habet ab interitu prærogativam. 217
Thermales aquæ ex Solis mineralibus & metallis, sulphure potissimum, exoriuntur. 436
Thermarum ingens calor & effervescentia unde exoriatur. 536, 537
Thermis, seu aliis Aquis Medicatis, metalla & mineralia corporaturâ suâ & entitativè non insunt. 537
Thermarum succedaneum Balneum. 556
de Thermis Carolo-Badensibus absurdum dogma, reperit tamnn suum Professorem. 537
Thermæ sulphureæ pro maxima sui parte ex sulphure subterraneo accenso constant, aut ortum ducunt. 548. 549
Thus minùs dextrè committitur destillationibus humidis. 359
Tincturam Philosoph. dari, magnus ille Societatis Scriptor, P. Athanas. Kircherus negat. 457
Tincturæ Universalis existentiam probat Helmontius. 462
Tinctura Martis ex Croco. 476
Martis vera. ibid.
Rosarum. 130. 290
Saturni. 493
Sulphuris tartarisata. 557
Tartari. 581
Tragacanthum, mucilaginosum Gummi, destillationibus humidis planè inutile. 359
Tragea Aromatica communis. 176
Cephalica grossa & pretiosa, ibid.
vilior. 177
Grossa communis. ibid.
alia Stomachalis. 178
Transmutatio metallorum temporibus Magni Cæsaris Rudolphi, Glor. memoriæ, sæpius celebrata fuit. 464

Trochiſci quale medicamenti genus. 179
Alhandal. 180
Aliptæ Moſchatæ. ibid.
Ambrati & Moſchati, ſeu de Gallia Moſchata. 183
Bechici Albi. 180
Nigri. ibid.
Rubri anti-Pleuritici & Pectorales. 181
de Benzoe ad Suffitus pretioſos. ibid.
ad uſum internum. ibid.
Capitales, ſ. Cephalici. 182
Cordiales Regii. ibid.
Galliæ moſchat. 183
Hepatic. refrigerantes. 182
Pectorales. 181
anti Peſtilentiales & ſublinguales. 184
ſublinguales viliores. 185
alii Citrati. ibid.
anti-Pleuritici. 181
Sublinguales. 184
Trochiſcorum de Ramich exacta reſolutio & analyſis pro Aqua Dyſenterica Quercetani. 321
Trochiſci de Scilla non ex Scilla, ſed revera ex rebus additis, conſtant. 204. 205
Trochiſcorum Scillicorum exactiſſima anatome. 203. 204
Trochiſci de Spodio, pro aqua Dyſenterica Quercetani examinantur. 320
Serpentibus. 185
Terr. ſigillat. examinantur. 320
Viperis. 185
Trochiſci de Viperis antiquâ methodo citra dolos & fraudes parari nequeunt. 186
Viperini num ex ſolis fœmellis, juxta Galenum, & earum duntaxat carne, rejectis maribus, oſſibus, ſeu ſpinis, hepate, & corde, parandi ſint. 205
Viperini pro parvæ potiori ex biſcocto panc conſtant, indigni Compoſitione Theriacæ. ibid
de Trochiſcis Viperarum notatu digna plurima. 186
Trochiſcis Viperarum meritò Pulvis earundem ad Theriacæ confectionem ſubſtituendus. ibid.
Trochiſcorum de Viperis novus parandi modus. ibid.
Turbith Minerale. 503
Minerale rubrum in momento. ibid.

V.

Vapor ille aqueſus, inter decoquendum à carnibus exhalans, propriè aquæ elementari æquiparari poteſt. 332
Vaſa terrea, ignem ſtrenuum diu ſuſtinentia, pro fuſione metallorum, & aliis laboribus Chymicis, quomodo conficienda. 515
in Vaſe arctè clauſo nihil coqui valet. 232
Vegetabilia, & inter hæc horarii Fructûs, licet à ſtirpe ſua avulſa, ad corruptionem inclinent; multò tamen tempore perdurant. 319
indiſcriminatim omnia extractionibus non ſunt idonea. 104
putredinis corruptelam, & corruptionis ſemina, non admittunt, ut animalia: idque ob ſalem fixum, qui Vegetabilibus ineſt. 318
quædam ſale nitroſo ſunt referta, & parum ſalis fixi continent. 49
terreſtrioris genii Decoctionibus potius, & Extractionibus, aptæ, nequaquam verò Deſtillationibus. 334
ex Vegetabilibus omnibus arcana formandi medicamenta vera methodus, ac idea. 306
Vegetabilium differentia in tres Claſſes diviſa, pro legitima earum deſtillatione. 302

in Vegetabilium Extractionibus quæ obſervanda, 104. 105
Vegetabilium maximus requiritur delectus, ad Aquas exinde deſtillandas. 301
Venenorum varietas & diſcrepantia. 199. 200
Venena Mineralia quomodo agant, 200
cordi applicare, periculoſum opus eſt & temerarium. ibid.
occulta in malignis rarò innoteſcunt, niſi jam actâ Tragœdiâ. 198
qualem nobiſcum ludant Tragœdiam & Cataſtrophen. 216. & ſeqq.
Veneni Minerali s nulla eſt analogia aut proportio ad Alexiterium Vegetabile. 199
Venenis Mineralibus Bezoar, Unicornu, Orvietan. & Theriaca non reſiſtunt aut medentur. ibid.
Venenorum Mineralium alexiteria communia non antipathico diſſenſu adverſantur. 200
indoles & actio eſt manifeſta. 199
Venenum Minerale ab alexiterio vegetabili non ſuperatur, niſi per accidens. ibid.
nullum eſt, cui inexhauſta DEI miſericordia ſpecificum & antipathicum remedium non oppoſuerit. 199. & ſeqq.
unum huic ſpeciei eſt alimentum; alteri verò deleterium. 199
Vini Sal eſſentialis. 581
Vinum decoctionibus deſtinare, abſurdum eſt. 302. 310
Carminativum. 123
contra Flatûs. ibid.
Hippocraticum. 131
aliud. ibid.
Laxativum. 58
Viperinum. 209
Viperas inter ac Serpentes, quoad virtutes, modum, ac rationem agendi, nulla eſt differentia. 208
de Viperarum Trochiſcis: vid. Trochiſci Viperarum.
Viperarum pulvis potiùs, quàm Trochiſci, ad Theriacæ confectionē ſubſtituendus. 186
de Viperarum elixatione, Galeni dogma tota Medicorum Schola confirmat. 309
Viperarum morſus cur reliquis Serpentibus ſit pernicioſior. 208
& Serpentum corda devorantur viva, pro eximio Alexipharmaco. ibid.
Spinæ, Cor, & Hepar, à Confectione Trochiſcorum non ſunt abarcenda. 206. 207
Viſcum Quercinum aprius Decoctioni, aut Extractioni, quàm Deſtillationi committitur. 311
quoad eſſe ſuum lignum inodorum eſt; nullo fragranti ſpiritu ſulphureo præditum, adeoq;, per Alembicum deſtillatum, nihil virtutis elargitur. 352
Vitalitas, ac ratio formalis vitæ, in quonam fundetur. 199
à Vitrificatione Antimonii inſtrumenta ferrea abarcenda. 514
Vitrioli albi efficacia. 225
Vitrioli Clyſſus. 544
Spiritus eſſentificatus. ibid.
de Vitriolo. 533
Vitrioli Eſſentia, ſ. Oleum aut Liquor dulcis. 545
Eſſentia alia. ibid.
Oleum craſſum non eſt ſeparatum quid à Spiritibus reliquis Vitrioli; ſed ſaltem potens & magis concentratus Spiritus. 540
Sulphur Anodynum. 547
vid. Sulphur Vitrioli
de Vitrioli Spiritu viridi. 543
in Vitrioli electione, pro Spiritu ejus deſtillando, multum ſitum eſt. 535
Vitriolum quale pro deſtillatione ſui Spiritûs eligendum. 539
Vitrioli Spiritus de virtutibus & efficacia metallorum ſpiritualiter ac virtualiter participat. 534
in Spiritibus determinatis haud exiguos effectus in Medicina experiri licet. 536
de Vitrioli Spiritu, ſeu Oleo dulci. 542

Vitrioli Spiritus pro maxima sui parte Spiritus est ipsius Sulphuris. 584
diversarum specierum uti haud est exigua differentia, ita quoque Spiritûs earum in virtutibus discrepant haud parum. 585
Spiritûs adulterantur. 535
Spiritus dulcis verus utrum parabilis. 542
Spiritûs dulcis destillandi modi examinantur. ibid.
ex Vitriolo Spiritum, seu Oleum dulce elicere, res ardua est, & impossibile videtur. 543
de Vitrioli Spiritu plura vid. Spirit. Vitriol.
Vitrioli caput mortuum, ab astris imprægnatum, copioso sale, à Vitrioli natura alieno, imbuitur. 541
caput mortuum pervestigatur. ibid.
caput mortuum verum omni sale protinus à destillatione destitutum est. ibid.
varia sunt Genera & Species, pro diversitate minerarum & metallorum. 533
virtutes metallis potiùs, eorumque principiis, adscribendæ; non verò Vitriolo, ut tali, tanquam minerale esset, à metallis naturâ suâ segregatum. 534
usus varius ac multiplex: interno tamen usui rarò per se destinatur. ib.
de Vitriolo dulci viridi, & Spiritu Vitrioli Philosophico Polemanni. 486
ex Vitriolo, opinione Paracelsi, integra Medicamentorum Officina foret constituenda. 534
Vitriolorum delectus, & quænam, ad salutaria exinde conficienda medicamenta, amplectenda. ibid.
Vitriolum à proprietate & natura salium planè alienum est. 533
commune mixtum est, de variis participans quandoque Metallis & Mineralibus. 535
nativum vix unum reperitur, quod uni saltem metallo existentiæ suæ debeat primordia. 534
Vitriolum pro altera columna præstantissimorum ex ea conficiendorum medicamentorum habetur. 233
quodcunque in metallum denuò convertibile; exclusis spiritibus acidis sulphureis, nitrosis, aut salinis. ibid.
omne solutum est metallum. ibid.
Salis nomine metallorum falsò insignitur. ibid.
Jovis, seu Stanni. 488
Martis. 473
Martis per se usui Medico favet: ejusq; virtutes. 474
crebrioris usûs est, tanquam resolvens & deobstruens medicamentum. 534
Veneris. 484
Vitrum Antimonii album. 516
Antimonii ex Regulo, cum & sine Auri additione. ibid.
Antimonii Solare. ibid.
ex Vitro Antimonii Pocula. 515
quæ medicamenta sint conficienda: ejus virtutes & annexæ cautelæ. ibid.
pro Ulceribus excedentibus Tibiarum & Pedum Remedium præstans. 518
Universalia medicamenta an dentur. 218
Unguenta inter externa remediorum genera collocantur; & ex quibus conficiantur. 384
Unguentum Ægyptiacum. 385
Alabastrinum. ibid.
Album. ibid.
Album Camphoratum. ibid.
de Althæa simplex. 386
ad Ambusta. 387
Anodynum. ibid.
Apostolorum. 386
de Arthanita purgans. 388
Aureum vulnerarium. 389
Carminativum. ibid.
Cephalicum. 390
Clysmaticum. ibid.
Comitissæ adstringens. 391
Cordiale. 392
Hepaticum. ibid.

Unguentum ad Hæmorrhoides. 393
Hæmorrhoidale aliud. 394
ad Hernias. 396
Jovis refrigerans. ibid.
Infrigidans, seu refrigerans Galeni. 396
de Linaria hæmorrhoid. 394
Liquiritia. 397
Lythargyrio, seu Saturninum. ibid.
Mercuriale. 398
Nervinum. ibid.
Nihili ad Oculos. 399
Pectorale. ibid.
Pediculorum. 400
Pomatum. ibid.
Populeon. 402
Potabile rubum. ibid.
aliud. ibid.
Unguentum Rosatum. 403
Saturninum. 397
ad Scabiem. 403
Splenecticum. ibid.
Stomachicum. 404
ad Vermes. 405
Viride Reginæ. ibid.
Volatilia fixare, & fixa volatilisare, arduum. 324. 325
Volatilium, & fixa fixorum, virtutes lege suâ tenent. 324
Urinæ salis Volatilis acutissimi odorem spirant cloacæ. 191

Z.

Zibebæ Purgantes. 87
Zoilorum insulsa & iniqua judicia institutum Authoris non morantur. 407

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

Fol 62
Tab 1
Num 1

62

2742
A-1836